




HARVARD DIVINITY SCHOOL
Andover-Harvard Theological Library

THESAURUS
COMMENTATIONUM SELECTARUM

ET

ANTIQUIORUM ET RECENTIORUM

ILLUSTRANDIS ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS

INSERVIENTIUM.


RECUDI CURAVIT,

PRAEFATUS EST, APPENDICEM LITERARIAM ET INDICES

ADJECIT

Johann Ernst

M. J. E. VOLBEDING.



TOMUS PRIMUS.

LIPSIAE,

IN BIBLIOPOLIO DYKIANO.

MDCCCXLVII.



Praefatio.

Bibliopolii Dykiani possessor, vir honestissimus, „Thesauri Antiquitatum Christianarum" edendi consilium diu agitavit. Nec mirum profecto hoc. Cum enim longa abhinc annorum serie redemtis, non parvo certe sumptu, et publici juris factis b. Augustii scriptis *) de rebus veterum Chri-

*) Sunt nimirum haec:

Augusti, J. C. W., die christlichen Alterthümer. Ein Lehrbuch für akademische Vorlesungen. Leipzig, Dyk'sche Buchhandlung 1819. XII. u. 243 S. 8. (1 Thlr. 10 Ngr.)

— Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archaeologie; mit beständiger Rücksicht auf die gegenwärtigen Bedürfnisse der christlichen Kirche. 12 Bände. Ebendas. 1817—1831. gr. 8. (22 Thlr. 15 Ngr.)

[Auch unter den besonderen Titeln: Die Feste der alten Christen. Für Religionslehrer und gebildete Leser aus allen christlichen Confessionen. 1r—3r Bd. 1817—1820. XVIII. u. 364; XVIII. u. 433; XXIV. u. 429 S. (5 Thlr. 7½ Ngr.) Die heiligen Handlungen der Christen; archaeologisch dargestellt. 4r—10r Bd. 1821—1829. (13 Thlr. 22½ Ngr.) [4] Einleitung in die Geschichte des christl. Gottesdienstes. 1821. VIII. u. 411 S. (1 Thlr. 22½ Ngr.) [5] Ueber Gebet und Gesang in der christl. Kirche. 1822. VIII. u. 433 S. (1 Thlr. 22½ Ngr.) [6] Ueber den gottesdienstlichen Gebrauch der heil. Schrift in der christl. Kirche, oder von biblischen Lectionen, Homilien und Katechesen. 1823. VI. u. 445 S. (1 Thlr. 22½ Ngr.) [7] Archaeologie der Taufe und Confirmation. 1825. XIV. u. 469 S. (1 Thlr. 22½ Ngr.) [8] Archaeologie des Abendmahls. 1826. XIV. u. 511 S. (2 Thlr.) [9] Busse und Absolution. Ehe. Ordination. Letzte Oelung und Todtenamt. 1828. IX. u. 586 S. (2 Thlr. 10 Ngr.) [10] Die ausserordentlichen heiligen Handlungen. 1829. VIII. u. 432 S. (1 Thlr. 22½ Ngr.) [11] Die gottesdienstlichen Personen und Oerter der christl. Kirche; archaeologisch dargestellt. 1830. VIII. u. 511 S. (2 Thlr. 5 Ngr.) [12] Die gottesdienstlichen Sachen der alten Christen; archaeologisch dargestellt. 1831. XXVI. u. 424 S. (2 Thlr.)]

— Handbuch der christlichen Archaeologie. Ein neugeordneter

stianorum sacris successu temporum institutis et stabilitis hoc studiorum genus vere adjuvisset, eidem nunc etiam non plane vult deesse.

Illius autem consilii exequendi ratio altioris indaginis res esse debuit. Sponte enim fluit, nostris diebus de thesauro antiquitatum christianarum condendo non ea agitari posse consilia, de quibus convenerat olim inter Jo. Franciscum Buddeum et Jo. Georgium Walchium, conjunctis studiis opus, duodecim volumina forma maxima complectens, edituros *); quod si non modo inceptum, sed etiam absolutum esset, insignibus illis antiquitatum hebraicarum, graecarum et romanarum corporibus ab Ugolino, Gronovio et Graevio editis jure suo posset adnumerari. Jam si quis librarius de ejusmodi opere, cujus prima tela in hocce volumine pertexta est, altiores sibi sumeret spiritus et, si non tantae molis corpus, quale suo tempore cum Buddeo Walchius meditatus est, sed tamen majoris ambitus sumptusque editurus esset, nae ei, ne egregie falleretur, vehementer timerem; nam temporum nostrorum hominumque,

---

und vielfach berichtigter Auszug aus den „Denkwürdigkeiten aus der christl. Archaeologie.“ 3 Bde. Ebendas. 1836—37. gr. 8. (9 Thlr. 15 Ngr.) 1r. Bd. 1836. XII. u. 595 S. (2 Thlr. 15 Ngr.) 2r Bd. 1836. VIII. u. 775 S. (3 Thlr. 15 Ngr.) 3r Bd. 1837. XVI. u. 759 S. (3 Thlr. 15 Ngr.)

Augusti, J. C. W., Beiträge z. christl. Kunstgeschichte u. Liturgik. 1s Bdchn. Ebendas. 1841. XIV. u. 332 S. gr. 8. (1 Thlr. 25 Ngr.)
Enthält: Grundriss einer christl. Kunst-Geschichte. (S. 3—71). Ueber den liturgischen und artistischen Charakter der Apokalypse u. über den Gebrauch derselben in dieser Beziehung in der alten Kirche (—102). Analekten zur christl. Kunst-Geschichte aus den Schriften der Kirchenväter (—146). Bericht des Paulinus von Nola über Einrichtung u. Ausschmückung christl. Kirchen (—179). Die liturgischen Farben (—196). Kirchliche Kunst-Denkmäler in Hildesheim (—221). Bemerkungen zur Geschichte des Domes zu Trier, von J. Steininger (—245). Uebersicht der neuesten Schriften über die christl. Kunst (—292). Neueste liturgische Literatur (—332).

— 2s Bdchn., aus dem literar. Nachlasse des Verstorbenen herausgegeben u. mit einem Vorworte begleitet von Dr. C. Im. Nitzsch. 1846. gr. 8. geh. VI. u. 183 S. (27 Ngr.)
Enthält: Uebergang d. jüd. Kunst-Heiligthümer in die christl. Kirche (S. 1—38). Darstellung d. Hauptmomente in der Urgeschichte d. christl. Cultus u. der Liturgie desselben (—80). Analekten zur christl. Kunstgeschichte aus den Schriften d. Kirchenväter. Forts. (—83).

*) Conspectus thesauri Buddeo-Walchiani sumptu J. Fried. Gleditschii prelo subjiciendi prodiit Lipsiae 1726. 4. Insertus est in perpetuam rei memoriam J. Alb. Fabricii Bibliographiae antiquariae (ed. P. Schaffshausen. Hamb. 1760. 4.) p. 169—74.

quibuscum nunc nobis vivitur, alias plane quam olim rationes parum recte subduxisse censendus esset.

Alia igitur incedendum est via et cum oblatam thesauri hujus edendi provinciam suscepissem, auctor fui librario sumptus facienti, ut periculum faceret edendo modico volumine, quale jam offertur, non magnifico apparatu, qui in multis nostrae aetatis libris occurrit, lineis literisque paginarum justo majori spatio a se distantibus, insigni eamque ob causam non adeo magno pretio parabili.

In seligendis autem ipsis libellis, quibus thesauri hujus singulae partes absolvantur, hanc mihi legem scribendam esse putavi, ut antiquiores cum recentioribus conjungerem. Hic autem in censum veniunt prae aliis viri aliquot, de literarum genere, de quo hic agitur, optime meriti, qui primi ex amplissimo historiae ecclesiasticae campo archaeologiae christianae τέμενος angustioribus finibus circumscriptum colere coeperunt, Joach. Hildebrandum dico, Jo. Andr. Schmidium et alios nec recte editoris thesauri antiquitatum ecclesiasticarum provincia fungi censendus esset, qui horum virorum scripta negligeret.

In contexendis libellis, quibus primum hoc volumen absolvitur, facile a me impetrare potui, ut cederem precibus bibliopolae, eum ordinem servari suadentis, quem b. Augustius, licet non semper satis commodum et expeditum, in opere δωδεκατεύχῳ secutus est, ita ut, si forte in plura volumina excresceret thesaurus noster, nomine commentarii ad b. Augustii librum modo laudatum possit commendari.

Libellos ipsos, qui in hoc volumine una typis repetiti sunt, ex eorum esse genere bene scio, qui, sedulo investigati, non adeo difficili negotio vel mutuo accipi vel parata pecunia acquiri possint ab iis, qui ad literariam aliquam opellam συνεργείαν eorum necessariam sibi ducunt. Verumtamen non paucis gratum fore credo, si illi possint supersedere investigandi molestiae, cum talia opuscula junctis paginis uni inserta videant volumini, non adeo magno pretio venali. Cavi etiam, quoad ejus fieri potuit, diligenter, ne typis iterum exscriberentur commentationes, in aliis collectionibus jam obviae. Non autem is ego sum, qui contendat, quaecunque in hisce libellis, antiquioribus praesertim, tractata sint, recta ea semper esse et debere placere. Minime quidem; dicendum enim libere, quod res est. Displicent multa; displicet diffusa saepe in alia omnia, quam in rem, quae agitur, oratio; displicet in re, per se saepius clara, testimoniorum multorum inutilis coacervatio; displicet etymologiarum, ineptissimarum etiam, aucupium saepe ridiculum; displicent alia, ab ἀκριβείᾳ, quam nostri homines jure suo postulant, aliena. Occurrunt tamen etiam bene multa, ad rem de qua quaeritur omnino facientia, ut non fas sit, ubi plura niteant, paucis offendi maculis. Consentientes enim habebo, qui harum

rerum periti sunt, inexhauriendos latere doctrinae profundae exquisitae thesauros in illo literarum genere, quod disputa num, dissertationum, commentationum, programmatum etc. mine insignimus cujusque feracissima officina in omni litera genere Germania fuit, ut vere mireris, nihil tam remotum e et absconditum in literis, quin id tamen compluscali sci Usque ad hunc diem illorum libellorum numerus, qui in infinit fere excrevit, augetur, quamquam non eo, quo olim studio forsan successu. Nec reticere possum timere me thesauro stro, lingua latina concepto, cujus usum hisce nostris die non una ex parte impugnari video numerumque eorum in sterum magis magisque imminutum iri doleo, qui latinae ling usu instructi scriptos in ea libros quaerant et volvant. Il enim plurimos nostrae aetatis homines summo flagrantissimo agere videmus studio, ut, quicquid tractent, ob oculos habe commoda, rectissima brevissimaque via ad vitam redundan nec operi alicui industriam suam impendere, quod non sta praebeat talia praemia, quibus vita frui liceat. Valeant, si p sint. Literis illis, quas extemplo proscriberent, si potestas es suus tamen stabit et in posterum honos nec defuturos esse c fido, qui iis incumbant et delectentur vitamque regere disc Proinde etiam in eo literarum genere, cujus causam thesau agit noster, academiis nostris juvenes affuturos esse spero, assidue et cum fructu audiant doctores *), tanquam in spe lum in publicam apostolicae veterisque ecclesiae disciplinam inspicere jubentes, ut, si suo quisque tempore ad publica ec siae munera evocati fuerint, medios inter homines, quales stra aetas fert, novarum rerum studiosissimos non pau quae ad pacem ecclesiae publicam servandam veramque pie tem fovendam necessaria sint, et tueri sciant et sua ipso vita commendare.

Appendicem literariam, quam alphabetico in singulis ca tibus ordine servato adjeci, harum literarum studiosis non gratam fore arbitratus sum. Plura in ea reperientur, qu thesaurus, qui praecipue de festis Christianorum tempori

---

*) Huic rei omni fere tempore prudenter prospectum est a doctis, edentibus libros, in quibus primae lineae rerum ad discipli ecclesiae veteris publicam spectantium ductae sunt. Eo nomine c mendandus est liber recens a prelo et bonae frugis plenus: G ricke, H. E. F., Lehrbuch der christlich-kirchlichen Archaeolo Leipzig, Gebauer'sche Buchh. 1847. XII. u. 346 S. gr. 8. (1 T 20 Ngr.) perspicuo rerum expositarum ordine insignis et bono l rum probantium ex scriptoribus ecclesiasticis delectu instructus ad que dignus, qui in academiis viva doctorum voce uberius expon theologiae studiosis.

agit, requirat; quod factum est hanc ob causam: cum probaret bibliopola institutum meum, titulos libellorum, inprimis minorum, singulos antiquitatum christianarum locos illustrantium, colligendi, non acquiescendum esse putavit in iis pertractandis, quorum in thesauro fieret mentio, sed omnem rem ordine esse persequendam, non excluso indice libellorum, historiam N. T. sacram exponentium. Huic igitur labori me accinxi, non semper expedito, et quo successu rem egerim, testimonio sit thesauro inserta pars indicis illius, propediem emittendi et, si dicere fas est, locupletissimi. Sed agetur hac de re pluribus in praefatione catalogo huic praemittenda, qui maximam partem typis jam exscriptus est.

Indices locupletiores parati quidem erant, suppressi tamen sunt consentiente bibliopola, ne in justo majorem molem excresceret liber nimioque propter auctos sumptus pretio deterrerentur emturientes. Nec adeo videbantur necessarii, cum singularum plagularum inscriptionibus subinde pro rerum expositarum varietate mutatis commoditati lectorum satis jam videretur consultum. Pauciora igitur data sunt in indicibus, ut tamen nomen in inscriptione libri contractum solvatur.

Unum denique addere liceat. Operis typothetarum inspiciendis corrigendisque ipse assedi; quod moneo, ne forte obtrudatur alii, quod hoc in genere peccatum deprehendatur. Confido quidem, majora quae sensum turbent non irrepsisse σφάλματα; minora tamen condonentur imbecillitati humanae, cum his in rebus vel perspicacissimam oculorum aciem — non de memet ipso loquor — permulta soleant effugere. In maxima singula verba scribendi diversitate in tam variis libellis, ex quibus hoc conflatum est volumen, unum eundemque scribendi tenorem servare animus quidem erat; sed quod volui non me esse assecutum ingenue confiteor. Appendicem literariam in tam magna nominum, praenominum, locorum, annorum etc. multitudine non liberam mansisse ab erroribus variis, persuasum habeo. Sed hac de re, uti jam dictum est, alio loco et tempore agetur. Nolo jam lectores diutius morari eorumque abuti patientia; eos, ut bibliopolae inceptis et meis faveant, enixe rogo.

Scribebam Lipsiae, Calendis Juliis, MDCCCXLVII.

M. J. E. Volbeding.

Index commentationum.

Appendix literaria.

THESAURUS
COMMENTATIONUM SELECTARUM

ET

ANTIQUIORUM ET RECENTIORUM

ILLUSTRANDIS ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS INSERVIENTIUM.

RECUDI CURAVIT,

PRAEFATUS EST, APPENDICEM LITERARIAM ET INDICES

ADJECIT

M. J. E. VOLBEDING.

TOMI PRIMI, PARS PRIOR.

LIPSIAE,

IN BIBLIOPOLIO DYKIANO

MDCCCXLVI.

Index commentationum partis prioris.

I.

Joach. Hildebrandi de diebus festis libellus *).

De sabbato. §. 1. Quamquam principium juris naturae sit: Deus est colendus, et modus Deum recte colendi, prout ad salutem expedit, ex Dei revelatione innotescat: certus tamen dies, quo cultus Deo debitus peragatur, nec jure naturali nec jure divino, quod quidem Christianos in N. T. obliget, ullibi definitur. In V. T. Deus jure positivo, quod unum decalogo inditum est (nempe praeceptum tertium) diem septimum vel sabbatum sibi colendo destinaverat, ideo quod mundo intra primum ἑξαήμερον condito quievisset Exod. 20, 9. Verum, ut dixi, lex haec positiva erat, quae una cum reliqua Mosaica lege hodie cessat. — §. 2. Nihilominus Apostoli, ut in caeteris sacrorum ritibus, sic et in sabbato colendo, cum Judaeis aliquamdiu sese conformarunt, ideo ne Judaeis convertendis scandalo essent, et ut synagogam cum ritibus suis a vero Deo conditam non instar delubri idolorum subito abolerent, sed honeste, reverenter et pedetentim sepelirent. Paulus et Barnabas synagogam ingressi et a proselytis rogati in magna auditorum frequentia concionati leguntur Act. 13, 14. Similiter sabbato Paulus et Silas extra urbem juxta flumen cum caeteris Christianis egressi et sabbato publica sacra tractasse dicuntur Act. 16, 13. Quid? morem hunc Christianis communem fuisse, ut sabbato ad frangendum panem, h. e. (ut Syrus interpres reddidit) ad celebrandam eucharistiam convenerint, ex Act. 20, 7. constat. Fecerunt autem hoc Apostoli vix alibi nisi inter Judaeos conversos, sed exemplo suo ecclesiam gentilium sabbato adstrictam noluerunt. Ita enim expresse Apostolus Col. 2, 16. *Nemo*, inquit, *vos judicet de diebus festis vel noviluniis vel de sabbatis, quae erant umbrae futurorum.* — §. 3. Post tempora Apostolorum Christiani orientales, licet diem solis nobiscum solennem duxerint, ex veteri tamen ritu in hunc usque diem aliquid solennitatis in sabbatum conferunt. Docet nos hoc ipsum Gregorius Nyss., qui sec. IV. post Chr. n. vixit et in orat. contra eos, qui censuras aegre ferunt, sic scribit: *Quibus oculis diem dominicam adspicis, qui sabbatum dedecorasti? An nescis, hos dies fratres germanos esse et cum in alterum peccas, etiam in alterum injurius es.*" Quin et inter canones, qui apostolici dicuntur, canone 66. clericus

*) Prodiit primum Helmst. 1701; rec. ibid. 1718 et 1722. 4.

sabbato jejunans deponi jubetur, cum alias in ecclesia quovis die exceptis solennibus jejunare licuerit. Imo Humbertus, Sylvae candidae episcopus, in disp. contra Nicetam Graecum, quae Tom. 6. Bibliothecae Patrum extat, Graecos *Sabbatianos* vocat, ideo *quod sabbato festivitatem aliquam tribuant.* De caetero etiam Socrates hist. eccl. 6, 8. meminit, suo tempore apud Christianos dies festos cujusvis septimanae sabbatum et dominicum fuisse, quibus conventus publici in ecclesiis habiti sint. Qualis autem sit illa festivitas, quam Graeci olim et adhuc sabbato deferunt, studiosi sacrar. antiqq. ex synodo Laodic., quae a. Chr. 364. habita est et in codicem universum ecclesiae recepta, rectissime discent. Haec enim synodus can. 14. die sabbati sacros textus in ecclesia praelegere, sed otium a labore in solam diem dominicum differre jussit.

De die dominico. §. 1. A sabbato ad diem dominicum, qui non viventibus tantum, sed auctoribus Apostolis in locum sabbati successit, progrediamur. Constat sacris literis, quod ipsi Apostoli die solis synaxes egerint, iis praesertim locis, ubi non Judaei sed Ethnici convertendi vel conversi fuerunt. Ita Paulus primo die hebdomadis (hic vero est dies solis) collectas fieri mandat I. Cor. 16, 2. Expresse Apoc. 1, 10. dies ille *κυριακός* vocatur. Cur autem veteres diem solis in specie *κυριακόν* vocarint, cum omnis dies sit Domini, id Rhenanus, vir sacr. antiqq. peritissimus, eleganter nos docet. *Primi*, inquit, *Christiani cum templa in honorem Salvatoris conderent, eadem graece κυριακά* (unde adhuc dicimus: Kirche) *latine Dominica vocarunt*, (unde adhuc templum cathedrale per aphaeresin vocatur: ein Dom, quasi dicas: dominica aedes, et clerici canonici dicuntur: Domherren, quod in dominica aede praefecti sint). *Nam*, pergit Rhenanus, *veteres Christiani Salvatorem raro Christum, rarius Jesum vocarant, communiter autem τὸν κύριον vel Dominum, quod nomen quoties absolute ponunt, communiter Christum intelligunt. Neque vero tantum templa Christo sacra Dominica, sed et diem Christo sacrum Dominicum vocare consueverunt. Ratio nominis est, quod Dominus noster Jesus Christus die solis veluti victor et triumphator a morte surrexisset. In resurrectionis memoriam festivitas sabbati in diem solis concessit.* — §. 2. Post excessum Apostolorum primi Christiani diem solis solennem constanter habuerunt, cujus rei luculentus testis est Justinus, novellae ecclesiae martyr et insignis philosophus, qui a. Chr. 250. floruit et apol. sec. ad Antoninum Caesarem sic scribit: *Die, qui solis dicitur, Christiani omnes ex rure et in oppidis ad sacra convenimus.* Meminit quidem Augustinus, serm. 25. de temp., sua aetate nonnullos fuisse, qui diem Jovis solennem habuerint, sed hos graviter reprehendit. *Audio*, inquit, *quod quidam feria quinta non laborent, nec mulieres lanam tracient. Ego vero coram Deo et angelis ejus contestor, quod hi arsuri sint in inferno, ubi diabolus ardet. Nullus enim dubito, quin in honorem Jovis otientur, quia die dominico laborare non metuunt. Carissimi, si quos tales nostis, graviter castigate, si emendari noluerint, nec ad convivium nec ad colloquium eos admittite, imo si sint in potestate vestra, flagellis eos caedite.* Scribit alias

Eusebius de vita Const. 4, 18, quod Constantinus M. singulis hebdomadibus non diem tantum dominicum in honorem Christi resurgentis, sed et diem Veneris in honorem Christi patientis solennem publico edicto posuerit. Sed solennitas diei Veneris nec diuturna nec universalis fuit in ecclesia. — §. 3. Quo autem modo veteres Christiani diem dominicum feriati sint, iterum nos eleganter docet Justinus, qui l. l. hoc sacrorum compendium format: *Die solis, inquit, cum convenimus, apostolorum commentaria vel prophetarum scripta, prout tempus exigit, leguntur. Cum lector tacet, praeses sacrorum concionem habet, et ad rerum tam pulchrarum, quae praelectae sunt, imitationem invitat. Postea surgimus omnes precesque fundimus, quibus finitis panis et vinum et aqua profertur. Tum denuo praeses et gratias pro virili instituit populusque acclamat: Amen. Post haec consecrata singulis distribuuntur et fit communicatio: absentibus quoque per diaconum mittitur. Denique divites pro arbitrio suo aliquid constituunt, et quod ita colligitur, apud praesidem deponitur, ut is inde viduis, pupillis, aegrotis, captivis, peregrinis, pauperibus succurrat, quia praeses sacrorum apud nos pauperum curator est. Ideo autem die solis convenimus, quia hoc die mundus condi coepit et Dominus resurrexit.* Ex qua antiquissima liturgia discimus, sacra veterum die dominico peracta lectione sacra, concione, precibus, oblatione panis et vini, oblatorum consecratione, communicatione et denique eleemosynis, adeoque iisdem ritibus constitisse, quibus (excepto offerendi ritu) sacra publica apud nos adhuc constant. Miror autem a Justino unam sacrorum veterum partem, nempe psalmodiam, fuisse praeteritam, cujus tamen meminit Plinius, qui in ep. ad Trajanum *in Christianis nullum crimen agnoscit, quam quod stato die ante lucem convenire soliti sint et hymnum Christo tanquam Deo cecinerint.* — §. 4. Quemadmodum sec. IV. ineunte Constantinus M. diem solis solenniter habendum imperatoria majestate primus edixit eodemque omnibus suis militibus otium fecit, ut ecclesiam frequentarent precesque publicas Deo offerrent, ethnicos quoque milites die dominico in campum exire et certam precandi formulam, cujus ipse fuit auctor, recitare jussit, teste Eusebio de vita Const. 4, 19: sic sec. VIII. exeunte Carolus in reformanda solennitate diei dominici insignem operam posuit, id quod ex omnibus fere conciliis sub Carolo M. in Germania et Gallia habitis videre est. Nos hac vice ex codice msto. Rheginonis Prumensis Abbatis sec. X. ineunte de veterum disciplina ecclesiastica hujus rei fidem faciemus. Producit autem Rhegino ex capitularibus Caroli M. has sanctiones: *Quia Dominus mandavit, ne opera servilia die dominico agantur, et genitor meus synodalibus edictis idem mandavit, propterea et nos statuimus, ne die dominico viri ruralia exerceant, vineam colant, in campis arare vel metere praesumant, ne foenum secent, ne sepes ponant, ne arbores caedant, nec in horto laborent nec ad placita h. e. forensia judicia conveniant nec mercationes et venationes instituant.* Et iterum: *Foeminae die dominico opera textilia non faciant nec vestes copulent vel conscindant nec consuant vestes nec lanam trahant nec vestimenta lavent nec verveces tondeant, ut diei dominico debitus honos persolvatur.* Haec et multo plura studiosi sacrar. antiqq. apud Rheginonem I. 368. et seqq. videre possunt. Memorabile est, quod scribit

Joachimus a Beust super evang. dom. 17. post Trin: *Olim apud Bavaros jus provinciale fuisse, ut si quis die dominico curru veheretur cum duobus equis, uno equo privaretur, et qui die dominico laboraret manu et monitus non desisteret, manum dextram amitteret.* — §. 5. Modum colendi diem dominicum in veteri ecclesia receptum S. Augustinus serm. 25 de temp. ita refert: *Diem dominicum*, inquit, *Apostoli solenniter habendum sanxerunt, quia eodem Dominus a morte surrexit. Dominicus dicitur ideo, quod in eo a terrenis operibus domino vacare debeamus.* Et post pauca de praerogativis diei dominici sic scribit: *Veteres gloriam omnem judaici sabbati in diem dominicum contulerunt, ut quod ipsi in typo, nos in veritate celebremus.* Sed hoc dictum Augustini cum grano salis accipiendum est. Nam multo strictior fuit observatio sabbati, quam est in N. T. diei dominici, cum ne cibum quidem coquere Judaeis sabbato licuerit, quod tamen Christianis die dominico licet. Sed pergit Augustinus: *Fratres, uti sabbatum Judaei, ita diem dominicum a vespera praecedenti inchoate et statim ab opere rurali cessate et soli Deo colendo vacate. Veniat quisquis potest ad vesperam, et in ecclesia pro peccatis suis oret; qui venire non potest, domi suae pensum servitutis Deo reddat. Sed cum ipse dies dominicus illuxit, nemo vestrum domi remaneat, cum missa celebratur, nec venando occupetur.* Cui concil. Constantinop. VI. suffragatur, cujus canon 8. hic est: *Observantia diei dominici tanta sit, ut eodem praeter orationes et missas nihil fiat, sed, si cui fuerit necessitas navigandi vel iter faciendi, concedimus, modo missae et preces non negligantur.* — §. 6. De caetero veteres Christiani die dominico nunquam genua flectere soliti sunt, quod nos docet Tertullianus (de corona militis): *Die dominico jejunare vel de geniculis orare nefas ducimus. Eadem immunitate flexis genibus non orandi, per omnes dies intra pascha et pentecosten gaudemus.* Hinc etiam Rhegino Prumensis de discipl. eccl. c. 375. ex antiquis hoc statutum refert: *Presbyteri plebibus annuncient, quod solum in quadragesima et jejuniis quatuor temporum inter missarum solennia flectere genua debeant; sed diebus dominicis et reliquis a vespera usque ad vesperam genua ne flectant, sed stantes incurvati orent. Nec quisquam uno genu solo tenus impresso orare praesumat.* De eodem ritu notanter scribit Durandus (Ration. div. offic. lib. 6. de die cinerum): *Die dominico non dicitur: flectite genua. Nam qui die dominico genua flectit, dominum surrexisse negat.* Hinc duo discimus; morem hunc non flectendi genua die dominico olim tam sanctum fuisse, ut si quis eo die genua flecteret, pro haeretico aut infideli sit habitus; veteres Christianos eucharistiam non flexis genibus, ut nunc apud nos fit, sed stantes die dominico accepisse. — §. 7. Praeterea Christiani olim diebus dominicis nunquam jejunarunt, ut ex Tertulliano ostendimus. Imo S. August. ep. 86. in Manichaeos et Priscillianistas graviter invehitur, quod hi die dominico jejunent. Arare autem vel colere agrum die dominico prohibuit synodus Antisiodorensis can. 16. Operas vehicularias prohibuit concil. Dingelfense teste Aventino lib. 3. annal. Mercatus vel nundinas et judicia die dominico prohibuit Carolus M., cujus hoc statutum Rhegino refert: *Die dominico mercatus nullibi fiant, nec placitum, ubi aliquis ad mortem judicatur.* Denique

veteres die dominico eleemosynas dederunt, ut supra ostendimus ex Justini apologia, quam confirmat Cyprianus in tract. de eleemos., ubi divitem matronam ita compellat: *Tu dives es, et putas te celebrare diem dominicum, licet cor bonum vel aerarium pauperum non respicias. Tu partem de sacrificio tollis et ipsa non offers.* Ab antiquo illo ritu adhuc in nostris ecclesiis mos colligendi eleemosynas die dominico, dum concio habetur, perseverat. Sequiori aevo in ferias dominicales superstitio irrepsit, ut vel ungues scindere pro peccato sit habitum. Exemplum refert Alb. Cranzius in Metrop. 4, 8. de rege Daniae Olao, qui cum aliquando die dominico cogitabundus staret et cultello ungues secaret, admonitus per jocum ab adstante, sabbatum ita violari, id quod absciderat studiose collegit, manui imposuit et ita incendi jussit, ut in se vindicaret, quod contra Dei praeceptum putabat factum.

De festo adventus. §. 1. Cum ecclesia annum suum, etiam nos libellum de diebus festis ab adventu auspicabimur. De auctore hujus festi Durandus lib. 6. Ration. sui ita scribit: *Sciendum est, quod apostolus Petrus omnium primus tres integras septimanas ante festum natale celebrandas instituerit et quartam, quae tamen nunquam completur, quia semper in eandem vigilia nativitatis incidit. Haec vero pars adventus non est.* Verum hac in parte Durando consentire non possumus. Nam Petrum apostolum nemo veterum auctorem dominicarum adventus uspiam vocat nec verosimile est, Petrum esse auctorem, quia vivis Apostolis praeter diem dominicum, pascha et pentecosten festa alia non fuerunt. Quanquam de his quoque nonnulli dubitent. Inter veteres scriptores facile primus fuit Maximus Taurinensis, insignis homileta circa annum 450. Is enim in festo adventus homiliam habuisse legitur; unde constat, si idem titulos homiliarum fecit, qui homilias, a quinto usque seculo festum adventus solenne fuisse. Nomen habet hoc festum ab adventu Christi in carnem, non quod ecclesia Christum in carnem venisse per haec tempora memoret, sed quod prisci per hos dies ad adventum Christi in carnem sese praeparaverint, quemadmodum ad pascha per quadragesima sese praepararunt. Consistit autem haec praeparatio in eo, *ut juste et pie vivamus, expectantes beatam spem et adventum Domini*, Tit. 2, 13. Ratio, propter quam adventus per hebdomadas quatuor peragi solet, vulgo creditur ista, quod quadruplex sit Christi adventus: in carnem, in cor, ad mortem et ad extremum judicium. Ecclesia autem ab adventu annum suum et officia ecclesiastica de novo orditur ideo, quod adventus Christi in carnem fuerit tempus renovationis omnium. Nato enim Christo transierunt veteres typi et umbrae legales V. T. et ecce nova facta sunt omnia. — §. 2. Praeterea in hunc usque diem apud nos moris est, ut per adventum nuptiae non celebrentur, qui mos in Ilerdensi concil. sancitus est, quod habitum sec. VI. ineunte. Decretum synod. Ilerdens. Gratianus hoc refert dist. 33, qu. 4: *Non oportet a septuagesima usque ad octavam paschae et tribus hebdomadis ante festum S. Johannis, et ab adventu usque ad epiphaniam nuptias celebrare. Quod si qui fecerint, denuo separentur.* Sequiori vero aevo sacrum hoc tempus adventus variis superstitionibus in papatu fuit pollutum. Soliti enim sunt nonnulli per tres dies, qui proxime natalem praecedunt, *hinc*

inde currere, ostia pulsare, hymnis natum Christum intimare et imminentis anni felix auspicium precari et nummos, pira, poma, nuces ad eum modum conquirere. Nec haec munuscula facile quis deinde negavit, quod crediderunt, horundem dierum noctes infaustas esse. Videtur haec superstitio ab ethnico festo Lemuriorum coepisse, quod festum gentiles ad placandos manes tribus noctibus agere solebant. Ne nunc dicam de superstitione quarundam puellarum, *quae tempore adventus, ut nomen sponsi resciscant, cepas juxta fornacem collocant, vel ex strue lignorum sudem extrahunt, quae si nodosa fuerit, rigidum quoque fore maritum stolide existimant*, prout ista refert Thom. Naogeorg. in regno suo papistico lib. 4.

Festum Nicolai. §. 1. Agitur die sexto decembris. Natus creditur S. Nicolaus in Lycia parentibus christianis. Fama est, illum concilio Nicaeno interfuisse. A puero pietatem coluit, adeo ut, cum alii pueri luderent, ipse in templum pergeret et integras aliquot conciones memoriae infigeret. Utroque parente orbus, patremfamilias egit et erga pauperes insigniter liberalem se praebuit. Factus denique est episcopus in Lycia. Morti vicinus sacerdotes suos graviter admonuit, ut in fide Nicaena perseverarent. Tandem obiit inter haec verba: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* Atque hanc ego existimo de S. Nicolao veram historiam. — §. 2. In papatu mos coepit, ut pueri in vigilia S. Nicolai jejunent et orent. Interea parentes liberis suis varia munuscula ponunt iisque persuadent, S. Nicolaum dormientibus haec attulisse. Mos inde coepit, quod traditum sit, *non procul a S. Nicolao virum nobilem sed pauperem habitasse, qui cum tres adultas haberet filias, pater, ut victum sibi pararet, prostituere voluit. Id cum audit S. Nicolaus, noctu gravem auri massam per vicini fenestram projecit. Mane facto vicinus aurum reperit et filiam primogenitam honeste statim elocat. Non diu post Nicolaus similem auri massam fenestrae indit. Hospes auro iterum reperto vigilare constituit, ut largitorem hunc agnosceret. Tertium S. Nicolaus duplicatam auri massam domui injicit, quo sonitu excitus hospes Nicolaum fugientem insequitur. Sed Nicolaus deprehensus hoc unum a vicino exigit, ne, dum ipse* (Nicolaus) *viveret, suum hoc factum manifestaret*; prout ista refert prolixe Antoninus in summa historiarum 2, 3, tit. 9. Quidquid sit de fide hujus narrationis, nata hinc est opinio, S. Nicolaum cum famulis suis per vicos et oppida discurrere, clausas fenestras ingredi et dona profundere. Vitam S. Nicolai Methodius patriarcha sermone graeco plenius descripsit, quam Johannes Diaconus in latinum convertit.

Festum conceptionis Mariae. §. 1. Festum hoc apud Pontificios inter solenniora anni festa adhuc die octavo decemb. agitur. De origine scriptores ecclesiastici non consentiunt. Alii existimant, tempore Caroli M. coepisse ex instituto patriarchae Aquilejensis, cui (si vera est fabula) in juventute uxorem ducturo b. Virgo nupserit, ut legere est apud Jacobum de Voragine, qui cum esset plumbei cordis et ad nullum mendacium erubescat, auream tamen, quam vocant, Legendam scripsit, revera autem mendaciorum vorago est. Bellarminus existimat, festum conceptionis Mariae circa tempora S. Bernhardi, qui a. Chr. 1130. vixit, adeoque Sec. XII. coepisse. Scaliger de emendatione temporum,

et qui eum sequitur Sethus Calvisius in chronol. auctorem hujus festi constituit Urbanum VI. papam a. Chr. 1388. Onuphrius Panvinius hanc laudem Sixto IV. tribuit, qui papatum tenuit a. Chr. 1471. Sed fuit hoc in ecclesia ante Sixtum, tempore concil. Basileensis a. Chr. 1439. Nam sess. 36. hoc decretum format: *Nos festum conceptionis Mariae renovamus et in omnibus ecclesiis observari volumus.* — §. 2. Circa festum conceptionis Mariae controversia, quae inter ipsos adhuc Pontificios nondum decisa est, breviter memoranda est. Docent Dominicani, b. Virginem in peccato quidem conceptam, sed in utero sanctificatam sine peccato natam fuisse. Franciscani autem docent, b. Virginem sine peccato non natam, sed et conceptam fuisse. Quid ad haec veteres Christiani? Per prima sane XI. secula Pontificii ne unum quidem nominare possunt, qui dixerit, b. Virginem sine peccato conceptam natamve fuisse, atque hoc ex ipsis Pontificiis Melch. Canus in loc. theol. lib. 7. confitetur. Citant quidem nonnulli Augustinum, qui (de natura et gratia c. 36.) sic scribit: *Cum de peccato agitur, de b. Virgine quaestionem esse nolo.* Sed contextus evidenter ostendit, Augustinum de peccato actuali, non originali, de quo quaestio est, ibidem loqui, quod et ex Pontificiis *Dominicus a Soto* agnoscit. Sec. XII. demum Lugduni fuere canonici, a quibus omnium primis immaculata conceptio b. Virginis publicis sacris fuit illata. Hos propterea Bernhardus, eximius alias laudator b. Virginis, ep. 174. graviter reprehendit: *Cur*, inquit, *vos canonici novam celebritatem induxistis, quam nec traditio nec ratio commendat? An vos doctiores estis patribus? Unde vobis sanctitas conceptionis Mariae innotuit?* Sec. demum XIII. cum Scholastici emergerent, Thomas Aquinas in summa Theol. part. 3. quaest. 27. docuit, Mariam in peccato conceptam, cum et ipsa vulgari modo per libidinem maris et foeminae concepta esset. Putavit autem pie credi posse, quod post conceptionem ab originis peccato mundata esset. Atque hanc Thomae sententiam hodienum Dominicani omnes profitentur. Postea Joh. Scotus disputavit, per absolutam Dei potentiam fieri potuisse, ut b. Virgo sine peccato originis conciperetur. Et hoc sibi probabile videri, nisi S. Scriptura obstaret, quae excepto Christo homines omnes peccatores pronunciat. Nihilominus, qui Scotum sequuntur Franciscani, id quod fieri potuisse dixerat Scotus, veluti revera factum crediderunt ideoque in hunc usque diem docent, b. Virginem sine originis peccato conceptam. Atque haec sententia concilio quoque Basileensi, tanquam pia, complacuit, adeo ut prohibuerit, ne quis contra immaculatam conceptionem Mariae publice praedicaret. — §. 3. Post concilium Basil. Sixtus IV., ex monacho Franciscano papa factus, festum, quod olim conceptioni Mariae erat sacrum, primus festum immaculatae conceptionis appellandum statuit et inter majora anni festa retulit. Interim nec ipse nec quisquam romanorum pontificum in hunc usque diem ex cathedra Petri hanc controversiam definire ausus est, quod singuli Pontifices ordinem Dominicanorum potentem et in inquirendis haereticis utilem metuerint. Imo cum rex Hispaniae avorum memoria ad Pontificem scriberet et peteret, quaestionem hanc definiri, respondit papa, sibi nondum a Deo hoc revelatum esse. Sed vera causa erat, quod

Dominicanos metueret. Interim Franciscani, qui docent, b. Virginem sine peccato conceptam, rem eo deduxerunt, ut hodie nemini contra ipsorum sententiam sive publice sive privatim disputare liceat, donec commodum Pontifici videatur, novum inde oraculum fidei orbi christiano obtrudere.

Festum Thomae apostoli. §. 1. Cum in ecclesiis nostris non Christi tantum, sed et Apostolorum festa alicubi celebrentur, placuit etiam eorundem dies festos libello huic inserere. Et Thomae quidem apostoli dies vicesimus primus decembr. feriatus est. Thomas cognomine Didymus a Christo apostolus constituitur Matth. 10, 3; Christum tantopere dilexit, ut ad discipulos diceret: *Eamus et nos, ut cum eo moriamur*. Joh. 11, 16. Graviter lapsus videtur, quod resurrectionem Christi referentibus Apostolis nollet credere dicens: *Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum etc., non credam*. Joh. 20, 25; quamquam multi ex antiquis doctoribus Thomam excusent. Ita enim Augustinus (Serm. de temp. 156.): *Haec vox*, inquit, *non fuit negantis, sed inquirentis; dum hoc dixit, doceri voluit: O sancta infidelitas, quae tot seculorum fidei militat!* Eleganter in rem praesentem Gregor. M. (hom. 26. in evang.): *Dum Thomas*, inquit, *in Christo cicatrices vulnerum tangit, in nobis vulnera infidelitatis sanavit*. Aureum quoque est fidei symbolum, quod Thomas, cum vulnera Christi tangeret, genibus flexis addidit: *Dominus meus et Deus meus!* (v. 28.) quo ipse Christum θεάνθρωπον professus est. — §. 2. Post ascensionem Christi Thomas, dicente Hieronymo, *ad Parthos, Medos et Persas in Indiam, quin et ad Germanos primus evangelium detulit*. Eusebius hist. eccl. 3, 1. auctor est, quod, cum Apostoli orbem inter se dividerent, *Thomae per sortem Parthica contigerit*, sed et Chrysostomus scribit, Thomam in Aethiopia docuisse et Abyssinos, qui hodie Presbytero Johanni subsunt, primum informasse. Verba Chrysostomi (hom. 12 de apost.) sunt: *Thomas dealbavit* (h. e. ad Christum contulit) *Aethiopes*. Idem Chrysostomus, vel quisquis auctor sit imperfecti operis, refert, *Thomam etiam magos istos, qui nova stella exciti Christum Bethlehemi invenerunt, baptizasse et in docendo collegas suos ordinasse*. Non habemus alium apostolum, qui docendi causa orbem latius sit progressus quam Thomas. Est enim constans traditio, Thomam in Indiam usque penetrasse. Vid. Baron. in annal. ad a. Chr. 44. *Reperti quoque sunt Christiani in India, qui ex veteri traditione gloriantur, Thomam apostolum apud se fuisse, docuisse et ecclesias fundasse*, scribit Osorius Episc. Sylvensis in Hist. Indica. — §. 3 Supererit, ut martyrium S. Thomae spectemus, quod in India accidisse historici consentiunt. Alii dicunt, S. Thomam ad mandatum regis indici in solis templum fuisse ductum, adorare idolum solis jussum; procubuit quidem Thomas coram idolo, sed hebraeo sermone Deum, patrem Domini nostri J. C., adoravit precibusque finitis daemoni praecepit, ut comminuto idolo exiret. Petiit daemon, ut non idolum tantum, sed totum templum cum omnibus, qui intus essent, perdere sibi liceret, quod tamen apostolus concedere noluit. Statim igitur aeneum solis idolum instar cerae liquefactum est, quod cum sacerdotes cernerent, pontifex iratus, ut Deum suum vindicaret, gladio apostolum transfixit. Rem paulo aliter narrat Hieron. Osorius, nempe ita: *Urbem in India esse,*

quae adhuc dicta sit urbs Thomae. Ibidem in colle ostendi templum, in quo Thomas sit occisus. Ostendit quoque lapideam crucem, quam cives dicant apostoli sanguine aspersam fuisse. Auctor est Rufinus hist. eccl. 2, 5., corpus Thomae circa a. Chr. 230. consentiente Alexandro Severo ex India in Syriam fuisse delatum et Edessae sepultum, in qua urbe martyrium Thomae extare Socrates meminit hist. eccl. 4, 18.

Festum nativitatis Christi. §. 1. De origine hujus festi scriptores dissentiunt. Primus, qui in ecclesia hujus festi meminit, est Theophilus, circa a. Chr. 170. Antiochiae episcopus, in epistola paschali. *Sub finem Sec. III., cum ultima eaque acerrima esset persecutio Nicomediae multa millia Christianorum, ut natalem Salvatoris agerent, in templo convenisse dicuntur. Re comperta tyrannus ante fores templi thus in tripode exposuit, et Christianis in templo nunciari fecit, ut, qui thura diis offerrent, salvi e templo exirent, reliqui omnes vivi comburerentur. Sed amore nati Jesuli ne unus quidem templo exiit, ideoque templo inclusi omnes vivicomburio martyres facti sunt, et in coelis nasci meruerunt eodem die, quo propter ipsos in terris natus erat Dominus.* Refert ista Nicephorus hist. eccl. 7, 5. — §. 2. Inprimis circa festum nativitatis sciendum, per prima quatuor secula, etsi in ecclesiis plurimis ageretur, universale tamen, vel per singulas ecclesias celebratum non fuisse. Fidem ejus rei facit Augustinus, qui circa confinia IV. et V. sec. vixit. Is enim in egregia epist. 118. ad Januarium ecclesiae festa oecumenica recenset ita: passionem Christi, resurrectionem, ascensionem, adventum Spiritus S. de coelo. Haec festa dicit toto orbe christiano frequentari, non utique omissurus festum natale, si et hoc per universam ecclesiam saltem in Africa a. Chr. 520. fuisset celebratum. Qui edictum promulgavit, ut natalis Domini per totum terrarum orbem celebraretur, hanc laudem Justino Nicephorus tribuit hist. eccl. 17, 28. — §. 3. Quo autem die festum nativitatis Christi agi debeat, apud veteres non est omnino certum. Refert enim Cassianus in prooemio ad Theophilum, Aegyptios haec tria festa, epiphaniam, nativitatem Domini, baptismum Christi uno eodemque die egisse. Apud nos consuetudo antiquissima agendi festum natale VIII. kal. jan. perseverat, quod non minus antiqua traditio sit, Christum VIII. kal. jan. natum fuisse, quae opinio jam Augustini aevo recepta fuit, ut patet ex August. lib. 4. de Trinit. Quicquid autem de eo sit, hodierni chronologi, quorum agmen ducit Scaliger (de emend. temp.), evidenti ratione ostendunt, Christum ineunte januario conceptum et circa confinia mensium septemb. et octob. in lucem editum fuisse, quando apud Judaeos festum erat tabernaculorum. Quo sine dubio alludit Johannes 1, 14: *Verbum caro factum est, καὶ ἐσκήνωσεν, h. e. scenam vel tabernaculum erexit in nobis.* Quoto autem die vel quota noctis hora natus sit Christus, praecise non constat. — §. 4. Prisci patres varia encomia festo nativitatis dominicae tribuunt. Basilius M.: *Nos*, inquit, *θεοφανείαν festum hoc vocamus, quo Deus factus est conspicuus in carne.* Alii veterum vocant *festum luminarium*, non ideo tantum, quod eodem die verum de lumine lumen, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, apparuerit, sed et ideo, quod veteres in vigilia hujus festi per inte-

gram aliquando noctem cereos et lumina accenderent. Extat insignis oratio Gregorii Nazianz. in sancta lumina, quae die natali habita videtur. Quid? S. Chrysost. in orat. de Philogonio festum natale *festorum totius anni metropolim* appellat. *Venerabilis Beda* qui a. Chr. 730. in Anglia claruit, *festum natale, pascha et pentecosten tria majora anni solennia* vocat. Germani adhuc vocant: Weihenacht, noctem sanctam, quod in ea sanctus sanctorum natus sit. Nam veteri Germanorum lingua: weihen est sacrare, einweihen consecrare, Kirchweihe consecratio templi, Weihrauch fumus sacer ex thure. Alii derivant a graeco *μύεσθαι, initiari,* quia per nativitatem domini nos initiati et ab immunda nativitate nostra sanctificati sumus. — §. 5. Quod ad ritus et mores Christianorum attinet, quos natali festo observarunt, auctor est Gregor. Nazianz., *solitos olim fuisse Christianos die hoc festo januas coronare, molles vestes induere, auro et gemmis superbire, toros altos sternere et choreas ducere,* quos mores Gregorius habita in festo nativ. Chr. homilia graviter reprehendit. Sec. X. vixit Luitprandus, qui (hist. de rebus per Europam suo tempore gestis lib. 4.) scribit, Constantinopoli in honorem nati Salvatoris solennia convivia fuisse instructa. Verba Luitprandi sunt: *Cum nativitas Domini quoad carnem celebratur Constantinopoli, mensae undeviginti ponuntur, in quibus imperator et caeteri convivae non sedent, sed recumbunt, et per hos dies ex aureis vasis editur ac bibitur.* Subjungit idem auctor, *varia jucunda spectacula in his conviviis exhibita.* Quibus merito connumeranda est pontificia compotatio, quam Pontifex in vespera fest. nativ. instituit et lib. 2. Ceremon. Rom. prolixe describit. Quin et Durandus (Ration. temp. lib. 6.) scribit, *in eodem festo morem fuisse, ut praelati h. e. episcopi et abbates cum subditis suis, h. e. clericis et monachis pueriliter colluserint. Interdum ad pilae quoque ludum et ad choreas turpiter condescendunt.* Solent adhuc Pontificii nocte natali tres missas legere. Unam media nocte, quod tunc temporis natum Christum existiment; alteram sub auroram, quod eo tempore angeli pastoribus apparuerint; tertiam in matutino, quod tum temporis Jesulus in praesepi Bethlehemitico a pastoribus inventus sit. — §. 6. Quod olim in Anglia fest. nativ. peractum sit, Polydorus Vergilius (de invent. rerum) nos docet, dum hoc festo servos in suos dominos potestatem habuisse refert. Sed recte addit, morem hunc ab ethnicorum saturnalibus descendere. Sed et apud Germanos hodie multi noctem, qua nativitatem domini memorare debebant, ita transigunt, ut non noctem sanctam (Weihenacht), sed noctem vinosam (Weinnacht) nocturnis commessationibus aliisque petulantiis agant. Quod quam male in dioecesi Halberstadiensi Ochero cuidam aliisque quindecim personis cesserit, Trithemius in Chron. Hirsaugiens. recenset: *Hi enim nocte natali male sobrii cum ante fores templi saltarent, sacra publica turbarent nec per aedituum se corrigi paterentur, sacerdos Rupertus iisdem imprecatus est, ut toto anno sic saltarent; quod et factum.* — §. 7. Solet praeterea Pontifex nocte natali *ensem* consecrare eumque velut symbolum singularis amicitiae ad principem aliquem mittere, ut meminerit ille, se a Christi vicario h. e. romano pontifice potestatem suam accepisse. Qua de re vid. Ceremon. Rom. — §. 8. Denique in nostris ecclesiis nocte

natali parentes varia munuscula: crepundia, cistellas, vestes, vehicula, poma, nuces etc. liberis suis donant, quibus plerumque virga additur, ut metu castigationis eo facilius regantur. Dantur haec munuscula nomine S. Christi, quem per tegulas vel fenestras illabi vel cum angelis domos obire fingunt. Mos iste similiter a saturnalibus gentilium descendere videtur, *in quibus ethnicos sportulas sive varia munera ultro citroque misisse*, antiquissimus patrum Tertullianus meminit in lib. de persecut.

Festum S. Stephani. §. 1. Ab antiquo mos adhuc perseverat, ut festum nativ. immediate festum S. Stephani, festum Johannis evangelistae et festum Innocentum ex ordine subjungatur. Et diem quidem S. Stephani cum natali dominico ante haec fere XIII. sec. conjunctum fuisse, docet Gregor. Nyss., qui in serm. de S. Stephano ita scribit: *Ecce, carissimi, nos festum ex festo agimus. Heri dominus universi nos cibavit, hodie nos pascit domini imitator. Quomodo ille? Christus hominem pro vobis induit, Stephanus pro Christo hominem exuit. Christus speluncam vitae propter vos subiit; Stephanus propter Christum de spelunca exiit; Christus fasciis, Stephanus pro Christo lapidibus involvitur.* — §. 2. Durandus (in Rat. Temp.) duas rationes reddit, ob quas prisci diem Stephani, Johannis evangelistae, puerorum innocentum cum festo nativitatis Christi conjunxerint. Prior ratio est: *Quemadmodum*, inquit, *regi urbem intranti comites additi sunt, sic et ecclesia Salvatori mundum ingresso congruos comites voluit adjungere. Qui autem sunt hi comites? Ea de re in cantico sic dicitur: Dilectus meus*, h. e. puer Jesus, *est candidus et rubicundus, electus ex millibus. Ecclesia igitur Christo nato comitem rubicundum sive S. Stephanum, qui rubicundum pro Christo sanguinem fudit, comitem candidum S. Johannem evangelistam, quem candor virgineus commendat, et multa millia infantum, e quibus electus puer Jesus, cum reliqui omnes occiderentur in tractu Bethlehemitico, pulchre addidit.* Posterior ratio, ob quam hi dies festi sunt conjuncti, illa est: *Sicuti natalis Christi est ingressus in hunc mundum, ita natales martyrum dicuntur egressus eorundem de hoc mundo. Ecclesia igitur cum natali dominico natales martyrum omnis generis apposuit. Sunt enim, ex veterum mente, martyres in triplici differentia. Alii opere et voluntate, qualis S. Stephanus, qui non tam voluit mori pro Christo, sed et opere ipso mortuus est. Alii sunt martyres voluntate sed non opere; talis est Johannes evangelista, paratus quidem pro Christo mori, reapse tamen non occisus. Alii denique sunt martyres opere sed non voluntate, v. g. pueri innocentes, occisi pro Christo antequam ad usum rationis pervenerunt. Merito igitur cum natali domini natales horum martyrum combinantur.* — §. 3. Ad Stephanum quod attinet, fuit ille Hierosolymis de septem diaconorum collegio, quibus Apostoli bona fidelium in communem necessitatem collata dederant distribuenda. Verum Stephanus non diaconus tantum, sed et insignis doctor ecclesiae exstitit, quod ex prolixa ejus concione in schola Libertinorum habita constat. Sed nos jam breviter varias dignitates Stephani, quibus plurimos Sanctorum antecellit, conferamus. *Quod facies in media concione velut angeli vultus resplenduerit et coeleste aliquod jubar de se sparserit.* Quot verba, tot fulgura, perinde uti de Mose dicitur, quod a colloquio Dei reversus ita splenduerit, ut populus splendori ferendo par non

fuerit. Angelicus hic splendor Stephani angelicos ejus mores, angelicam vitam, candorem animi, fiduciam bonae causae et radios divinae gratiae intus reconditae ostendit. Deinde splendor hic angelicus improbos auditores percellere debuit, ut non arrectis tantum auribus, sed et intentis oculis docentem audirent. — §. 4. *Quod antesignanus sit cantat martyrum exercitus.* Hinc, quemadmodum veteribus pueri innocentes *flores martyrum*, ita Stephanus *protomartyr vel primicerius martyrum* dicitur. Quo etiam animo lapidum imbres exceperit, eleganter docet poëta

Ibat ovans animis et spe sua damna levabat.

Antiqua est traditio, Stephanum extra portam septentrionalem fuisse ductum, cum lapidari debuit quae olim porta Ephraim, postea a Christianis *porta Stephani* sit dicta. Saxum, in quo supplicium pertulit, integro stadio Hierosolymis abfuit et postea in basilicam fuit conversum, teste Burchardo monacho, qui terram sanctam ipse lustravit. Scribit quidem Augustinus (serm. de divers. 37.), quod cum lapidaretur Stephanus lapidem cubito excusserit ad pedes cujusdam Christiani, qui eundem ad Italos Anconiam detulerit, nam ἀγκών cubitum significat. Sed hujus rei fides penes auctorem sit. Etsi enim Augustinus sit scriptor fide dignus, sciendum tamen est, quod sermonibus Augustini multa videntur manu aliena inserta. — §. 5. Dignitas Stephani est, *quod, dicente Luca Act.* 4, 8. *plenus fide ac potentia ediderit miracula et magna signa*, quae tamen in sacr. literis non exprimuntur. Antiqui referunt, Stephanum etiam a morte miraculis claruisse, quae quidem nos vix crederemus, nisi auctoritas Augustini nos permoveret. Refert enim Augustinus (de civit. Dei lib. ult.) *quod ad memoriam Stephani fuerint restituti duo podagrici, coeci nonnulli, quin et mortui in vitam revocati, imo semetipsum oculis suis vidisse qui ipso praesente in ecclesia Hipponensi ad memoriam Stephani fuerunt sanati etc.* Quae si omnino velimus negare, eadem opera fidem omnem historicam evertere possemus. Interim non sunt haec miracula facta ad confirmandum cultum Sanctorum, sed ad confirmandam fidem, ob quam S. Stephanus aliique Sancti occisi sunt. — §. 6. Dignitas Stephani est, *quod coelos viderit apertos et Jesum a Dei dextris stantem*. Quaerunt h. l. veteres, unde factum, quod Stephanus stantem ad Dei dextram Jesum suum conspexerit, cum in symbolo profiteamur, Christum sedere ad Dei dextram? Respondetur autem, quod utraque formula loquendi figurata sit et a doctoribus varie explicetur. Sessio Christi ad dextram denotat quietem, in qua nunc est Christus post negotium redemtionis nostrae consummatum. Deinde sessio illa Christi judiciariam ejus potestatem indicat. Nam sedere judicis est. Verum in historia Stephani stare conspicitur tanquam advocatus, qui causam Stephani in curia coelesti egit. Nam advocatum stare oportet coram judicio. Haec statio innuit, voluisse Christum de coeli theatro quasi prospicere, quid in terris de S. Stephano fieret, ut eundem certantem juvaret et vincentem coronaret. Stare visus est, quippe qui Stephano in occursum prodire voluit ejusque animam per saxorum nimbos de corpore pulsam reverenter excipere. Viro enim honorato ad nos intranti assurgere solemus. —

§. 7. Dignitas Stephani est, *quod martyrium ejus passioni dominicae in plerisque sit conforme.* Sicut enim Salvator extra urbem fuit crucifixus, sic et Stephanus extra portam Ephraim ad infame supplicium deductus. Quemadmodum contra Christum patientem, sic et contra Stephanum falsi testes producti sunt, qui verba blasphema, contra Deum et Mosem dicta, Stephano imputarunt, Act. 6, 13—14. Sicut Salvator noster in extremis animam in manus patris coelestis, sic et Stephanus suam animam in Christi manus resignavit, dicens: Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Act. 7, 59. Sicut Christus noster pro crucifixoribus suis oravit, dicens: ignosce, Pater: sic et Stephanus pro inimicis orasse legitur. Imo observat Venerabilis Beda (in lib. de Locis sanct.), quod Stephanus pro se suaque anima stando oraverit: sed cum pro inimicis orare voluit in genua descenderit. *O ardentem caritatem!* exclamat Augustinus, *o caritatem sine exemplo! Si Stephanus non orasset, ecclesia Paulum non haberet.* — §. 8. Dignitas Stephani est, *quod a morte tres aureolas sit adeptus.* Aureolas Scholastici vocant spirituales gradus gloriae beatorum, quos non nisi martyribus, doctoribus et virginibus deberi existimant. Verum Stephano debetur aureola martyrum, quia protomartyr est; aureola virginum, quia coelebs obiit; aureola doctorum. Quam insignis enim fuerit doctor, ex insigni ejus oratione Act. 7. constat. Erat Stephanus a puero sacras literas edoctus in schola Gamalielis, in qua condiscipulum Saulum habuit. Vid. Lucianus Presbyter, qui ex professo librum de S. Stephano edidit. — §. 9. Defuncti Stephani corpus pii viri sepeliisse leguntur Act. 8, 2. Lucianus refert, *Judaeos mandasse, ut corpus S. Stephani sub dio avibus in praedam relinqueretur. Sed Gamalielem viros religiosos misisse, qui corpus Stephani vehiculo impositum ad villam Gamalielis pertraxerint inque Gamalielis sepulcro cum luctu magno sepeliverint.* Notabile est, quod a Christianis omnium primus fuerit Stephanus, cui post ascensionem Christi solennes exequiae habitae sunt, unde postea mos in ecclesiam transiit, mortuos honeste sepeliendi. Lapidatus autem est Stephanus a. Chr. 34., ad quem annum vide, si placet, plurimis annales Baronii.

Festum Johannis evangelistae. §. 1. Tertius a festo nativ. dies sacer est Johanni apostolo. Natus hic est patre Zebedaeo, matre Salome, fuitque piscator donec fieret apostolus. Prisci et huic viro varias dignitates assignant, in quibus est: *excellens sapientia, qua apostolis fere omnibus praeiverit.* Imo cum caeteri evangelistae circa humanitatem Christi occupantur, ipse statim in initio evangelii ad divinitatem Verbi ascendit, facto evangelii sui tam splendido exordio, ut ejus simile in toto codice biblico non extet. Ratio, quae Johannem ad scribendum evangelium impulit, ab antiquis gemina redditur. Prior est, *ut suppleret ea, quae caeteri evangelistae omiserant,* teste Euseb. hist. eccl. 3, 18. Posterior est, *ut contra Ebionem et Cerinthum haeresiarchas divinitatem Filii Dei defenderet,* qua de re ita Hieronymus (de script. eccl.): *Novissimus,* inquit, *omnium evangelium scripsit S. Johannes, rogatu episcoporum in Asia, ut Cerinthum, maxime Ebionem, docentes Christum in utero matris primum coepisse, refelleret.* Ob sublimem, qua utitur, dictionem, cum

aquila confertur Apoc. 4, 7. Addit Vener. Beda: *Si in initio evangelii altius evolasset Johannes, totus mundus illum intelligere non potuisset.* Quantus sapientiae thesaurus in Johanne fuerit reconditus praeter evangelium, non epistolae tantum ejus, sed et apocalypsis egregie ostendunt. De apocalypsi scribit Hieronymus: *Sunt in ea tot fere mysteria quot voces.* Sed prisci rationem reddunt, unde hausta sit haec tanta sapientia. Ita enim August. (in tract. super Joh.): *Johannes,* inquit, *de pectore Christi, in quo omnes thesauri scientiae ac sapientiae latent, tot secreta mysteria suxit ac bibit, et dum a pectore Christi bibit, divinitatem ejus eructavit.* Quin et ecclesia in festo Johannis olim cecinit:

Volat avis sine meta
Quo nec vates nec propheta
Evolavit altius
Tam implenda quam impleta
Nunquam vidit tot secreta
Purus homo purius.

§. 2. Dignitas Johannis est, *quod semper virgo et coelebs manserit,* cum Apostoli, Petrus ipse, uxorati essent. Fuit quidem olim in ecclesia traditum, Johannem in nuptiis Canae Galilaeae sponsum fuisse: sed viso miraculo sponsa relicta Christum esse secutum. Sed narratio sine dubio falsa ex verbis Augustini male intellectis desumta. Scribit enim Augustinus (in prooemio tract. super Joh.) quod dominus de fluctivaga tempestate nuptiarum eum eripuerit. Sed nihil aliud vult Augustinus, quam quod dominus Spiritu S. praecaverit, ne tam carus discipulus animum rei uxoriae applicaret. — §. 3. Dignitas Johannis est, *singularis amor Christi*, a quo Johannes in S. S. discipulus, quem diligebat Jesus, communiter dicitur. Disputant veteres, quid dominum permoverit, ut Johannem vehementius quam reliquos discipulos amaret? Prisci patres ecclesiae hujus amoris rationes quinque reddunt. Alii putant, Johannem prae caeteris ideo dilectum, *quod fuerit cognatus Jesu.* Sunt autem *agnati, quos Christus habet, duum generum*: *alii quoad carnem*, quales in genealogia Christi memorantur Matth. I., *alii quoad spiritum*, qui voluntatem Dei faciunt, dicente ipso Christo Matth. 12, 46. Utroque modo Johannes erat Christi cognatus; quoad spiritum, quia vir sanctus erat; quoad carnem, quia ipse et Christus erant consobrini. Alii rationem amoris hanc reddunt, *quod Johannes aeque ac Christus in perpetuo coelibatu semper virgo manserit, cum caeteri Apostoli uxorati essent.* Alii amorem Christi erga Johannem inde derivant, *quod Johannes re et nomine esset Johannes vel gratiosus,* amabilis in convictu, comis et jucundus in conversatione. Alii inde *quod Johannes vicissim Christum omnium maxime diligeret.* Certe quam plenus Johannes amore Christi fuerit, ex ejus epistolis constat. Neque enim alius apostolus est, qui toties praeceptum caritatis inculcet. Cum et morti vicinus hoc unum assidue dixisse fertur: *Filioli, diligite vos invicem.* Quaesitus, cur toties hoc unum diceret? respondit: *quod, si hoc unum fiat, sufficiat*, teste Hieronymo in vita Johannis. Alii denique, quibus nos accedimus, Johannem ideo prae ceteris dilectum exprimunt, *quod ab adolescentia sua, et, ut vulgo creditur, ab aetatis suae anno* 18.

Christum subsecutus fuerit. Solet enim Christus cumprimis juvenes diligere, qui a puero jugum ejus portant, ut dicitur Thren. 3, 27. — § 4. Dignitas Johannis est, *quod Salvatori nostro familiarissimus fuerit.* Hujus familiaritatis signa in sacr. literis tria extant: *quod in mensa ad pectus domini incubuerit.* Solebant veteres in triclinio non sedere, sed culcitris inniti et caput alterius pectori insinuare. Is vero, qui caput mensae erat, hos, quos prae ceteris amabat, v. g. uxorem, liberos, cognatos, proxime a se ponere. Ita quoque Christus, cum in mensa Johannem in sinum suum recepit, indicavit, se eodem familiarius uti. *Quod Johannes Christo a secretioribus fuerit.* Hinc cum dominus filiam Jairi resuscitaret, cum transfiguraretur in monte Thabor et cum sanguinem in horto funderet, neminem secum sumsit, nisi Johannem nostrum, Petrum et Jacobum. Familiaritatis signum est, *quod Christus in ultima coena soli Johanni proditorem suum revelavit et sub fide silentii in aurem ejus deposuit*, ut legitur Joh. 13, 21. — §. 5. Dignitas Johannis est, quod Christus crucifixus eidem curam matris suae, virginem virgini, commendaverit dicens: *Ecce mater tua!* Quo dicto dominus Johannem fratrem suum et curatorem ac patronum b. Virginis constituit. Eleganter hac de re Ambrosius in Serm.: *Auctor pietatis*, inquit, *cum in cruce penderet*, *egregium testamentum condidit, quo Apostolis crucem suam, latroni poenitenti paradisum, Judaeis corpus suum, patri coelesti spiritum suum, sed virgini matri paranymphum Johannem legavit.* — §. 6. Dignitas Johannis est, *quod unus ipse Sanctorum fere omnium encomia habuit.* Fuit enim *apostolus*, ut ex tribus ejus epistolis constat, quarum prima semper in ecclesia pro canónica fuit *habita*. Sed circa duas posteriores dubium fuit olim, non tam de auctoritate quam de auctore earundem. Fuit *evangelista in evangelio*, quod scripsit. Fuit *propheta in apocalypsi*, in qua statum ecclesiae refert usque ad finem mundi. Sed et aliud vaticinium Johannis Irenaeus (5, 3.) refert. *Voluit enim aliquando Johannes balneum ingredi*, *in quo cum Cerinthum haeresiarcham cerneret*, *fugite*, inquit ad comites, *ne balneum in nos ruat, ubi inimicus veritatis lavat. Cum dicto balneum corruit et Cerinthum cum sociis oppressit.* Fuit Johannes *virgo*, quia tota vita a conjugio abstinuit. Fuit tantus *ecclesiae doctor*, ut ipse Christus eum *Βοανεργές* appellet Marc. 3, 17., ob sonoram vocem, quae toto orbe intonuit. Cumprimis Johannes fuit apostolus Asiae, ut refert Euseb. hist. eccl. 3, 1. cum et Ephesi in Asia obiit. Fuit *martyr*, quod ob fidem Christi supplicia gravissima pertulit. Neque enim tantum virgis caesus est (Act. 5, 40.), sed et Romae jussu Domitiani in fervens oleum injectus, unde tamen sanior exiit quam intravit, uti refert Tertull. de praescr. 36. Nihilominus in insulam Pathmum, sitam in mari Aegaeo, fuit relegatus, donec post obitum Domitiani exules revocarentur. Tunc quoque Johannes Ephesum rediit ibique ad mortem usque permansit, teste Athanasio in synopsi S. Scripturae. — §. 7. Dignitas Johannis est, *quod Apóstolos omnes superviserit.* Vixit enim usque ad sec. secundi initia, et obiit a. Chr. 101., aetatis suae 98. De obitu Johannis veterum sententiae variant. Nam inter ipsos Apostolos sermo olim exiit, nunquam Johannem moriturum Joh. 21, 22., cum discipuli id, quod Dominus sub hypothesi dixerat,

quasi absolute dictum acciperent. Et quamvis ipse Christus hunc discipulorum errorem statim refutaverit, fuerunt tamen adhuc aevo Augustini, qui dicerent, Johannem adhuc vivere, ut refert Augustinus in tract. super Johan. Hodie de obitu Johannis talis historia refertur. In ipso festo paschae, cum S. Johannes rem divinam peregisset et concionem Ephesi habuisset, ardentes pro ecclesia preces addidit et eucharistiam, quam ipse confecerat, sumsit; quo peracto jussit tumulum fieri, quem ingressus, manibus ad coelum expansis, ecclesiae benedixit hac formula: Filioli, pax vobiscum! Quo dicto similis dormienti in tumulo recubuit et humo fuit contectus cum magno luctu ecclesiae Ephesinae, prout Georg. Wicelius ex antiquo codice in choro Sanctorum refert. Addunt alii de tumulo S. Johannis oleum scaturiisse, sed hoc sine dubio fabula est. — §. 8. Antequam hinc abeamus, operae pretium est, ut duos abusus, qui in festa Stephani et Johannis irrepserunt, notemus. Altera superstitio est, quod in festo S. Stephani equos exerceant, donec toto corpore sudent; postea ad fabros ducant, qui equis venam pertundant, rati tales equos anno proximo mori non posse. Quasi vero Stephanus equorum unquam curam gesserit! Altera superstitio est, quod in festo Johannis apostoli sibi invicem benedictionem S. Johannis, vel haustum Johannis (Nostri vocant: den Johannes-Segen oder Trunk) mittere solent. Putant nonnulli hunc morem a veteribus ethnicis descendere, qui sub initium januarii vinum honorarium amicis suis mittere solebant in honorem bicipitis Jani, quem primum vitium satorem putant. Christiani postea ex Jano Johannem formarunt. Legitur alias in vita Johannis, quod poculum vini, veneno mixtum, propinatum ei fuerit, sed Johannes, cum poculum cruce signasset, sine damno ebibit. Hinc adhuc Johannes cum calice pingitur, ex quo serpens promicat. Forte hinc nata est superstitio mittendi in festo Johannis vinum, ut Johannes eidem adhuc benedicat.

Festum circumcisionis. §. 1. Incidit hoc festum in ipsas januarii kal., quibus novum quoque annum auspicamur. Ratio, ob quam prisci hoc tempore novum annum exorsi sunt, a Plutarcho (probl. 49.) haec redditur: *quod circa idem tempus ipsa rerum natura quasi convertatur et sol diem sensibiliter prolongare incipiat.* Sed Christiani aliam rationem reddunt, quod per hos dies sol justitiae recens ortus memoretur. Hinc ita scribit Prudentius:

Quid est quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
In orbe Jesus nascitur,
Qui lucis auget tramitem.

Johannes baptista natus est, cum sol ageret in cancro et dies iterum decrescerent; sed Christus natus est, cum sol intrasset capricornum et dies iterum accrescerent, cum impletum sit, quod Johannes ipse dixerat: *oportet illum crescere, me autem minui.* Ab iisdem kal. jan. epocham suam ecclesia orditur. Primus autem omnium a nato Christo numerare annos docuit Dionysius Exiguus, qui ex Scythia oriundus circa a. Chr. 527. Romae abbatem egit. Observant tamen recentiores chronologi, aeram illam Dionysianam, qua adhuc utimur, integro biennio

fallere et minorem esse adeoque jam non esse scribendum a. Chr. 1658. sed 1661, qua de re studiosi temporum aureum volumen Jo. Scaligeri de emendat. temp. et Calvisii Isagog. chronol. c. 46. consulere possunt. Soliti alias sunt veteres in novi anni felix auspicium sibi invicem munera mittere. Sed quia mos iste ab ethnicis descendit, synodus Antisiodorensis *strenas ipsas diabolicas* vocat *et severe prohibet, ne quis kal. jan. munuscula mittat.* Inprimis studiosi sacr. antiqq. notabunt, in veteri ecclesia kal. jan. non diem festum, sed diem luctus fuisse. Apud ethnicos erat dies laetitiae. Hi enim kal. januar. in honorem Jani, a quo nomen mensi est, victimas mactabant, choreas agebant, publica convivia et nefanda spectacula instituebant, pellibus se vestiebant. Viri vestes muliebres gestabant, quae mutatio vestium adhuc dicitur: Mummerei. Verum Christiani veteres eodem die jejunabant, litanias canebant et pie dolebant, Deum tam atrociter ipso anni initio ab ethnicis offendi. Eleganter hac de re Ambrosius (serm. II. de kal. jan.): *Nos,* inquit, *die isto jejunamus, ut ethnici intelligant, ipsorum gaudia jejuniis nostris condemnari.* Pluribus jejunium istud Ordo Romanus, qui ante haec octo sec. conditus est, et Albinus Flaccus (in lib. de divin. offic. c. 4.) exponunt. Paulatim hi ethnici mores in ipsam ecclesiam irrepserunt. Hinc prisci patres, praesertim Chrysostomus homil. in eosdem cavendos habita, graviter reprehendunt, *quod kal. jan. ad gentilium morem vivant.* Quin et concilia extant, quibus iidem mores in Christianis notantur. Martinus Bracarensis (in collect. s. canonum c. 37.) ex graecis conciliis saepe prohibitum ostendit, *ne quis die januarii primo domum suam viridi lauro aliisve virentibus arborum ramis cingat.* Quin et canones poenitentiales trium annorum poenitentiam illis injungunt, qui kal. januar. observarunt. Ita igitur in veteri ecclesia kal. jan. apud ethnicos gaudii, apud Christianos dies luctus fuerunt. — §. 2. Abolito paganismo orbis christianus ipsas quoque kal. jan. in festum commutavit, sed ideo tantum, quod dies hic octavus esset a festo nativit. Domini. Ubi studiosi sacr. antiqq. notabunt, Christianos olim majora anni festa per integros octo dies celebrasse, sed ex his primum et octavum diem solenniores fuisse, ideo quod ipse Deus in V. T. Judaeis mandasset: *Octavus quisque dies vobis sanctissimus esto.* Lev. 23, 36. Hinc ad imitationem Judaeorum in ecclesia magnorum festorum octavae coeperunt, de quibus valde copiosi sunt Ordo Romanus et fere omnes, qui rituales libros condiderunt. Faciunt autem octavas trium generum. Alia dicitur octava suppletionis, alia venerationis, alia devotionis. Sed cum ad octavas nativitatis dominicae sive ad kal. jan. perveniunt, dicunt, eo die octavas omnes concurrere. Primo quidem suppletionis; nam si quid die natali praetermissum fuit, kal. jan. supplendum esse. Secundo venerationis, quia festum nativitatis, cujus appendix est octava, est maxima veneratione dignum. Tertio devotionis, quod nulli festo major devotio debeatur quam festo natali, quo pietatis mysterium proditum est. — §. 3. Praeter octavam nativitatis kal. jan. solennes factae sunt, *propter circumcisionem Domini,* qua puer Jesus redemtionis nostrae arrham et sanguinis sui primitias persolvit et dulcissimum nomen Jesu, quod est supra omne nomen, accepit. Quam

antiquum vero sit festum circumcisionis, de eo sunt tres sententiae. Alii jam V. sec. memoriam circumcisionis annuam fuisse putant, quia extat homilia Maximi Taurinensis, sec. V. clarissimi homiletae, sub tit. de circumcisione Domini vel de kal. jan. Sed quia per totam illam homiliam ne verbulo quidem circumcisionis fit mentio, sed reprehendit solum auctor illos, qui kal. jan. more ethnico debacchantur, nos huic sententiae subscribere non possumus. Alii sec. VII. festum circumcisionis celebre fuisse existimant a tempore Gregorii M., in cujus sacramentario ita collecta concludit: *Per Dominum nostrum J. C., cujus hodie circumcisionem et nativitatis octavam celebravimus.* Sed quia dubium est, an sacramentarium istud auctore Gregorio M. sit scriptum, etiam haec sententia merito in dubium vocatur. Alii, cumprimis Casaubonus, rerum antiquarum maxime peritus scriptor, ad annal. Baronii exerc. 2, §. 9. observat, neminem eorum, qui ante hos quingentos annos de diebus festis scripserint, festi circumcisionis meminisse; et quod quidem sciam, prima hujus festi mentio est apud Ivonem Carnotensem, qui a. Chr. 1040. vixit et apud S. Bernhardum, qui vixit a. Chr. 1140. Ex conciliis autem primum est Oxoniense habitum in Anglia a. Chr. 1222., quod circumcisionem Domini inter annua festa connumerat.

Festum Magorum. §. 1. Antiquis dicitur ἐπιφάνεια Domini, cujus prima mentio apud Gregorium Nazianz. fit, cujus insignis oratio in S. Epiphan. lumina extat. Sed quia Graeci olim non tantum festum Magorum, sed et festum nativitatis et diem baptismi Christi Epiphaniae festa vocarunt, dubium est, quodnam ex his Greg. Naz. intelligat. Apud Latinos vero semper moris fuit, ut unum festum Magorum Epiphania Domini diceretur et diverso die a festo nativitatis ageretur, prout Durandus observat (Ration. temp. 6, 6). Sunt alias in antiquitate tria nomina, quibus Graeci festum hoc adornant. Vocant enim *Epiphaniam, Theophaniam, Bethphaniam.* Et *Epiphania* quidem dicitur propter apparitionem novae stellae; *Theophania* propter apparitionem Trinitatis in baptismo; *Bethphania* dicitur, propter aquam in vinum mutatum in nuptiis Canae Galilaeae. Nam primum hoc miraculum Graeci eodem die factum referunt. Ideo autem dicitur Bethphania, quod in domo nuptiali contigerit, nam Beth apud Hebraeos domum significat. — §. 2. Quod ad ipsos Magos attinet, qui nova stella inducti novum regem in metropoli Palaestinae Hierosolymis quaesiverant tandemque Bethlehemi invenerunt et hoc modo primitiae gentium, uti veteribus dicuntur, facti sunt, de his apud antiquos variae sunt sententiae. Alii, v. g. Justinus (dial. cum Tryph.) et Origenes (c. Celsum) *Magos pro veneficis habent*, qui ex pacto cum diabolo artes magicas coluerunt. Nec ab his dissentiunt, qui Magos putant *Chaldaeos* fuisse et ex scriptis Sibyllae Christum didicisse. Alii, v. g. Tertullianus (contra Judaeos) et Epiphanius existimant, *Magos ex Arabia et de Saba venisse,* cum scriptum sit: *De Saba venient et thus afferent* Jes. 60, 6., quae lectio adhuc in festo Magorum publice legitur et tractatur. Sed nec haec sententia verosimilis est, quia Arabia respectu Palaestinae versus meridiem sita est. Sed hi Magi ab oriente venerunt. Quod ad dictum illud prophetae attinet, agitur ibi non de adventu Mago-

rum, sed solum de amplitudine regni Christi. Alii denique, v. g. Clemens Alexandrinus (Strom. 1,) S. Chrysostomus (hom. 6. in Matth.) et Theodoretus (hist. eccl. 5, 39.) rectissime statuunt, Magos ex Persia venisse, quia Persia Judaeae orientalis est fuitque in Persia magnus numerus magorum. Crediderim, Magos non Persas solum fuisse, sed ex urbe Susa venisse, ubi academia fuit, et studiis sapientiae dedicati in acad. Susana videntur fuisse. — §. 3. De officio magorum sciendum est, nomen magi descendere ab Hebraeo הגה, meditatus est vel inquisivit, adeoque magi fuerunt homines speculationibus dediti, et nescio, annon ab eadem voce magistri deriventur. Inprimis magi apud Persas fuere theologi et ut plurimum sacerdotes Persici et sacrorum antistites; consiliarii et tanto loco in aulis regum, ut nemini in Persia regem esse licuerit, quem non magi informassent, teste Cicer. de div. Fuerunt medici et physici et denique philosophi, praesertim mathematici, astronomi et genethliaci. Hinc versiculi:

> Ille penes Persas magus est, qui sidera novit,
> Quique scit herbarum vires cultumque Deorum.

Iidem quoque magi fuerunt in Persia cum brachmanibus in India, cum druidibus Gallorum et cum philosophis Graecorum. — §. 4. Vulgaris est traditio, Magos, qui ad Christum venerunt, *reges* fuisse, hinc adhuc *festum trium regum* dicitur, quo ecclesia canit: *Reges de Saba veniunt.* Quamvis autem, falsum sit, eo sensu reges fuisse, quo hodie vox illa capitur, existimo tamen, fuisse hos Magos in Persia regulos, dynastas et toparchas, uni vel alteri oppido aut castello praefectos; et hinc nata videtur traditio, reges fuisse, quemadmodum existimat Casaub. ad annal. Baronii. Quo tempore venerint ad Christum, nec hoc ex antiquitate certum est. Epiphanius putat, *post biennium a Christo nato venisse, cum Herodes pueros duorum annorum occidi fecerit.* Sed non placet haec sententia. Nam parentes Jesu exacto puerperio sine dubio domum ad oppidum Nazareth reversi sunt. Alii putant, die decimo tertio, quo festum ipsorum agitur, post natalem Domini venisse. Sed nec hoc probatur. Nam urbs Susa, unde venerunt, ducentis et triginta milliaribus ab urbe Hierosolyma abest, quod iter intra tredecim dies perfici non potest. Quamvis vero hoc incertum, certo tamen credimus, venisse Magos inter primas sex septimanas a nato Christo, cum Maria adhuc Bethlehemi puerperam egit. Quot fuerint Magi, in sacris non legitur. Chrysostomus putat, quatuordecim fuisse. In ecclesia opinio praevaluit, tres fuisse, cum tria munera attulerint. Sed infirma est consequentia. Denique nec nomina Magorum leguntur. Vulgo dicti putantur Caspar, Melchior, Balthasar, quorum primus myrrham, secundus thus, tertius aurum obtulerit, unus quoque Aethiops fuerit. Hodie corpora Magorum in Germania Coloniae ostenduntur. An genuina sint, fides sit penes auctores. — §. 5. Inducti porro sunt Magi ad molestum hoc iter ineundum nova stella. Qualis haec stella? Alii putant stellam fixam, alii planetam fuisse. Sed neutra sententia placet. Nam si in aethere stella haec fuisset, praecise domum, ubi erat puer Jesus, designare non potuisset. Scaliger putat, cometam

fuisse in regione aërea. Nec hoc placet. Nam cometae causas naturales habent, unde Magi de nato rege certiores fieri non potuissent. Chrysostomus super Matth. hanc stellam putat angelum fuisse. Nec hoc placet. Nam quoties angeli in sacris visi, etiam locuti leguntur. Sed haec stella fuit muta. Nobis haec stella videtur fuisse phaenomenon in aëre divinitus productum, quod instar stellae oculos Magorum perstrinxit simulque corda ipsorum salubriter perculsit. Cum igitur nossent vaticinium Bileami: *Orietur stella ex Jacob*, et ex Daniele, *septuaginta hebdomades* jam fere transiisse, inde didicerunt, regem Judaeorum jam natum. Extat liber Seth, qui affirmat in hac stella puerulum stetisse, qui crucem portaverit. Sed liber hic est apocryphus.

Festum purificationis Mariae. §. 1. Sunt huic festo a majoribus nostris nomina quinque indita, quorum antiquissimum est *festum praesentationis*, quo indicatur, diem istum puero Jesu praesentato in templo sacrum esse. Dicitur *festum Simeonis et Hannae*, propterea, quod de his in evangelio hujus festi agatur. Dicitur *festum hypantes*, a graeco verbo ὑπαντᾶν, obviam ire, propterea quod die hoc festo Simeon senex sacerdos puero Jesu obviam processerit eumque ulnis exceperit. Et haec tria nomina antiquorum sunt. Dicitur *festum purificationis Mariae*, unde patet, diem olim Christo dicatum lapsu temporum in cultum b. Virginis translatum fuisse; qua de re ita scribit Jacobus de Voragine: *Festum purificationis in honorem matris Domini, quae verum lumen genuit, agimus. Apud ethnicos enim Proserpina sponsa Dei infernalis, sed ejus loco apud nos Maria sponsa Dei coelestis honoratur. Apud ethnicos Februa, quae Deum belli genuerat, sed apud nos Maria, quae Deum pacis genuit, colitur. Apud ethnicos honor curiae infernali, sed apud nos honor reginae angelorum defertur ideoque festa illa ethnica in festum purificationis Mariae conversa sunt.* Verum haec sunt superstitiosa nec nobis probantur. Dicitur *festum candelarum vel luminum*, propter cereos ardentes, qui in missa hujus festi consecrantur, unde Germanis dicitur: Lichtmesse. — §. 2. Quod ad originem hujus festi attinet, communis est opinio, coepisse hoc festum a. Chr. 542, paulo ante medium sec. VI. tempore Justiniani Caesaris. Occasionem huic festo praebitam Sigebertus in Chron. ita recenset: *Tempore Justiniani Caesaris in Mysia Pompejopoli magni erant terrae motus, quibus dimidia pars urbis absorbebatur. Audiebantur miserabiles voces pereuntium sub terra. Sanguis quoque e nubibus decidit et subsecuti sunt varii pestilentes morbi, quibus superstites a terrae motu cives perire oportuit. His calamitatibus motus Justinianus in honorem Christi Salvatoris festum Hypantes instituit, ut Salvator, qui Simeoni in templo occurrerat, etiam miseris propitius occurrere vel potius succurrere dignaretur.* His gemina refert Nicephorus hist. eccl. 17, 28. Quin et Baronius in notis ad martyrol. Rom. palam fatetur, ante Justinianum neminem patrum extare, qui festo purificationis Mariae homiliam habuerit. Extat quidem ex sec. IV. oratio Gregorii Naz., in festum luminum habita, sed per festum luminum Nazianzenus non illud, quod nos ita dicimus, sed festum Epiphan. intelligit, quo veteres quondam baptismi Christi memoriam fecerunt, unde etiam tota oratio Naz. de baptismo

Christi agit. Praeterea apud Augustinum habetur sermo 23. de Simeone. Sed aliud est, historiam Simeonis exponere, aliud, propter illam historiam agere diem festum. Et sciunt studiosi sacr. antiqq., multos sermones, qui Augustino tribuuntur, Augustini tamen non esse. Nihilominus Baronius laudem conditi hujus festi Gelasio pontifici rom., qui 30. annis ante Justinianum vixit, tribuit. *Hic*, inquit, *ethnicorum Lupercalia abrogavit et in eorundem locum festum purific. Mariae substituit.* Extat quoque adhuc libellus Gelasii contra Lupercalia urbis Romae. Videtur igitur Gelasius papa voluisse in ecclesiam festum hoc inducere, sed sine Caesaris consensu et auctoritate non potuisse. Primus itaque fuit Justinianus, qui per totum imperium solennitatem hujus festi cum effectu instituit. §. 3. Quod ad morem consecrandi cereos attinet, solet communiter hoc institutum Sergio, pont. rom. a. Chr. 690., tribui. De eo enim ita scribit Ordo Romanus: *Sergius papa festo hypantes litanias addidit et cereos benedictos.* Verum jam ante Sergium Elidius episcopus a. Chr. 665. cereos consecratos in ecclesia meminit eorumque mysteria exponit. Unde autem sumta est haec consuetudo, quae sec. VII. coepisse videtur, consecrandi cereos? Respondetur, coepisse a Saturnalibus gentilium, quae mense decemb. agebantur et cumprimis in distributione candelarum erant posita, teste Macrobio Saturn. I. Alii hunc morem derivant a Februis gentilium, unde nomen est mensi februario. Hoc autem festum Romani Proserpinae agere solebant, quam Pluto ob eximiam formam rapuerat. Hanc Ceres mater accensis facibus in monte Aetna requisiverat. In hujus rei memoriam mulieres Romanae ipsis feb. kal. festum luminarium habebant, quo urbem accensis candelis et ardentibus facculis noctu illustrabant. Quibus vero ritibus hodie in ecclesia Romana cerei consecrentur, in Cerem. rom. 2. operose describitur; superstitiosum autem plane est, quod Pontificii candelis ita consecratis mirificam vim tribuant, qua de ita Naogeorgus lib. 4. regni papist.:

Mira est candelis istis et magna potestas.
Nam tempestates creduntur tollere diras;
Porro creduntur sedare tonitrua coeli,
Daemones atque malos arcere horrendaque noctis
Spectra atque infaustae mala grandinis atque pruinae.
Ut jam non sit opus Christo committere cuncta.

§. 4. De cereis istis, quos Pontificii in festo purificationis consecrant, operae pretium est audire Durandum (Ration. 7, 7.), qui sic scribit: *Nos hoc die cereos portamus, quod lumen illud gentium, quod omnem hominem illuminat, denotat. Cera enim carnem Christi significat, quia quemadmodum ceram apes sine coitu conficiunt, ita caro Christi concepta est sine maritali congressu. Lumen illius cerei deitatem Christi denotat, quia deitas in sacris ignis consumens dicitur. Lychnuchus denique animam Christi in carne significat.* Subjungit Durandus rationes, ob quas die illo festo Christiani cereos ardentes ferunt. *Voluit ecclesia hoc modo ritum ethnicorum corrigere.* Nam ethnici quoque circa haec tempora accensis luminibus urbem et arva circumibant. *Cereus iste monere Christianos debet, ut fides ipsorum per bona opera coram hominibus luceat,* dicente Chri-

sto Matth. 5, 16. *Institutum hoc est ad imitationem virginum prudentium, quae audito sponsi adventu lampadas suas accenderunt. Cereus iste est memoriale Christi, quem Simeon in cantico suo lumen vocat ad revelationem gentium. Cereus hic indicat duas naturas in una Christi persona.* Sicut enim una est candela, quae ex cera et ardente lychnucho constat: sic et unus est Christus ex duabus naturis, humana et divina. Denique *per hos cereos ecclesia puritatem b. Virginis indicare voluit, quod purificatione non indiguerit, sed tota ob vitae puritatem splenduerit veluti ardens cereus.*

Bacchanalia. §. 1. Diem cinerum Bacchanalia praecedunt, festum plane diabolicum, quod in ecclesia olim post triduum illud habitum est, quod inter quinquagesimam et proximum Mercurii diem intercedit. Dum vero Christiani sub papatu volentes insanierunt, larvas induerunt, sexum mutarunt, spectra mentiti sunt, Veneri et Baccho litarunt et nihil non petulantiae sibi licere putarunt. Unde enim sunt Bacchanalia? Mantuanus in fastis existimat, has ferias ab ethnicorum Lupercalibus descendere, quibus circa idem anni tempus Luperci, i. e. sacerdotes Dei pastorum, nudi cucurrerunt et per lusum ac lasciviam obvios quosque verberarunt, teste Plutarcho in Romulo. Alii Bacchanalia a festo in Bacchi honorem habito derivant, quo ethnici in honorem Bacchi, quem vini Deum crediderunt, se totos vino proluere, personati incedere, bigas agitare, varie gesticulari et in seram usque noctem compotare solebant, teste Plutarcho. Alii Bacchanalia ab Equiciis Gentilium mense martio fieri solitis deducunt. Equicia Martis in campo Martio varie exercebantur. Quicquid horum sit, in eo omnes conveniunt, Bacchanalia a festo quodam ethnico descendere. — §. 2. Quod ad ritus hujus festi attinet, in Graecia foeminae, cum Bacchanalia agerent, pudendam statuam tanquam seminarium libidinis per pagos cum cantu circumtulerunt. Romae primum foeminae tantum, postea viri foeminae junctim bacchanalia egerunt, quibus promiscuos concubitus exercuerunt, adhibitis interea tympanis et cymbalis, quin et multo saepe sanguine bacchanalia constiterunt; sed cadavera occisorum in speluncam projecta sunt, fingentibus Bacchi sacerdotibus, a diis illos raptos esse. Elegantissime Blondus ritus bacchanaliorum ita describit: *Hoc festo nudi viri cum mulieribus membra omnia nudatis ad sacra commearunt, quae non erant nisi nocturna. In his sacris invicem, modo caput, modo alia membra lascive movebant et inconditum carmen Baccho canebant nec saltare desinebant, antequam velut fanatici et amentes in terram concidissent.* — §. 3. Miretur autem aliquis, qua ratione similis insania nostros transierit in mores? Nobis occasio haec fuisse videtur, cum veteres Christiani per subsequentes dies quadraginta rigide jejunarent in honorem Christi patientis, concessum est vulgo, ut per triduum istud, quod quadragesimam proxime antecedit, paulo hilarius et licentius viveret, quod per subsequentes dies non licuit. Verum sequiori aevo licentia haec longius progressa est, adeo ut non tam laici quam clerici ab ipsa dominica quinquagesima exorsi, quae propterea vocatur: des Herrn Fastnacht, in cameris et libidinibus atque inter pocula viverent et tantum non incarnatos diabolos, certe larvata spectra prae se ferrent. Memorabile est, quod Busbequius

in epist. suis Turcicis de his Christianorum Bacchanalibus refert: Fuisse quondam in aula Caesaris legatum Turcicum, qui cum Bacchanalia ita spectasset, domum reversus imperatori Turcico auctor fuit, ut, si aliquando Christianos bello adoriri vellet, tempore Bacchanaliorum id faceret. Tum enim Christianos per integrum triduum insanire. Ad tollendum quoque impium hunc morem apud nos Bacchanalia in Christi passionalia sunt conversa et pie statutum est, ut eadem dominica, in quam Bacchanalia incidunt, evangelium de passione Christi tractaretur, unde ansam concionatores sumant, auditores suos a tam profano ritu absterrendi, praesertim cum exempla plurima sint, quod graviter Deus homines larvis bacchantes puniverit.

Dies cinerum. §. 1. Quod ad diem cinerum, (quem Germani vocant: Aschermittwoch) vel ad cineralia attinet, vero nobis fit simile, diem hanc cineribus consecrandis dedicatum a Gregorio M. fuisse sub finem sec. VI. De eo Durandus Rat. 6. ita: *Gregorius M. instituit, ut quatriduum istud, quod proxime dominicam Invocavit antecedit, jejunio quadragesimali adderetur.* Circumfertur quidem hodie homilia Maximi Taurinensis in die cinerum habita. Vixit autem Maximus Taurinens. a. Chr. 430. Sed dubitant eruditi, an idem ille qui homilias, etiam titulos homiliarum fecerit. — §. 2. Sunt autem duo cumprimis, quae olim die cinerum facta sunt. Nam die isto poenitentibus publica poenitentia, per quadragesimam agenda, in conspectu totius ecclesiae fuit imposita, quod quo ritu factum sit, eleganter nos docet concil. Agathense, cujus hic canon est: *In capite quadragesimae sive die cinerum poenitentes omnes ante januas templi episcopo se sistere debent, indui sacco, nudis pedibus, vultu in terram prostrato, tum vero presbyteri poenitentium mores ipsorum diligenter inspicere debent et, prout est cujusvis delictum, poenitentiam singulis imponere, quo facto episcopus poenitentes aqua lustrali conspergat, cinerem in eos conjiciat, cilicio capita eorum operiat eosdemque ab ecclesia per ministros iterum expellat. Exeuntes de templo clerici comitentur, canentes: In sudore vultus tui etc. Denique in s. Domini coena vel die viridium in ecclesia iterum se sistant, ut videat episcopus, num digni sint communione nec ne?* Alias eodem cinericio die olim Halberstadii moris fuit, ut cives ex se aliquem, sed qui parum frugi esset, deligerent, quem ab hoc die per totam quadragesimam tecto capite et pulla veste nudisque pedibus urbem obire et templa visitare oportuit. Hunc clerici ex publico alebant, donec die viridium oleo unctus iterum expiaretur, dictus vulgo est Adam Halberstadiensis, fuitque, ut equidem existimo, imago quaedam rigidae veterum poenitentiae. Plura de hoc Adamo Halberstadiensi apud Alciatum videantur. — Porro die cinerum olim facta est incineratio. Nam hoc die Pontificii de palmis dominica palmarum superioris anni reservatis cineres ustos consecrant inque capita fidelium conspergunt sub hac formula: Memento, quod cinis es et in cinerem reverteris! Solus Pontifex est exemtus. Huic enim, dum cinere conspergitur, verba ista dicere non licet; — quasi vero Pontifex cinis non sit. Vid. hac de re Ceremon. rom. 2. Memorabilis est historia, quam de Bonifacio VIII. Platina in ejus vita recenset. Hic Pontifex cum cineres distribueret et inter alios ad episco-

pum Genuensem pervenisset, qui Gibellinis, adversariis papae, erat addictus, Pontifex integram ollam cineribus plenam in faciem episcopi incussit, dicens: Memento tu, quod Gibellinus es et cum Gibellinis in cinerem reverteris. Quod Platina tanquam signum impotentis animi aestimat. — §. 3. Solent de caetero duas rationes addere, ob quas cinere Christianos aspergant. Ratio altera est, *ut Christiani, mortalitatis et vilissimae suae originis de terra memores, humilitatem, reginam illam virtutem, discerent.* Altera est, *ut per hos dies poenitentiam sibi agendam sancte meminissent.* Nam in V. T. aspersio cineris semper aut lugentium aut poenitentium nota erat. Ita illud patientiae exemplum, Jobum, in favilla et cinere poenitentiam egisse legitur. Abrahamus in colloquio cum Deo ita prorumpit: *Ego cum domino loquor, qui pulvis et cinis sum.* In lib. Esther Mardachaeus, dum est in luctu, saccum induit et cinerem capiti inspergit. Idem fecerunt Ninivitae cum ipso rege Jon. 3, 6. Quin et Deus hortatur: *Conspergimini cinere, quia dies vestri completi sunt.* Jer. 25, 34. Ita hunc morem defendit Durandus. In nostris autem ecclesiis mos ille, ob varios in eundem inductos abusus, merito abrogatus est, praesertim cum nullibi in tota scriptura sacra de consecratione cinerum mandatum vel exemplum extet.

Quadragesima. §. 1. Quadragesimam hodie vocant omnes illos quadraginta sex dies, qui festum paschatos quotannis antecedunt, per quos dies a carne, ab ovis, a caseo Christianis omnibus abstinendum putant, exceptis sex dominicis, in quibus coenam sumere licet. Nam caeteris diebus non sumunt nisi coenulam vel, ut vocant, refectionem quandam. Quod ad jejunium quadragesimale attinet, de ejus origine veterum sententiae variant. Chrysostomus homilia contra eos, qui per pascha jejunant, refert, patres in conventu quopiam hos quadraginta dies jejunio, precibus, vigiliis et poenitentiae destinasse. Quam autem synodum patrum intelligat, in qua jejunium quadrages. conditum sit, non exprimit. Nescio, annon synodum Nicenam intelligat, cujus per totam homiliam crebra est mentio. Augustinus quadragesimale jejunium ex consuetudine ecclesiastica paulatim coepisse existimat ep. 119. ad Januar. Cui consentit Socrates, qui hist. eccl. 5, 22. sic scribit: *Festum pascha et dominicae passionis memoriam majores nostri, prout visum fuit, ex consuetudine celebrarunt. Neque enim hac de re Christi vel Apostolorum praeceptum extat.* Hieronymus quadragesimam a viris prudentibus constitutam affirmat. Nec obstat, quod epist. 54. ita dicat: *Nos ex apostolica traditione quadragesimam unam agimus.* Loquitur enim ibidem non praecise de jejunio, sed de unitate jejunii quadragesimalis contra Montanistas, qui quotannis tres quadragesimas agebant, quasi tres passi sint Salvatores. Dicit igitur Hieronymus, unam anni quadragesimam, non plures, Christi exemplo et Apostolorum traditioni congruere. Inter has sententias nobis probabilissima videtur, quae originem quadragesimae ex ecclesiae consuetudine derivat. — §. 2. Alia mens est Pontificiis, qui quadragesimale jejunium a Christo et Apostolis institutum affirmant et patres nonnullos a suis habere partibus videntur. Expresse enim Basilius M., in orat. de 40. martyribus, jejunium antepaschale divinam legem

vocat, quam Christus adornaverit. Caeterum jejunia libera, sed unum hoc necessarium censet, cum sit lege divina introductum. Quin et Leo M. serm. 4. quadragesimam divinitus institutam asserere videtur. Sed notabunt studiosi sacr. antiqq., quod antiquis scriptoribus familiare sit, ea, quae exemplo aliquo in sacris literis expresso nituntur, divinitus instituta affirmare. Cum igitur occasio jejunio quadragesimali ab exemplo Christi per quadraginta dies in eremo jejunantis desumta sit, patres ῥητορικῶς locuti ad Christi mandatum referunt, quod non habet nisi exemplum Christi. Ideo autem patres quadragesimam his elogiis adornant, ut Christianos ad jejunium hoc agendum eo magis accenderent, estque h. l. observanda regula Hieronymi: *Praecepta majorum leges apostolicas arbitrantur.* — §. 3. Vulgo fertur Telesphorus, qui paulo ante medium sec. II. papa fuit, jejunium quadragesimale primus lege ecclesiastica sanxisse. Verba decreti haec sunt: *Statutum est a nobis et ab omnibus episcopis, ut clerici per integras septem hebdomadas ante festum paschae a carnibus jejunent, quia quemadmodum vita clericorum et laicorum distincta est, sic et jejunio discrimen servetur.* Sed ex hoc Telesphori decreto videmus jejunium quadragesimale non omnibus, sed solum clericis impositum, quanquam viri docti dudum ostenderint, decretum illud Telesphori suppositum esse. Imo Dallaeus non ita pridem de jejuniis, praesertim de quadragesimali jejunio, libellum eruditissimum scripsit, quo demonstrat, primis tribus seculis usque ad tempora concilii Niceni quadragesimam, qualem hodie Pontificii agunt, non fuisse. — §. 4. Quod ad modum agendi quadragesimam attinet, hic in jure canonico ex epist. Gregorii M. ad episcopos Angliae ita refertur: Clerici jejunium a quinquagesima ordiri debent, ut laicos antecellant. Sed annon die quoque dominico jejunare debeant, dubito, cum laici cupiditate carnium illecti die dominico ad medias usque noctes sese ingurgitent. Pisces quidem in quadragesima concedimus, non tamen ad incendium luxuriae, sed ad solatium esurientis stomachi; quia et is, qui a carnibus abstinet, etiam ab eo abstinere debet, quod a carne originem habet, v. g. a lacte, a caseis, ab ovis; nec porro in belluas marinas sumtus aliquis faciat et vinum ita modice bibat, ne inebrietur. Haec Gregorius M., quae nec Pontificii hodie omnia observant, quod apud ipsos liquidum non frangit jejunium. — §. 5. Apud veteres Christianos moris erat, ut ab omnibus cibis delicatis, quibus Venerem excitari posse credebant, abstinerent, et cum carnem carne foveri putarent, natum inde est *carnis privium*, i. e. abstinentia a sola carne. Prudentius, poëta christianus circa a. Chr. 390., cibos veterum per quadrag. nominat *olera, siliquas et legumina.* Burchardus, Wormatiae episcopus, qui a. Chr. 1010. libros viginti decretorum collegit, ex priscis canonibus ostendit, *ei, qui per quadrages. carnes comedisset, loco poenitentiae impositum fuisse, ut per totum annum a carnibus abstineret.* Et Baronius ad a. Chr. 1018. observat, apud nonnullos moris fuisse, ut comedenti carnes in quadragesima dentes excuterentur. — §. 6. Praeterea veteres jejunia sua ante seram vesperam solvere non solebant, teste Augustino in lib. de moribus ecclesiae; quod et Paulinus, Nolae episcopus, in natalem Felicis ita confirmat:

Nostis eum morem, quod jejunare solemus
Ante diem et sero libatis vespere sacris
Quisque redire domum.

Sed pristinus hic fervor jejunandi cum remitteret, permissum est, ut hora nona, quae apud nos est tertia pomerid., jejunium solveretur; qua de re videri dignus est Ordo Rom. Caeteros veterum ritus in quadragesima junctim synodus Laodicensis, a. Chr. 370. habita, ita refert: *Non oportet in quadragesima panem offerre* (sc. in usum eucharistiae) *nisi sabbato et die dominico. Per totam quadragesimam non sunt comedendi, nisi aridi cibi* (quae comestio aridorum Graecis ξηροφαγία dicitur). *Non oportet in quadragesima dies festos agere, sed natales martyrum in sabbatum, diem dominicum* (hos enim dies prisci quadragesimae non annumerant) *differre. Denique non oportet per quadragesimam nuptias fieri.* — §. 7. Quod ad Pontificiorum quadragesimam attinet, non est, quod de ea multum glorientur, cum ne umbram quidem jejunii veterum retinuerint. Peccant autem Pontificii hac praesertim in re quadrifariam. Quod jejunium suum quadragesimale Dei praeceptis accenseant. Nam in veteri ecclesia quadragesima erat liberrima. Locuples hujus rei testis est Socrates, qui hist. eccl. 5, 21. refert, sua aetate Romanos ipsos tres solum hebdomadas ante pascha, Graecos sex hebdomadas, alios intra septem hebdom. dies solum quindecim ex intervallo jejunasse et se mirari, quod hi omnes jejunium suum quadragesimale vocent. *Deinde*, inquit, *abstinentia a cibo est varia. Alii enim solum pisces comedunt, alii etiam volucres; alii solum ab ovis abstinent, alii non edunt nisi aridum panem; alii ne hunc quidem, alii finito diurno tempore jejunii edunt quicquid lubet.* Addit denique Socrates (est enim hic locus maxime notabilis propter Pontificios): *Nemo de quadragesima praeceptum literis proditum ostendere potest.* Unde patet, quam libera olim observatio quadragesimae fuerit. Proinde praeceptum istud, quo Pontificii orbem christianum ad jejunium quadraginta dierum et ad carnis privium sub reatu mortalis peccati obligant, libertati christianae inimicum est. — 8. Errant Pontificii, quod jejunium quadragesimale in solo ciborum delectu collocent, qua in parte Montanum, veterem haeresiarcham, auctorem habent. Is enim primus in ecclesiam ciborum discrimen invexit. Error quoque est, quod non nisi a carne ab ovis et lacticiniis abstineant. Interea enim divites piscium esu et vini potu luxuriant, qua de re eleganter Erasmus in epist. ad episcopum Basileensem scribit: *Nunquam apud Pontificios operosior est culina nec apparatus major, quam per quadragesimam, in qua pauperes quidem esuriunt et duriter vivunt, sed divites jejunando deliciantur. Quis enim non malit truttam vel muraenam edere, quam suillam fumo duratam? Et quam multa sunt non carnes, quae ad libidinem provocant, v. g. testudines, cochleae!* Haec Erasmus, qui plura quoque hanc in rem habet in colloquio, quod vocat ἰχθυοφαγίαν. Et denique quia dicunt Pontificii: liquidum non frangit jejunium: quis non videt cum papistica quadragesima helluationes posse consistere? §. 9. Errant Pontificii, quod dicant, se contentos solo prandio, cum omni vespere collationem, quam vocant, instituant, in qua collatione placentas, ficus, nuces, poma, pyra, saccharum aliaque

suavia condimenta addito generoso vino comedere ipsis licet, ut proinde jejunium quadragesimale in papatu hodie sit saginae magisterium et varii luxus officina. — §. 10. Gravissime omnium errant, quod jejunium suum meritorium et satisfactorium pro peccatis constituant. Ita enim Thomas Aquinas in secunda p. 147: *jejunium, inquit, utile est ad tria, ut caro dometur, ut mens sursum elevetur, ut satisfiat pro peccatis*; quod postremum cum injuria meriti Christi, qui solus torcular calcavit Jes. 63, 3. conjunctum est. — §. 11. Falsissimum denique est, quod nostri quadragesimam simpliciter abrogarint. Nam apud nos per quadragesimam templa omnia passionis dominicae historiam referunt, Christiani ad memoriam Christi patientis ad agendam poenitentiam et ad studium pietatis serio excitantur. Nam et nos cum veteribus existimamus, Christianum non esse, qui per hos dies religiosior non invenitur. Commendatur frugalis et sobrius victus, cessant nuptiae aliaque solemnia convivia, organa in templis aliaque instrumenta musica quasi in publico luctu tacent. Quin et in multis locis per hos dies examina catechetica instituuntur et pueri innuptaeque puellae ad usum eucharistiae in paschate praeparantur, quae omnia in veterum quadragesimam exacte congruunt.

Festum cathedrae (Stuhlfeier). §. 1. Fuit olim in ecclesia consuetudo, ut quilibet episcopus diem illum solennem ageret, quo cathedra ipsius sive ecclesia erat fundata. Cum igitur Petrus apostolus omnium primus evangelium inter gentes docuisset, adeoque prima fundamenta cathedrae sive ecclesiae gentilium jecisset, ecclesia quoque gentium festum cathedrae Petri solenne tribuit. Nihil vero aliud erat hoc festum, quam dies memorialis ecclesiae inter gentes a Petro apostolo primum fundatae. Hoc festo veteres Deo gratias agebant, quod gentiles luce evangelii dignatus esset. Simul preces agebant pro ecclesia inter ethnicos servanda. — §. 2. Porro cum Petrus Antiochiae primum gentes docuisse memoretur, hinc in menologiis veterum vocatur *festum cathedrae Antiochenae*. Post illa Romani, qui et ipsi ecclesiam suam a Petro fundatam gloriantur, festum cathedrae Antiochenae in festum Romanae cathedrae permutarunt. Sero hoc factum est a Paulo IV. circa a. Chr. 1555, adeoque superiori primum seculo, teste Bellarmino de Rom. Pont. 2, 6. Ex quo vident studiosi sacr. antiqq., per festum cathedrae Petri nullum privilegium, nedum infallibilitatem Pontificis ex cathedra loquentis concedi. Quod tamen hodie Pontificii jactant. Olim in festo cathedrae Petri malus mos irrepserat, ut cibum et potum juxta tumulos mortuis offerrent, quem morem vetera concilia, collecta a Gratiano (de consecrat. distinct. I.) subinde reprehendunt. Denique adhuc hodie in festo cathedrae lignea sella Romae ostendi solet, in qua Petrum, primum quem vocant pontificem, sedisse fabulantur. Agitur autem hoc festum die 22. februarii.

Festum Gregorii. §. 1. In fastis d. 12. mart. Gregorio M. sacer est, qui Romae episcopus fuit a. Chr. 590. Antequam Pontifex fieret, de suo patrimonio sex monasteria in Sicilia et unum Romae fundavit. Gregoriana haec monasteria nihil aliud erant, quam scholae pietatis et literarum, quarum ipse fuit inspector, donec, a pontifice Pelagio ad Angliam convertendam missus, Angliae apostolus fieret. —

§. 2. Auctor est Gregorius M. litaniae septiformis et renovator stationum urbis Romae. Statio autem est processio episcopi et clericorum per urbem, ita ut juxta quodvis templum consistatur et publica sacra tractentur. Litaniam autem septifornem Gregorius M. ad avertendam pestem instituit, quae tanta erat, ut vel sternutando homines mortui conciderent. Eadem pestis Pelagium papam sustulit, cui ipse datus est successor. Papa factus inprimis scholas curae habuit et Romae celebrem scholam cantorum ordinavit. Cumque patriarcha Constantinopolitanus arroganti titulo Oecumenicum se diceret, primus ipse servum servorum se dixit, quem titulum papa adhuc retinet, sed solum nomine. Propter egregia scripta tanti habitus est Gregorius, ut inter patres cardinales, qui vocantur, fuerit relatus, et quamvis ad superstitionem valde pronus fuerit, meliorem tamen Pontificem post haec tempora non habuimus. Obiit a. Chr. 606., cum per annos 13. papa fuisset. — §. 3. Hic vero papa cum insignis scholarum patronus fuerit, inde factum est, ut adhuc in ipsius die festo scholares cum episcopo personato urbem circumeant et canant. Dari iisdem munuscula solent, ut pueri ad scholarum amorem invitentur. Videtur mos iste a Quinquatiis gentilium descendere, quae Romani d. 20. martii in scholis suis adhuc ethnicis feriati sunt. Hoc die discipuli praeceptoribus suis didactra vel, ut vocabant, minervalia, praeceptores vicissim discipulis spicas dare solebant, qua de re Horatius:

Crustula blanda
Dant praeceptores pueris.

et Ovidius:

Qui bene placarit Pallada doctus erit.

Dom. Laetare (Mitfasten). §. 1. In medium quadragesimae dominica Laetare incidit, dicta ab introitu ex Jes. 66, 10. *Laetare, Jerusalem!* Hac dominica Pontifex auream rosam consecrat balsamo et moscho plenam; unde dicitur dominica de rosa. Dicitur quoque dominica de panibus, ob evangelium illius diei, quo Christus quinque millia hominum paucis panibus saturavit. Rosa, quam Pontifex hac dominica consecrat, auro, balsamo et moscho constat. Consecratio rosae peragitur prece, thure et aqua lustrali. Modus consecrandi in Cerem. Rom. copiose describitur. Consecratam rosam magno alicui et potenti principi in curia praesenti donat, qui eandem flexis genibus de manu Pontificis accipit. Rosa haec debet esse symbolum Christi, qui floris instar habet. Datur autem principi, ut meminerit ille, se rosam esse plantatam juxta rivos aquarum etc. Ps. 1, 1. Papam cursores circumstant, quibus pro munere rosae strenas dari oportet. Si forte nullus princeps rosa dignus adsit, Pontifex eandem extra Romam ad regem aliquem ac principem mittit, quem in devotione sua vult continere; quemadmodum Sleidanus refert, quod sub initium reformationis Leo X. per legatum suum Carolum a Miltitz hujusmodi rosam Friderico electori Saxoniae miserit, ut eum a Luthero alienum redderet. — §. 2. Sunt nonnulli, qui hunc ritum consecrationis rosae a. Chr. 1370. auctore Urbano V. coepisse putant, sed errant. Nam ante Urbanum Innocentius III. a. Chr. 1198. hujus rei memoriam fecit. Eadem dominica Laetare in urbe Mysna pueri

et puellae ex ramusculis abietis perticam varie exornatam circumferunt, simul ostiatim canunt et memoriam devictae mortis renovant stipemque colligunt. Quae consuetudo nescio qua occasione ad Polonos et Silesios traducta est. Hi enim dominica Laetare simulacra veluti spectra portant et tandem in lutum dejiciunt vel comburunt. Faciunt autem hoc ideo, ut hominibus in memoriam revocent idola per Poloniam et Silesiam a. Chr. 966. confracta et ejecta.

Festum annunciationis Mariae. §. 1. Die 25. martii adeoque in ipsa quadragesima festum annunciationis agitur, inde dictum, quod eo die archangelus Gabriel bona nova de incarnatione filii Dei detulerit coelo et Messiam ex virgine nascendum annunciaverit. Sed cum apud veteres quadragesima esset tempus moeroris, dies laetitiae minus commode agi videbatur. Hispani in Concil. Toletano X. decreverunt, ut festum annunciationis non in quadragesima, ut hodie moris est, sed in adventu ageretur, octavo die ante ferias natales. Hunc morem dicunt patres Toletani in remotissimis ecclesiis esse receptum. Quod ad antiquitatem hujus festi attinet, primus, qui ejus meminit, Athanasius fuisse videtur. Is enim in evang. de deipara festum annunciationis primarium et prorsus venerandum appellat, sed non b. Virgini, verum Christo dicatum affirmat. Recte autem cardinalis Baronius in notis ad martyr. Rom. negat, sermonem illum Athanasii esse, ideo quod auctor in eo contra Nestorium disputet, qui diu post Athanasium vixit. Igitur mavult hunc sermonem S. Cyrillo adscribi, qui a. Chr. 430. Nestorianismum refellit. Primus fuit Sergius papa a. Chr. 688, qui festum annunciationis litaniis honoravit, teste Platina in vita Sergii. Hymnos hujus festi Damascenus condidit, qui inter opera ejus adhuc extant. — §. 2. Eodem festo juxta evangelii ductum salutatio angelica: Ave Maria etc. pro concione tractanda est, quam salutationem nullatenus spernimus, cum sit vox angeli ad Dei mandatum coelo delata. Sed hoc reprehendimus, quod Pontificii hanc salutationem in orationem convertant, dum eadem formula b. Virginem invocant, quod ex psalterio Mariae vel ex rosario Mariae abunde constat. Nam in rosario decies orant: Ave Maria, antequam semel orationem dominicam recitant. Quin et in honorem Mariae et salutationis angelicae Alanus de Rupe, monachus Dominicanus a. Chr. 1430., fraternitatem rosarii instituit, in quo monachi ad certum globulorum numerum, quos: *pater noster* vocant, quotidie devotione magna deblaterant eamque b. Virgini annumerant. Lepidam historiam hac de re, si tamen est historia, ex Trittenheimio Balaeus Cent. 8. refert: *quod b. Virgo, ut pro condito rosario et fraternitate rosarii Alano monacho gratias referret, in cellulam ejus ingressa sit, de capillis suis annulum fecerit sibique desponderit, quin et osculum dederit mammasque contrectandas et lactandas, posteaque illi tam familiaris fuerit, ut sponsa solet esse suo sponso.* Sed fides sit penes auctorem!

Hebdomas magna (stille Woche). §. 1. Duae hebdomades, quarum altera festum paschatos proxime praecedit, ab Apostolorum fere tempore in ecclesia solennes fuerunt. Meminit enim hebdomadem passionis celebratam jam suo tempore S. Ignatius in ep. ad Philadelph.

Postea Constantini M. edicto eaedem hebdomades solemniores factae sunt, teste Paulo Diacono Hist. Rom. 2. Chrysostomus praesertim hebdomadam ante pascha primus magnam vocavit, ideo, quia magna et immensa beneficia Salvator hac hebdomade redimendis nobis impendit. Magna dicitur, quia in eadem tremendum et excelsum sacramentum eucharistiae fuit institutum. Magna dicitur, quia hac hebdomade olim maxima erat veterum abstinentia et rigida poenitentia. In concil. Laodiceno can. 46. hebdomas passionis dicitur, quia olim singulis hujus septimanae diebus historia passionis Christi publice praelegi et exponi solebat. Quod institutum Alexandro I. papae Durandus tribuit in Rat. temp. l. 69. Rationem vero, ob quam veteres historiam passionis publice praelegerunt, Chrysostomus hom. 88. super Matth. reddidit istam: *Ne ethnici dicant: vos Christiani praeclara Christi facta miracula praedicare nostis, sed opprobria ejus et mortem reticetis, ecclesia circa diem paschatos haec omnia publice legere jussit.* — §. 2. Prisci Germani hanc hebdomada vocant: die Karwoche, ab antiqua voce: Kar, quae proprie in foro mulctam significat, a judice reo confitenti vel convicto ob delictum aliquod impositam. Hanc dum actori solvit, dicere solebant: Er hat ihm einen Abtrag, Kar oder Wandel gethan, h. e. satisfecit actori. Ex foro igitur civili haec vocula in ecclesiam translata est, unde dictae sunt Carrinae vel Carenae. Cujus vocis apud collectores veterum canonum praesertim apud Burchardum Wormatiensem et Rheginonem nostrum mentio creberrima est. Erat autem Carena apud veteres Germanos jejunium aliquot dierum in pane et aqua. Dicta est igitur hebdomas ante pascha: die Karwoche, quod in ea rigidior poenitentia et rigidiora essent jejunia. Sed magis pie dicitur: die Karwoche, quod in illa Salvator crucifixus mulctam hominibus nobis subeundam persolverit et nostri loco Deo satisfecerit, quemadmodum etiam dies, quo crucifixus obiit Christus ob eandem causam dicitur: der Kar-Freitag. — §. 3. Quam religiosi veteres hac hebdomade fuerint, testimoniis veterum jam ostendemus. Ubi primus occurrit Tertullianus, qui (ad uxorem lib. 2.) ita scribit: *Quis circa solemnia paschae uxorem secum pernoctantem ferat?* Epiphanius Haeres. 75. *hac hebdomade humi cubasse Christianos, se ipsos afflixisse, non nisi aridos cibos comedisse, preces, vigilias et jejunia frequentasse* refert. Synodus Matisconensis secunda can. 2. ita ordinat: *Ne quis per sextiduum ante pascha ullum servile opus faceret, sed ut omnes hymnis paschalibus mane, vesperi et meridie in ecclesiis vacarent.* Caesarius Arelatens., qui a. Chr. 570. floruit, hoc imperat: *Proximis ante pascha diebus castimoniam servate, ab uxoribus abstinete, eleemosynas date, precibus, jejuniis, vigiliis, veluti gemmis vos ornate, pacifice etiam cum inimicis vivite.* — §. 4. His denique jucundas historiolas subnectere placet, quae hac hebdomade contigerunt. Ita Eusebius hist. eccl. 4. refert, quod Hierosolymis, cum in vigiliis paschalibus inter publica sacra oleum deficeret, Narcissus episcopus precibus obtinuerit, ut aqua lampadibus infusa olei vicem suppleverit. Idem Eusebius de vita Const. 4. refert, hunc Caesarem vigilias paschales tot luminibus illustres reddidisse, ut nox in diem conversa videretur, quin et non cereos, sed integras ex cera columnas vel moles

cereorum accendisse, ex quo in papatu cereus paschalis, et apud nostros ignis paschalis coepisse videtur (Oster-Feuer). Nicetas Pectoratus scribit, hist. 3.: *Imperatorem Isacium a. Chr. 1186. in more habuisse, ut per magnam hebdomadem pauperes viduas largissimis eleemosynis et pauperes puellas amplissima dote et sumtu nuptiarum adjuverit.* Denique non est praetereundum, quod Albertus Cranzius Saxon. 6, 46. recenset: *Voluisse aliquando Alexandrum III. hebdomade magna missam agere ideoque lectorem jussisse, ut historiam passionis publice legeret. Vix incepit lector, et subito horrendae tenebrae templum hoc occuparunt cumque lector in passione ad haec verba pervenisset: Consummatum est! stupendum fulgur cecidit et tantus fragor intonuit, ut Alexander territus ab altari, lector de pulpito et praesentes omnes e templo aufugerint.* Videtur eo ipso Deus Pontificem terrore voluisse, qui tunc temporis in Franconia contra Caesarem bella gerebat.

Dominica palmarum. — §. 1. Hujus festivitatis e primis Epiphanius sec. IV. exeunte meminit habito sermone *εἰς τὰ βαΐα*, h. e. ramos palmarum. Post Epiphanium ejus meminit Maximus Taurinensis, qui circa medium sec. V. editis homiliis claruit. Primus, qui hac dominica processiones instituit, Gregorius Magnus sub finem sec. VI. fuisse fertur. Post illa Paulus Warnefried, qui primus fuit postillator et super evangelia dominicalia homilias patrum primus collegit, inter dies festos dominicam palmarum connumerat. Vixit autem ille tempore Caroli M. Errat autem sine dubio Polyd. Vergilius, qui (de invent. rer. 6, 8.) ab Apostolis haec solennia constituta affirmat. — §. 2. Ideo *palmarum* dominica dicitur, quod in illa sub papatu solennis processio cum ramis palmarum facta sit. Ritum processionis Thom. Naogeorgus (videtur nomen fictum) in regno papist. 4. hos recenset: *Ligneum habent asinum hominemque ligneum asino superimpositum, quem appositis rotis e templo protrahunt. Tum vero populus omnis ante pedes asini palmas, salices, myrtos aliasque arborum frondes projiciunt et digito in eum intento, qui asino insidet, clamant: Hic est ille, qui venit in nomine Domini. Postea ramos et frondes asini pedibus quasi sacratas iterum tollunt, quibus contra fulmina aliasque coeli injurias se salvos fore confidunt.* Addit Naogeorgius, *sibi visos reges et principes, qui coram asino procubuerint; se quoque nosse opulentos divites, qui magno redemerint licentiam protrahendi illum asinum.* Tandem vero ita concludit: *Si quis et hos asinos putet, haud erraverit hercle.* Fama est, fuisse Cracoviae aliquando Turcicos legatos, qui, cum spectassent, sublatis manibus clamaverint: *Quam impii estis vos Christiani, qui asinum adoratis!* Olim quoque hac dominica imperator Graecus aurea numismata inter ministros suos distribuere solitus est, quod operose recenset Luitprandus 6, 5. — §. 3. Eadem dominica palmarum solennis acclamatio Salvatori facta refertur: Hosianna filio David! Sciendum igitur est, vocem Hosianna hebraicam esse, et significare: Serva quaeso, da salutem! Desumta est ex Ps. 118, 24., ubi haec habentur: *Haec est dies, quam fecit dominus, exultemus et laetemur in eo! Hosianna sive serva quaeso et salva!* O Herr, hilf! etc. Erat autem apud Judaeos receptum, ut in festo tabernaculorum, quando non domi suae, sed in ten-

toriis vivebant, psalmum hunc subinde canerent. Et cum festum hoc per integros septem dies continuaretur, quilibet dies peculiare suum Hosianna habebat. Hosianna autem vocabantur omnes hymni, quos in festo tabernaculorum canere solebant. Ideo autem Hosianna vocabantur, quod singuli versus hac voce terminarentur, proinde ut apud nos cantica sacra per: Alleluja, vel: *Κύριε ἐλέησον* terminantur. Praeterea Judaei eodem festo ramos palmarum et olivarum, quin et myrtos et salices manu gestabant et fasciculum inde confectum similiter Hosianna vocabant, ideo, quod quoties in cantico illius festi Hosianna caneretur, populos hos fasciculos quatere et movere solebat. Denique moris fuit apud Judaeos, ut in prima institutione liberos suos Hosianna docerent, propterea, ut sub adventum Messiae uti eodem commode possent, quod et sub adventum Christi ita contigit. Alias eadem dominica non Hosianna tantum, sed et indulgentiae dominica vocabatur; non ideo, quod eo die poenitentia relaxaretur, nam per magnam hebdomadem poenitentes rigidissime vixerunt; sed ideo, quod hac dominica reis in carcere venia daretur et, ut docet Ambrosius ep. 33. ad sororem, debita relaxarentur. Antiqui moris vestigium adhuc Lutetiis in Gallia superest, ubi hac dominica ad intercessionem episcopi reus aliquis e carcere dimittitur. Videtur a Judaeis haec consuetudo coepisse. Nam et hi circa pascha maleficum aliquem precibus suis e carcere solvere poterant.

Dies viridium. §. 1, Vocatur apud veteres festum calicis, quia eo die institutio s. eucharistiae memoratur. Dicitur capitilavium; nam eodem die capita infantum et baptizandorum ablui solebant, ne sordidati ad baptismum accederent. Vid. Durand. Rat. temp. 6, 76. Quam antiquum vero est hoc festum? Prima aetate dies hic non fuit peculiare festum, sed pari solennitate cum reliquis diebus magnae hebdomadis. Sed cum postea non omnes dies hujus septimanae solennes essent, primus fuit Leo II. a. Chr. 682, qui diem viridium festum peculiare esse jussit. Quod ad ritus die viridium fieri solitos attinet, sciendum est, quod olim hoc die Competentes in ecclesiam fuerint inducti et publice examinati. Ubi iterum notandum, in veteri ecclesia catechumenos sive tirones christianae fidei, qui relicto paganismo vel judaismo fidem Christi docebantur, fuisse trium generum. Alii vocantur *Audientes*, qui ad auditionem verbi in templis admittebantur, quos autem habita concione statim exire oportuit. Meminit audientium jam suo aevo Tertullianus. Alii vocabantur *Competentes*, qui in fide jam instructi baptismum sibi conferri humillime petebant, quemadmodum hodie competitores dicimus *candidatos*, qui eundem simul gradum petunt. Haec petitio baptismi cum dominica palmarum fieret, eadem *dominica Competentium* vocabatur. Alii denique erant *Electi*, qui peractis scrutiniis in examine catechetico probe constiterant dignique baptismo habiti in ipso festo paschae ad suscipiendum baptismum ex Competentibus erant delecti. Plura hac de re videantur apud Isidorum Hisp. de divin. offic. *Competentes* quod attinet, hi quemadmodum dominica palmarum symbolum apostolicum et orationem dominicam acceperunt, ita per reliquos dies magnae septimanae haec duo ediscere oportuit, donec die viridium publice recitassent. Post diem

viridium, cum symbolum recitassent, scrutinia, h. e. rigida examina catechetica subire illos oportuit, ut constaret, num digni essent, qui paschatis festo baptizarentur. — §. 2. Praeterea die viridium poenitentes, qui in capite quadragesimae sive die cinerum ab ecclesia erant ejecti, in ecclesiam reducti sunt, cum ecclesia reconciliati et ad s. communionem denuo admissi. Sequiori aevo sub papatu varii ritus in diem viridium invecti sunt. Nam eo die campanas non pulsant, sed signum missae tabula datur in signum publici moeroris, teste Durando in Rat. temp. 6, 72. Quin et Pontifex sub altare se recondit et in cryptis eucharistiam conficit. Eodem die chrisma pristinum comburitur et novum consecratur, quod a Fabiano papa circa a. Chr. 240. ita institutum ajunt. Eodem die Pontifex ex cathedra Petri, quam vocant, haereticos omnes, h. e. a se et curia Rom. dissentientes, in specie Lutheranos et quotquot Lutheranis favent eorumve libros legunt, horribili bulla excommunicat et condemnat, quae bulla coenae dominicae vocari solet. Eodem die coram Pontifice duodecim pauperes comparent, quorum pedes Pontifex lavat, cujus consuetudinis vestigium aliis quoque in locis fuisse Augustinus meminit ep. 118 ad Januar. Eodem die altaria omnia ornamentis suis denudantur et nigris linteis obteguntur, quin et candelae omnes praeter unam ceream quadam manu extingui solent. De quibus qui plura voluerit, Cerem. Rom. consulat. Nostri vocant: den grünen Donnerstag. Ratio nominis vix constat. Theod. Thummius in tract. de festis rationem hanc reddit, quod cum arefacta essent sacrificia V. T., Salvator, Davidicum illud germen et radix Jesse, in locum aridorum sacramentorum V. T. novum germen sive novum sacramentum plantaverit, cujus beneficio fides nostra revirescit.

Parasceve (stille Freitag). §. 1. Quod ad originem hujus festi attinet, Eusebius Constantino hanc laudem tribuit, quod dies parasceves apud omnes Christianos fuerit celebratus. Sed nos ab apostolico aevo diem parasceves solennem fuisse arbitramur; primus autem fuit Constantinus, qui imperiali edicto solenniorem fecit. Certe Augustinus diem memorialem passionis inter oecumenica festa cum paschate et pentecoste connumerat. Errant autem Pontificii, qui in honorem ligneae crucis parasceven agunt, quod jamdudum S. Chrysostomus homiliam de cruce Christi, qua magna crucis Christi encomia continentur, die parasceves habuerit. Sed sciant studiosi sacr. antiqq., quae Chrysostomus in laudem crucis protulit, non de ligno crucis, sed de passione Christi crucifixi intelligi debere. — §. 2. Quod ad ritus diei parasceves attinet, uno hoc die apud Latinos communio praesanctificatorum agitur. Praesanctificata vocantur symbola, praecedentibus diebus consecrata. Origo eorum haec est: Graeci per totam quadragesimam nullo die eucharistiam conficiunt, nisi sabbato et die dominico. Ratio est, quod sacrificare sit actus laetitiae et festivitatis; sed per quadragesimam dies luctuum sunt et moeroris, exceptis sabbato et die dominico. Eucharistiam in tanta copia consecrant, ut non tantum pro praesenti communicantibus satis sit, sed et in reliquos dies abundet. Cum igitur de symbolis heri et nudius tertius consecratis communicant, haec communio praesanctificatorum dicitur.

Apud Latinos olim talis communio non fuit, sed media aetate Latini Graecos imitati semel in anno, nempe die parasceves, de symbolis praecedente die viridium consecratis communicarunt. Antiquiorem testem hujus rei non habemus quam Ordinem Rom., qui ante haec octo sec. conditus videtur. Edidit Geo. Cassander libellos quatuor Ordinis Romani, in quibus sub titulo: Ordo in die parasceves, ita legimus: *Die parasceves missa non canitur nec in sabbato magno usque ad vigilias noctis. Hinc nefas censemus illo die eucharistiam conficere.* — §. 3. Praeterea in veteri ecclesia sacrosanctum fuit parasceves jejunium, quod in ecclesiis hujus provinciae adhuc agimus. Sancitum est hoc jejunium a. Chr. 633. in conc. Tolet. IV., quod non jejunantes die parasceves a publicis sacris die paschatis prohibet. Porro veteres die parasceves historiam passionis dominicae populo a capite ad calcem praelegere vel decantare solebant, donec in papatu per comoedias quoque passio Domini repraesentaretur. Moris quoque est apud Pontificios, ut lector, dum passionem legit, stet nudipes in nudo pulpito et quoties in historia passionis nomen Judae occurrit, populus tumultum excitat, malleolis pulsat, Judam conviitiis proscindit. Deinde veteres die parasceves a flectendis genibus et a mutuo osculo abstinuerunt. Rationem hujus rei reddit Berno in serm. de jejun. quatuor temporum, fieri hoc ideo, ne Christiani Judaeos imitari videantur, qui die parasceves positis genibus Dominum illuserunt, vel Judam proditorem, qui osculo dominum prodidit. — §. 4. Praeter veteres istos ritus Pontificii die parasceves populo imaginem crucifixi non sine tragica vociferatione ostendunt, ut lacrymas auditorum provocent. Interdum lignum crucis per urbem reptando bajulant idque subinde osculantur. In multis etiam locis ostentui est Veronica sive sudarium Christi, cui Salvator, dum sanguinis guttas de facie abstersit, vultum suum impressisse fertur. Exhibito sudario clamant omnes: *Misericordia! Misericordia!* Quin et hanc orationem fundere solent:

Ave, facies praeclara,
Quae nobis in crucis ara
Facta es sic pallida.

Primus fuit Innocentius IV. a. Chr. 1250., qui amplissimas indulgentias huic sudario Christi apposuit. Scribit Polydorus Vergil. hist. Anglic. 8, 125: *die parasceves morem in Anglia esse, ut rex cum magna solennitate annulos quosdam consecret, qui morbo comitiali mederi dicuntur,* cujus tamen rei fides sit penes auctorem.

Sabbatum Magnum. §. 1 Sabbato magno in veteri ecclesia ob honorem Domini sepulti inque sepulchro quiescentis quieta et tranquilla fuerunt omnia, donec nox ingrueret. Sed cum nox advenisset, eam fere totam pervigilio sacro honorarunt, quod pervigilium paschae usque ad horam noctis secundam protrahere solebant nec ullum pervigilium veteri ecclesiae antiquius et sanctius. Meminit ejus jam suo aevo Tertullianus (ad ux. 2.): *Quis,* inquit, *circa solennia paschae uxorem secum pernoctantem ferat?* Priscis hoc pervigilium dici solet ἡ μεγάλη διανυκτέρευσις, quod magna ejus solennitas esset. *Per totam illam*

noctem, quae est ante pascha, scribit Gregor. Nyss. orat. 4. in pascha, *sacri sermones aures nostras circumsonant in hymnis et canticis, non aliter ac si flumen laetitiae per aures in animum deflueret.* — §. 2. Idem Nyssenus noctem paschae praeviam tot lucernis splendere solitam refert, ut serenissimi diei instar habuerit. *Haec splendida nox*, inquit, *accensis luminibus cum sole matutino unum quasi diem efficit, ut illud prophetae impleatur: hic est dies, quem fecit dominus, ut exultemus et laetemur in eo.* Sane Constantinus M. auctore Eusebio de vita Const. 4, 22. noctem ante pascha in diurnam lucem commutasse fertur adeo, ut accensis ignibus nox die clarior sit reddita. Ratio hujus pervigilii paschalis apud Isidorum Hispal. ita redditur: *Nox paschae*, inquit, *pervigil dicitur ob duas rationes, quia hac nocte Salvator crucifixus, lux illa, quae omnem hominem illuminat, de tumulo iterum sit ortus.* Putarunt igitur veteres, cum sole justitiae excitato etiam sibi vigilandum esse. *Altera ratio est, quod antiqua sit traditio*, ab Hieronymo (comm. in Matth. c. 25.) apostolica dicta, *Dominum nostrum J. C. eadem hora noctis, qua surrexit, ad judicium rediturum esse.* Voluerunt igitur veteres vigiliis istis adventum Christi ad judicium pie expectari. — §. 3. Apud Pontificios sabbato magno hi ritus sunt usitati. Ignem veterem omnem in templis extinguunt et novum ex chalybe eliciunt eumque consecrant, ex hoc igne singuli torrem arripiunt eumque domum ferunt et beneficio illius torris per totum annum injuriis coeli et ab incendio se tutos fore existimant. Nescio, annon ab hoc ritu in nostras ecclesias ignis paschalis irrepserit. Sabbato magno Pontificii ingentem cereum consecrant, qui paschalis dici solet. In isto cereo multa sunt foramina, quibus grana thuris injiciunt. Hic cereus de novo igne paschali accenditur in honorem Christi resurgentis. Eodem die in baptisteria novam aquam infundunt eamque ad usum baptismi consecrant, dum fontem baptismi sacerdos novies circumit, ter aquam tangit, cruce signat, afflat et candelam injicit. Hanc aquam contra morbos hominibus et jumentis prodesse fabulantur. Denique sabbato magno jejunia solvuntur, altaria iterum splendide ornantur, campanae pulsantur etc. Quae omnia Thomas Naog. l. l. eleganter perstringit.

De Vigiliis. Occasione pervigilii paschalis, quo nullum in veteri ecclesia fuit sanctius, aliquid de vigiliis veterum dicemus. Ubi sciendum est, tempore Apostolorum et diu post Christianis ob graves insidias et continuas persecutiones interdiu ad sacra publica convenire vix licuisse. Primi igitur Christiani coetus nocturnos et antelucanos habuerunt, prout ex epistola Plinii constat. Inprimis autem cum solennius instaret festum, amoto quoque metu persecutionum, nocte praevia vigilare soliti sunt, quemadmodum Tertullianus jam suo aevo pervigilium paschale memorat. Hae autem vigiliae communiter in coemeteriis juxta tumulos martyrum fieri solebant scribitque Theodoretus, hist. eccl. 5, 52., *primum fuisse Antiochiae Leontium episcopum, qui populo persuaserit, ut relictis sepulchris vigilias in templis agerent*, quod factum est circa a. Chr. 375. Verum nocturna haec sacra, sive ad tumulos sive in templis peragerentur, lapsu temporum multis sceleribus ansam dederunt, praesertim ex mulierum accessu. Hinc synodus Libertina ante conc. Nicenum

vigilias foeminarum in coemeteriis severe prohibuit, quod saepe sub
praetextu orationis occulta scelera committerent. Quin et in codice
Theodosiano nocturna sacra aboleri jubentur, quin et Vigilantius aperte
vigiliis bellum indixit et contra easdem acriter disputavit. Quem Hiero-
nymus acerbius quam par erat refutavit eumque Dormitantium vocavit,
qui vigilias rejiceret. Nihilominus abusus vigiliarum indies crevit, cum
in iis pueri et puellae suos amores meditarentur, juvenes fornicarentur
et senes lenocinia facerent. Tandem igitur ecclesiae necessitas fuit im-
posita, ut vigilias veterum tolleret. Nihilominus in locum vigiliarum je-
junia successerunt, quae die majoris festi praevio agere soliti sunt. At-
que haec jejunia vigiliarum nomen retinuerunt. Factum hoc est circa a.
Chr. 420. Pulchre hac de re Mantuanus lib. I. Fastorum:

Majores nostri in templis vigilare solebant
Festa recepturi. Hunc morem nova sustulit aetas.
Nam quia nox sceleri solet esse occasio et illud
Observant, qui furta volunt committere, tempus:
Jejunare diem visum est sapientibus illum
Qui praeit festum et noctem dormire cubili.

Festum Paschae. §. 1. Circa festum paschae cum primis
memorabile est diuturnum schisma, quod ab initio ecclesiae verae circa
diem paschae obortum est. Cujus origo ut constet, sciant studiosi sacr.
antiqq., ineunte ecclesia Apostolos, exemplum Christi subsecutos, pascha
suum eodem die cum Judaeis celebrasse, ideo ut hac rituum similitudine
Judaeos lucrifacerent. Post illa, cum gentium ecclesia accresceret, Apo-
stoli docuerunt, Christianos in N. T. ad certos dies festos, qui lege Mo-
saica sint praecepti, non amplius teneri, cum finis legis sit Christus. —
§. 2. Proinde ex Apostolis nonnulli, praesertim Romae Petrus et Paulus,
libertate christiana usi non amplius diem paschae cum Judaeis commu-
nem habuerunt, sed in diem dominicum transtulerunt et Christo resur-
genti dedicarunt. Alii vero ex Apostolis, praesertim Johannes apostolus
in Asia ad veterum morem pascha eodem cum Judaeis die celebravit,
quod a Johanne factum ipse S. Polycarpus episc. Smyrn. vidit, teste Ire-
naeo in ep. ad Victorem. Johannem imitati sunt omnes Christiani in
Asia, dicti Asiatici et alio nomine Graecis τεσσαρεσκαιδεκατῖται, Lati-
nis *Quartodecimani*, ideo quod juxta legem Mosaicam decima quarta luna
mensis Nisan pascha agerent et judaizare viderentur. Germani eosdem
vocarunt: Osterlinge, Paschatitas, quod de paschate controversias age-
rent. Hi Asiatici in festo paschae non memoriam resurrectionis, sed in-
stitutae coenae dominicae celebrarunt. — §. 3. Haec dierum diversitas
inter Asiaticos et Romanos vivis Apostolis coepit quidem, sed non fuit
animadversa, donec circa a. Chr. 148. **Pius** pont. rom. angelica, ut fer-
tur, apparitione monitus, decretum conderet, ne festum paschae alio quam
ominico die ageretur. Ab hoc tempore coepit contentio, praesertim cum
i successor Anicetus insolentius urgeret, ut pascha dominico die fie-
t. Sed fervorem Aniceti mitigavit S. Polycarpus, qui hac causa ex
ia Romam adiit, id quod Aniceto adeo placuit, ut S. Polycarpo in missa
s partes concederet, teste Euseb. hist. eccl. 5. Post obitum Polycarpi

et Aniceti circa a. Chr. 179. sub Eleutherio papa (qui primus episcoporum romanorum morte non violenta periit) controversia de die paschali adeo invaluit, ut publice quoque libri hac de re ederentur. Asiaticos duobus libellis defendit Melito, episc. Sard., (qui omnium primus numerum librorum canonicorum in ecclesia scripsit,) Romanos defendit Clemens Alex., condito cyclo paschali. — §. 4. Circa initium sec. III. eadem controversia in formale schisma prorupit. Nam Victor papa omnes ecclesias in Asia, quamvis martyrum sanguine nobiles, praecipiti anathemate percussit et excommunicavit, non aliam ob causam, quam quod Christiani in Asia eodem die cum Judaeis pascha agerent. Sed haec praecipitantia Victoris studiosis concordiae virisque moderatioribus valde displicuit. Nostri doctores existimant, anathema hoc Victoris fuisse primum vagitum antichristi adhuc infantis in cathedra Petri. Cumprimis S. Irenaeus, Lugduni in Gallia episc., egregiam epistolam contra praecipitantiam illam Papae scripsit, quae extat adhuc apud Euseb. hist. eccl. 5, 24. Unde discimus, S. Irenaeum infallibilitatem papae non credidisse. — §. 5. Sopitum quidem sec. III. schisma de die paschae, sed post intra sec. III. sub Constantino M. recruduit. Nam laudatissimus hic imperator Hosium, episcopum Cordubensem, virum in conciliis celebrem et, ut ajunt, auctorem concilii Niceni, ad Asiaticos misit et comiter monuit, ne in posterum diem paschae cum Judaeis χριστοκτόνοις, qui Dominum crucifixissent, communem haberent. Sed Asiatici responderunt, diem quidem cum Judaeis sibi communem, sed festum christianum esse. Ita re infecta Hosius ex Asia discessit. Tandem vero in concilio oecumenico Nic. ecclesia unanimi consensu sanxit, ut per totum orbem christianum pascha non cum Judaeis neque in memoriam coenae dominicae, sed die quotannis dominico in memoriam resurrectionis ageretur. Post canonem hunc remanserunt quidem nonnulli τεσσαρεσκαιδεκατῖται, qui concilio Nic. aliud decretum opposuerunt, dictum adiaphorum, quod de re indifferenti esset; et quia auctor hujus decreti vocabatur *Sabbatius*, homo Novatianus, dicti sunt *Sabbatiani*, qui concilio Niceno hac in re se opponerent. Tandem tamen Constantinus M. et concil. Nic. in tantum praevaluit, ut in hunc usque diem totus orbis christianus pascha die dominico celebret. — §. 6. Nomen paschae, vel rectius Pesa, Hebraeis a transiliendo dicitur nec tam transitum Israelitarum per mare rubrum, quae vulgi est opinio, sed transilitionem vel saltum angeli percussoris denotat, qui cum postes domum Israeliticarum sanguine agni paschalis respersas cerneret, nihil noxae iisdem inferre poterat; cujus angelici transitus memoriam Israelitae annuo festo paschae celebrarunt. Hinc Josephus *festum* τῆς ὑπερβάσεως *appellat.* Nos Christiani, etsi festo paschae nec transitum per mare rubrum nec transitionem angeli percussoris recordemur, nomen tamen paschae retinemus, quia eodem festo nos sanguine agni immaculati, h. e. Christi redemptos et ab angelo percussore, h. e. a Satana liberatos memoramus. Germani vocant: Ostern, ab antiqua voce: Urstende vel Auferstehung, quia hoc festo resurrectionem Christi expendimus. Alii putant: Ostern dici *ab hostia*, unde etiam paschales oblatae dicuntur. Nam et nos Christiani hostiam habemus pro nobis immolatam, quae est

Christus 1 Cor. 15, 8. Alii putant, Ostern dici ab Ost, i. e. oriente, propterea, quod sole oriente sol justitiae surrexerit et quod oriens in sacris lucis et laetitiae symbolum sit. Alii denique Ostern putant inde dici, quod in mensem aprilis incidat, quem veteres Teutones vocarunt den Coster Monat, a Dea quadam Coster, cui mense aprili sacrificabant. — §. 7. Jam ipsos paschales ritus spectemus. In veteri ecclesia nullum fuit festum solennius quam dies paschae, quo primi Christiani noctu et interdiu in coetum coire, resurrectionem Domini non pro concione tantum intimare, sed et in privatis congressibus ita se invicem salutare solebant: Surrexit Dominus? cui alter respondit: Vere surrexit et Simoni apparuit. Eodem festo jejunia solvebantur et catechumeni ex competentibus electi baptizabantur. Nam in veteri ecclesia extra pascha et pentecosten baptismus ordinarie nemini collatus est, qua de re S. Leonis verba a Rheginone nostro c. 264. citata haec sunt: *Baptizandis in ecclesia electis duo sunt tempora legitima, pascha et pentecoste, ideoque dilectionem vestram monemus, ne alios dies huic observantiae misceatis. Licet enim alia quoque festa sint, quibus magna reverentia debetur, principaliter tamen festum paschae et pentecostes custodiendum nobis est, ita tamen, ut periclitantibus baptismum quovis alio tempore conferre liceat.* — §. 8. Praeterea veteres Christiani loco agni paschalis eucharistiam comedere solebant; imo tam sanctum fuit in veteri ecclesia communicare in festo paschae, ut conc. Agathense neget, illum Christianum esse, qui in festo nativitatis, paschae et pentecostes non communicaret. Quin et in paschate convivia sacra consentiente episcopo in templis exhibita populo sunt, cujus consuetudinis jam suo aevo Athanasius meminit in epist. ad Tracont. Romae moris est, ut in paschate Pontifici dicenti: Pax vobiscum! nemo respondeat. Mos inde fertur esse, quod cum aliquando Gregorius M. in Missa diceret: Pax vobiscum! angelus e coelo responderit: *Et cum spiritu tuo.* Eodem festo paschae processio instituitur, a qua processiones omnes per totum annum dependent. Processio autem inde coepit, quod angelus resurrectionis praeco ad mulieres dixerit: *Ite, dicite discipulis, quia praecedet vos.* Porro in honorem Trinitatis ardentes cereos super altaria ponunt. In Cent. Magdeb. 2, 6. de populis in Hibernia refertur, quod per annum rapinis et furtis indulgeant atque ita lucrentur, in honorem Christi resurgentis festo paschae pro concione varios jocos et ridiculas fabellas tractent atque risu plebem captent, qui risus laetitiae paschalis debet esse index. Sed profana est haec consuetudo, cum in tanto festo Christianos maxime sobrios et devotos esse deceat. — §. 9. Intra hos terminos abusus non constiterunt. Alii enim episcopi in signum laetitiae paschalis cum clericis suis ad choreas quoque et ad pilae ludum descenderunt fuitque haec dicta libertas decembrica, ideo quod a gentilium Saturnalibus, mense decembri fieri solitis, haec profanatio paschae coeperit. In multis quoque ecclesiis moris fuit, ut feria secunda paschae mulieres suos maritos verberarent, sed mariti feria tertia vices reddiderint et mulieres suas repercusserint. Dicunt hoc factum, quod conjuges se mutuo corrigere debeant nec per hos festos dies ab invicem debitum thori exigerent,

quemadmodum haec omnia vel pleraque saltem Durandus (Rat. divin. offic. lib. 6.) prolixius refert.

Pentecoste veterum. Notanter dixi: pentecoste veterum. Nam pentecoste, quam hodie agimus, toto coelo a veteri illa distat, quia hodie pentecosten dicimus diem a paschate quinquagesimum, quo in Apostolos effusus est Spiritus sanctus. In veteri ecclesia pentecosten vocarunt dies istos quinquaginta continuos, qui inter pascha et quam hodie dicimus pentecosten interjacent. Meminit horum festorum dierum Tertullianus eosque omnium nationum festis anteponit. Ambrosius hos quinquaginta dies omnes et singulos veluti dominicos habitos refert serm. 61. Chrysostomus eosdem *dies indulgentiae* vocat, quibus ita corpus reficere monentur, ne animus inquinetur. Ratio hujus prolixae festivitatis erat insigne gaudium ex resurrectione dominica et completo redemptionis opere conceptum. Originem hujus quinquagintadialis festi Ambrosius a Salvatore nostro derivat. *Ita*, inquit l. l., *Dominus disposuit, ut per quadragesimam contristemur et per quinquagesimam laetemur.* Hilarius in prol. super psalm. hos dies ab Apostolis conditos affirmat. Verum Tertullianus, ut antiquior caeteris, ita rectius judicat, hanc veterum pentecosten ab ecclesia traditam et consuetudine receptam esse. Ritus, quibus veteres hos quinquaginta dies celebrarunt, cumprimis hi fuerunt: per hosce dies nunquam jejunarunt; nunquam per hos dies genua flexerunt, sed stantes et erecti orarunt, ut refert Tertullianus. Per eosdem dies sacris meditationibus et canticis laetitiae operati sunt, praesertim per omnia templa resonuit Alleluja, quod per quadragesimam non oportuit, teste Augustino tract. 17. in Joh. Verum hodie haec veterum pentecoste, quamvis festum antiquissimum et oecumenicum fuerit, in orbe christiano cessat. Unde discitur, quanta sit in ritibus, etiam oecumenicis, abrogandis ecclesiae libertas.

Septimana in albis. Hebdomada in albis (weisse Woche) veteres vocarunt eam, quae a festo paschae proxima est. Ratio nominis est duplex: quod in festo paschae, cum surrexerat Dominus, angeli niveis vestibus induti comparuerunt; quod in veteri ecclesia neophyti, h. e. recens baptizati in festo paschatos per integram hanc septimanam candidas vestes usque ad diem sabbati gestaverunt. Qua de re eleganter Lactantius de resurrect. Domini:

Candidus egreditur nitidis exercitus undis.

Et iterum:

Fulgentes animas vestis quoque candida signat
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Hinc enim Augustinus ep. ad Jan. 119. hebdomada paschae festum neophytorum appellat. Confirmavit hoc festum in albis Constantinus M., teste Paulo Diacono lib. 2. rerum Longob. Quin imo in conc. Trullano, quod c. a. Chr. 691. habitum est, can. 66. sancitum est, ut non neophyti tantum, sed fideles omnes per hebdomada paschae in templis commorarentur, psalmos hymnosque canerent, lectioni S. scripturae attenderent et sacris mysteriis fruerentur neque per hos dies spectacula aut ludi equestres fierent. Post haec in conc. Meldensi circa medium sec. IX.

can 77. itidem per octiduum paschae celebrari sub anathemate jubetur. Nihilominus syn. Moguntina, in Germania sec. IX. habita, festum paschae usque ad feriam quintam can. 36. reducit. Verba concilii haec sunt: *Feria quinta paschae* (h. e. die Jovis) *licentiam damus arandi*, *seminandi*, *hortum vel vineam colendi, sepem ducendi.* Tandem sequiori aevo festivitas paschae ad triduum restricta est. Cujus tridui paschalis antiquiorem testem non habemus Durando, qui in Rat. 6, 86. ita scribit: *Primis diebus tribus paschae feriandum est*, *sed per reliquos dies viris agriculturam exercere licet*; *foeminis autem nere non licet*, *quia hoc est minus necessarium*; *choreas autem ducere*, *simpliciter non licet.* Subjungit Durandus alios quosdam ritus paschales olim usitatos, v. c. quod recens baptizati per dies paschae cum cereo paschali ad sacros fontes processerint, cantica laetitiae cecinerint, ad eucharistiam cum patrimis suis accesserint. Item, quod in multis locis pictus quidam serpens in baculo fuerit praelatus. Denique Lud. Vives in not. ad Augustinum de civ. Dei 8, 27. in pravum morem paschalem invehitur, dum nimirum per solennes hos dies ludi scenici fuerunt instituti. *Ibi*, inquit, *deridetur Judas, discipuli fugiunt, milites sequuntur*, *Petrus auriculam Malcho abscindit etc.*, *quae omnia risum populi excitant.* Tandem ita concluditur: *Fiunt haec magno scelere non tam eorum qui spectant*, *quam sacerdotum*, *qui hoc in templis fieri permittunt.*

Dominica in albis. Dominica Quasimodogeniti ab antiquis in albis dicitur ideo, quod hac dominica olim neophyti, qui in festo paschae erant baptizati, albas suas vestes, quas per hebdomadem paschalem gestaverant, deponerent. Eo die Pontificii adhuc cereos orbiculos, quos ab impressa figura agnos Dei nominant, benedicunt eosque Romae Pontifex non tantum inter cardinales et celericos distribuit, sed et magni muneris instar ad reges et principes mittit. Quo ritu consecrentur, in Cerem. Rom. pluribus describitur. His imagunculis sive agnis Dei miram vim tribuunt, v. g. quod fulgura pellant, quod incendia restinguant, quod eripiant ex aqua, quod gravidas servent et, quod maxime impium est, quod peccatum frangant ut Christi sanguis. Videtur mos iste ab ethnicis acceptus. Nam apud ethnicos quoque *festa sigillaria* erant, quibus amici sigilla vel parvas imagines ex auro, argento vel aere sibi invicem mittere solebant. Ipse cardinalis Baronius agnos Dei ex paganismo derivat, sed alia ratione. *Ethnici*, inquit, *infantibus suis bullas appendere solebant*, *quibus imaguncula cordis erat impressa*, *ut ab infantibus fascinum averterent. Ad has abolendas ecclesia maluit cereos orbiculos conficere*, *qui agnum Dei tollentem peccata mundi referrent.*

Festum ascensionis. In primitiva ecclesia festum ascensionis Christi nullibi seorsim memoratur. Sed veteres hunc diem festum sub sua pentecoste sive sub quinquaginta illis diebus, qui inter pascha et nostram pentecosten interjacent et omnes olim festi fuerunt, complexi sunt. Primus autem, qui seorsim festi ascensionis meminit, est Augustinus in ep. ad Januarium his verbis: *Quae tradita custodimus et toto orbe christiano observantur*, *sine dubio ab ipsis Apostolis vel plenariis conciliis*, *quorum saluberrima est auctoritas*, *constituta sunt*, *v. g. quod passio dominica et resurrectio*, *ascensio in coelum et effusio Spiritus sancti quotannis*

celebrantur. Pontificii hoc festo multa ridicula faciunt. Refert enim Thom. Naogeorg. in Regn. papist. 4., quod in festo ascensionis quemlibet volucrem comedere oportuerit. Addit: *haud scio qua propter*. Item quod in templis positus sit truncus, qui Christum referat et sursum fuerit tractus, quo peracto imago Satanae fuit ejecta et discerpta. Item quod ex superiori templo oblatae fuerint sparsae, quas dum populus captat aqua in eos profunditur. *Tandem*, inquit, *finitur magno fabella cachinno*.

Dies rogationum. Circa a. Chr. 446. Viennae in Gallia crebra fuerunt incendia, assidui terrae motus et nocturni sonitus, quin et lupi inter medios homines in ipsa urbe circumcurrerunt eosque laniarunt. Quae omnia graves terrores civibus Viennae incusserunt, donec vigiliae paschales adessent, in nocte paschali, cum sacra nocturna fierent, templum ipsum subita flamma corripuit populusque omnis e templo se proripuit. Solus episcopus Mamercus coram altari precibus insistit et lacrymarum flumine ignem restinguit. Sopito igne populus ad templum revertitur et accensis hinc inde luminibus, in symbolum laetitiae, gratias Deo Servatori agit. In memoriam rei gestae Mamercus dies supplicationum instituit, qui quidem in initio cum festo paschatis fuerunt conjuncti, sed paulo post, ne luctus et jejunia gaudium paschae interciperent, selectum est triduum illud, quod diem ascensionis proxime antecedit. Quamvis vero Mamercus in Viennensi tantum ecclesia haec ita instituisset, nihilominus non tantum Gallia, sed tota ecclesia occidentalis hos supplicationum dies recepit, qua de re in concil. Mogunt. hoc statutum habemus: *Cum Gallia lupis infestaretur nec hujus flagelli remedium esset, episcopi Galliae congregati triduum jejunium quotannis facere statuerunt, qui dies postea celebritas annua facti sunt. Agamus igitur et nos rogationum dies cum summa devotione, cum abstinentia a carne, cum humilitate cordis, non ut visibiles lupos, sed invisibiles sive immundos spiritus evadamus. Nemo per hos dies vestem pretiosam induat, quia in sacco et cinere lugere tum debemus. Nemo per hos dies inebrietur, nemo equitare praesumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant et in communi litania canant Deumque pro peccatis suis, pro pace, pro peste, pro conservandis frugibus et pro ceteris suis necessitatibus deprecentur. Dies enim abstinentiae sunt, non laetitiae*, prout haec citat Rhegino de disc. eccl. c. 228.

Festum S. Marci. §. 1. Dies Marci in 25. aprilis diem incidit. Fuit autem S. Marcus juxta Epiphanium ex 70. discipulis, S. Petri apostoli comes, scriptor evangelii, quod nobilem fontem in canone N. T. adhuc constituit. Scriptum autem est evangelium Marci hac occasione. Cum Petrus Romae doceret, auditores tam studiosi concionum Petri fuerunt, ut Marcum Petri comitem instanter rogaverint doctrinam a Petro traditam in literas referre, quorum precibus inductus Marcus evangelium condidit, prout refert Irenaeus 2, 14. Eusebius addit, apostolum Petrum, viso evangelio Marci, studium auditorum horum comprobasse, evangelium Marci confirmasse et ut in ecclesia legeretur jussisse. Hinc est, quod Tertullianus evangelium Marci evangelium Petri appellet (c. Marcionem 4, 2.) Athanasius in synopsi sua evangelium Marci a Petro dictatum, sed a Marco praedicatum refert. Sunt nonnulli quidem, qui

Marcum latine scripsisse existimant, sed Augustinus et Hieronymus in diversa sunt sententia. — §. 2. Vitam Marci quod attinet, fertur ille primus Aquilejae sub ditione Veneta episcopus fuisse, sed postea Alexandriam in Aegyptum perrexisse. Dum urbem ingrederetur, fertur lacerum calceum sutori Anniano attulisse, qui, dum calceum reparat, manum subula graviter laedit et exclamat: *Unus Deus*! quo audito Marcus eundem unitatem Dei docet et ab idolis ad Christum convertit. Inde per urbem progressus nobilem Alexandriae ecclesiam fundat, quam postea Anniano, converso illi sutori, regendam tradit. Exacto alibi biennio Alexandriam regreditur et in festo paschae rem divinam peragit. Re comperta ethnici in coetum Christianorum irruunt, Marcum sacrorum praesidem vi rapiunt et funibus constrictum per asperas urbis plateas protrahunt, inter quos violentos tractus Marcus animam Salvatori suo reddit. Communis hodie fama est, annalibus Baronii confirmata, circa a. Chr. 800. corpus Marci ad Venetos delatum fuisse, ubi adhuc in templo Marci ostendatur; quin et Veneti festum translationis Marci inter majora solennia referunt, patronum suae republicae agnoscunt et quoties evangelium ex Marco legitur, sacerdos digitum in Marci corpus intendit dicens: *Evangelium secundum hunc*. — §. 3. Denique dicendum est, quinam panes Marcesii olim sint dicti. A. Chr. 1438. in Thuringia frumenti tanta fuit inopia, ut homines famelici passim mortui conciderint, nonnulli gramen aut foenum comederint. In memoriam hujus difficultatis Erfordii singulis annis in festo S. Marci panes minutuli velut rotundi orbiculi pinsuntur, quorum unus tres nummos constat; Marcesii autem vocantur, quia in die Marci parantur.

Dies Philippi et Jacobi. §. 1. In ipsas kal. maji dies Philippi et Jacobi incidit. Fuit autem Philippus ex duodecim Apostolis, natus Bethsaidae in Galilaea, minimus quidem aetate inter Apostolos, sed vocatione fere primus. Post ascensionem Domini in Scythiam perrexit et barbaros istos fidem de Christo docuit. Ductus est aliquando ad idolum Martis. Huic cum sacrificare nollet, draco sub idolo circumstantes graviter laesit. Tum vero Philippus statuam confregit et draconem in vastam solitudinem relegavit, quo miraculo Scythae non pauci conversi sunt. Rebus in Scythia compositis Philippus in Asiam perrexit et Hierapoli, quae est urbs Phrygiae, Ebionitas, hostes divinitatis Christi, expulit. Jamjam moriturus clericis convocatis dixit: *Jam, fratres, retinete doctrinam Domini nostri Jesu Christi et in ea plebem confirmate. Impleat dominus, quod promisit et ecclesiam conservet.* Inter quae verba exspiravit aetatis suae anno 87. fuitque Hierapoli sepultus, uti Hieronymus refert de vir. illustr. Isidorus autem Hispal. in Chronico auctor est, Philippum crucifixum in cruce lapidatum obiisse. — §. 2. Jacobus apostolus, Alphaei filius, in sacris literis *frater Domini* dicitur, ideo quod ipse et Salvator quoad carnem consobrini essent. Idem dicitur Jacobus minor, vel, ut alii volunt, vocatione erat posterior. Idem dicitur Jacobus justus ab insigni vitae sanctimonia, quae tanta erat, ut, dicente Hieronymo de viris ill., Christiani agmine facto ad fimbriam ejus vestium tangendam concurrerent. Josephus refert, famam sparsam, quod urbs Hie-

rosolyma ob indignam hujus viri occisionem esset excisa. Hegesippus scribit, Nasiraeum fuisse, i. e. vinum et siceram non bibisse, novacula capillos non detonsisse nec oleo nec balneo usum fuisse. Quoad vultum Salvatori simillimus fuisse traditur. Hinc Judas proditor signum osculi turbae dedit, veritus, ne Jacobus pro Christo caperetur. Post obitum Christi in cruce Jacobus vovit, se nolle prius edere, quam Dominum vidisset. Voto illum solvit Dominus eique in specie apparuit, teste Paulo 1 Cor. 15, 7. Fuit de caetero primus episcopus Hierosolymitanus per triginta annos, usus lignea cathedra, quae in pavendo excidio urbis conservata est usque ad tempora Eusebii, qui sec. IV. ineunte eam vidit, ut refert h. e. 5, 14. Idem hic Jacobus in concilio Hierosolymis ab Apostolis habito Act. 15. praesidem egit et contra pseudoapostolos definitivam tulit. Quod ad martyrium ejus attinet, in ipso festo paschae ductus est in pinnam templi, ut Christum publice abnegaret. Sed tantum abest, ut Christum abnegaret, ut potius de pinna templi circumfusam multitudinem de fide in Christum doceret. Quo ipso offensi Judaei Jacobum de templo praecipitarunt, qui in genua lapsus ad exemplum Christi pro inimicis oravit. Nihilominus Judaei lapidibus virum sanctum petierunt, reprehensi a Rechabita quodam dicente: Justus ille vir pro nobis orat, cur ergo illum occiditis? Tandem nonnemo pertica fullonis vel ingenti fuste caput apostoli tam graviter contudit, ut effuso cerebro martyrium consummaret, a. Chr. 56. Extat adhuc epistola in N. T. hujus Jacobi, quae licet olim a quibusdam in dubium sit vocata, hodie tamen utplurimum pro apostolica admittitur. Patet ex hac epistola, quam sedulo Jacobus auditoribus suis studium bonorum operum inculcaverit.

Festum pentecostes. §. 1. Inter primaria totius anni festa sub V. et N. T. est pentecoste, Judaeis dicta septimanarum festum, ideo quod Judaei a paschate septem septimanas connumerarent iisque expletis diem quinquagesimum solennem agerent, quod legitur Ex. 23, 14. Causa institutae pentecostes erat memoria datae legis in monte Sinai; oblatio panum, qui e novella fruge cocti in altari sub conspectum Dei exponebantur ideoque panes propositionis (Lutherus reddidit: Schaubrote) vocabantur, quo munere Judaeos Deum frumenti datorem cognoscere oportuit; ut judaicum hoc festum typus pentecostes christianae in N. T. esset, quem typum eleganter nos docet Augustinus. *In V. T.*, inquit, *occidebatur agnus, agebatur pascha et in eo die quinquagesimo dabatur lex ad timorem Dei. Nos agimus verum pascha et die quinquagesimo effunditur in nos Spiritus S. ad caritatem, quae ipse Dei est digitus.* — §. 2. Quod ad originem christianae pentecostes attinet, sunt de ea tres sententiae. Alii, inter quos Polydorus Vergil. de inv. rer. 6, 8., putant, vivis adhuc Apostolis festum pentecostes celebratum, cum Act. 20, 2. memoretur, Paulum apostolum ex Asia Hierosolymam properasse, ut ibidem pentecosten ageret. Sed nobis h. l. videtur sermo de pentecoste judaica. Nam si de festo christiano ageretur, Paulus in Asia aeque ac Hierosolymis id agere potuisset. Hierosolymam igitur properat, ut ibidem Judaeos collectos fidem Christi in festo ipsorum doceret. Alii censent, festum pentecostes statim post tempora Apostolorum in ecclesia coepisse, cum

pentecostes antiquissimi scriptores, Justinus, Tertullianus, Origines meminerint. Sed hoc incertum. Nam patres per pentecosten intelligunt dies quinquaginta, qui inter pascha et nostram pentecosten interjacent, non praecise diem quinquagesimum, qui hodie apud nos solus id nomen obtinuit. Alii, quibus nos consentimus, existimant, festum pentecostes circa illa tempora coepisse, cum quinquaginta illi dies, qui inter pascha et quam hodie pentecosten dicimus, interjacent et omnes olim erant festi, festi esse desierunt. Certe tempore Augustini peculiare festum Spiritui S. dedicatum fuisse ex epistola ejus ad Januarium constat, ubi festum Sp. S. cum reliquis festis, quae toto orbe christiano aguntur, connumerat. Agitur autem pentecoste in memoriam Spiritus S., eodem die super Apostolos liberaliter effusi. Pontificii eodem die solent albas columbas funiculis constrictas per templa sua emittere et in medio templo ligneam columbam suspendere, quae sit symbolum Spiritus S. Sed haec sine dubio superstitio est.

Jejunia quatuor temporum. §. 1. Cum statim a festo pentecostes jejunium quatuor temporum agi soleat, paucis ex sacr. antiqq. originem hujus expendemus. Erravit autem Bellarminus, qui (de b. o. 2, 19.) jejunia quatuor temporum ab Apostolis instituta refert. Hujus enim instituti nec in sacris literis nec primis ecclesiae scriptis ulla superest mentio. Communis est sententia, jejunia quatuor temporum a Calixto papa circa a. Chr. 220. ordinata fuisse. Extat enim apud Gratianum in jure canonico tale decretum Calixti papae ex epist. ad Benedictum quendam episcopum: *Tu quidem jejunium apud nos ter in anno celebrare didicisti, sed nos convenientius nunc per quatuor tempora fieri decrevimus, ut sicut annus per quatuor tempora decurrit, sic et nos quaternum agamus jejunium et sicut per singulas anni partes frumento ad alenda corpora, sic et jejunio ad alendas animas repleamur.* Verum haec origo jejunii quatuor temporum merito est suspecta. Nam epistola, unde haec citantur, non est Calixti papae, sed impostoris cujusdam, qui epistolas decretales primorum Pontificum usque ad Syricium papam imprudenter confinxit, quam fraudem ipsi pontificii doctores, v. g. Nicolaus Cusanus, Cassander et alii, jam pridem olfecerunt. Estque hoc nomine cumprimis commendandus, etsi non pontificius, David Blondellus, qui spuria illa decreta primorum Pontificum nuper adhuc ita in lucem produxit, ut nemo amplius fidem istis facile habiturus sit. — §. 2. Post Calixtum pro commendandis jejuniis quatuor temporum citari solet Leo M., sec. V. exeunte Romae episcopus. Is enim serm. 8. ita scribit: *Per totius anni circulum ita sunt jejunia distributa, ut omnibus anni temporibus lex quaedam jejunii sit adstricta, quia jejunium vernum in quadragesima, aestivum in pentecoste, autumnale in mense septembri, brumale mense decemb. celebramus, ut intelligamus, ipsa quatuor elementa mundi omnibus nobis inservire.* Quid? Idem Leo serm. 7. scribit universam ecclesiam exigere observantiam horum jejuniorum. Existimo autem, per universam ecclesiam non intelligi nisi occidentalem. Nam apud Graecos et caeteros scriptores orientes jejunia quatuor temporum nullibi, quod sciam, memorantur. Ita enim certum jam est, in ecclesia latina jejunia quaedam singulis anni

temporibus habita fuisse, sed videntur illa longe alia fuisse quam nunc sunt. — §. 3. Vera origo jejuniorum mihi ista videtur. Fuit olim in ecclesia Romana moris, ut Christiani per singulas hebdomades ter jejunarent. Postea vero jejunia haec hebdomadaria in desuetudinem venerant; ecclesia igitur, ut neglectum istum quodammodo compensaret, constituit, ut saltem quatuor anni temporibus semel jejunium per triduum istud fieret. Hinc adhuc apud Pontificios jejunium quatuor temporum non est unius diei, sed per triduum protrahitur. Itaque jejunia ista nihil fuerunt aliud, quam compensatio omnium totius anni jejuniorum, quae per singulas olim septimanas fieri oportuit feria quarta, sexta et septima. — §. 4. Superest, ut causas instituti jejunii quatuor temporum commemoremus. Hae autem cumprimis duae sunt. Altera: Judaeorum in V. T. aemulatio. Constat enim ex Zach. 8, 19., apud Judaeos quater in anno solenne jejunium fuisse. Aequum igitur censuerunt Christiani, ut et ipsi sua quatuor tempora haberent, quibus solenniter jejunarent. Altera est, ut annum cum singulis partibus Deo O. M., qui totum annum coronat, devota prece commendaremus, pro fructibus terrae supplicaremus et pro iisdem jam perceptis gratias ageremus. Nam in his temporibus temperies aeris maxime varia et fructus terrae vel seruntur vel nascuntur vel maturantur vel denique colliguntur. — §. 5. Unum coronidis loco de jejunio, quod immediate pentecosten subsequitur, notandum, prout disputatum fuit olim et adhuc quaeritur, an congruum sit statim a festo pentecostes jejunare? Hoc dubium Leo M. ita resolvit: post peractos quinquaginta dies festos salubriter ordinatum est jejunium, ut si quid forte inter tot dies festos nimia licentia esset peccatum, hoc ipso expleto festorum curriculo religiosa abstinentia statim emendarent.

Festum SS. Trinitatis. De origine hujus festi variant auctores. Nonnulli jam sec. VI. receptum id fuisse affirmant, quod eodem praefatio cani soleat, cujus auctor Pelagius papa a. Chr. 578. Sed haec praefatio de Trinitate olim non fuit propria hujus festi, sed singulis diebus dominicis usitata, teste Micrologo in obss. eccl. 60. Alii festum Trinitatis sec. IX. conditum a Gregor. IV. dicunt, qui instituit, ut dies festi in honorem non Apostolorum tantum et martyrum, sed et SS. Trinit. et angelorum agerentur. Sed et haec origo incerta. Nobis festum Trinit. circa medium sec. XII. natum videtur. Testis ejus rei est Sotho, qui a. Chr. 1152. in coenobio Prumiensi abbas fuit et in lib. de statu ecclesiae ita scribit: *Miramur, quod nostro tempore nonnulli in monasteriis novas celebritates inducant. Quare? An patribus doctiores sumus? Quae igitur ratio celebrandi festum Trinitatis et transfigurationis Christi?* Non diu post papa fuit Alexander III., qui festum Trinitatis in quibusdam ecclesiis agnoscit, sed Romae non celebrari fatetur nec necessarium putat hoc festum, propterea, quod in ecclesia singulis diebus gloria Patri et Filio et Spiritui S. dicatur. Post sec XII. Romae quoque, etsi tempus praecise non constet, festum Trinitatis agi coepit, ut, quemadmodum in honorem Dei patris, filium suum in carnem misit, festum nativitatis, in honorem filii peracto redemptionis opere resurgentis, festum paschae, et in honorem Spiritus S. super Apostolos effusi, festum pentecostes agitur,

sic et in honorem totius S. et adorandae Trinitatis dies aliquis festus succederet, quo Christiani summum hoc fidei suae mysterium docerentur. Alias apud veteres dies, in quem incidit festum Trinitatis, ex alia adhuc causa fuit solennis, quod nimirum esset octava pentecostes. Hinc esse existimo, quod evangelium hujus festi non tam de Trinitate agat, quam de regeneratione ex aqua et spiritu. Haec vero actio Spiritui S. appropriatur. Fuit igitur haec dominica velut appendix festi pentecostes.

Festum corporis Christi (Fronleichnams-Tag). §. 1. Hunc diem festum, quem Pontificii inter majora anni festa connumerant, primus omnium paulo post med. sec. XIII. Urbanus IV. Pontifex instituit. Occasio instituendi hoc festum non una refertur. Onuphr. Panvinius hanc fecit originem: *Fuit sub dioecesi urbe Venetu sacerdos, qui dum missam agitat, de transsubstantiatione fit dubius et ecce* (si vera est fabula) *statim ex hostia vivus sanguis emanat, qui totam altaris mappam rubefacit. Miraculo attonitus Urbanus IV. mappam ad se deferri jubet et festum corporis Christi apud Urbeventanos primum instituit.* Alii putant, Thomam Aquinatem, angelicum, quem vocant, doctorem et magnum transsubstantiationis patronum, Urbano auctorem fuisse, ut tale festum conderet. Hoc certum est, quod Thomas hymnos et cantica in hunc diem festum composuerit, pro quo labore ab Urbano argenteam columbam loco praemii accepit. Hinc adhuc Thomas Aquinas pingitur manu calicem et in dextro humero columbam gestans. — §. 2. Appellatio autem hujus festi est mutila. Nam Urbanus vocavit festum corporis et sanguinis Christi, ut videas, eo tempore communionem sub una nondum fuisse. Posthinc subtracto sanguine festum solius corporis Christi dici coepit. Germanis vocatur: Fronleichnams-Tag. Est enim Fron antiqua vox germanica, idem significans, quod pretiosum et insigne. Hinc in ecclesiis quoque cathedralibus Fron-Altar altaria primaria dicuntur. — §. 3. Praecipuum, quod Pontificii hoc festo faciunt, sunt solennes processiones per urbes et arva. In his processionibus varii fiunt ludi et comoediae. Circumferuntur vexilla, cruces, reliquiae, calices et imagines Sanctorum, cumprimis hostia consecrata in monstrantia ostenditur. Monstrantia dicitur capsula sacramentaria, Graecis ἱεροθήκη. Hujus communis est inscriptio: Hic Deum adora! vel ista:

Flecte genu, lapis hic venerabilis hospite Christo.

Hujusmodi aediculae sacramentariae hodie in omnibus templis pontificiis habentur; sed ante Innocentium III., qui primus sec. XIII. transsubstantiationem definivit, nulla earum mentio fit. In Polonia alicubi moris est, ut processio, quae alias semel in anno fieri solet, in festo corporis Christi, per singulos menses agatur et qui haec menstrua sacra frequentant, novam et hactenus inauditam societatem inter Jesuitas constituunt; dicuntur enim *Fratres corporis Christi*. Verum nostri sub initium reformationis festum corporis Christi recte abrogarunt, ob tres causas: quod illo festo mutilatio eucharistiae et communio sub una confirmetur, dum Christus in monstrantia non nisi sub una specie proponitur; quia hoc festo corpus Christi solum ostentui est, cum tamen Christus ideo insti-

tuerit, ut distribuatur et manducetur; quia hoc festo panis benedictus cultu λατρείας afficitur adeoque triticeus Deus adoratur, quae est manifesta ἀρτολατρεία.

Festum Johannis baptistae. Johannis baptistae festum natale sub initium sec. V. jam in usu fuit, nisi nos fallunt tituli homiliarum Maximi Taurinensis, qui tres homilias in festo nativitatis Johannes baptistae habuisse legitur. Habet autem Johannes baptista hoc peculiare, quod nativitas ejus solennior sit quam martyrium ejus. Sed in reliquis Sanctis natales festos dicimus dies, quibus Sancti ad Dominum migrarunt nec ullus nobis Sanctus incidit, cujus nativitatis dies in ecclesia sit solennis, excepto festo Johannis et festo nativitatis Mariae. In festo Johannis baptistae tria fieri solent. Alicubi enim ex veteri more pueri ossa et quisquilias colligunt et concremant, ut fumus inde excitetur. Mos iste ab ethnicis descendit. Nam olim media aestate frequentes dracones nimio aestu ad libidinem provocati circumvolitabant inque puteos semen emittebant, quo veneno aqua infecta saepe fuit. Quod cum medici animadverterent, juxta puteos ignem fieri jusserunt, qui dracones abigeret. Haec quia circa festum Johannis fieri solebant, Christiani in papatu hunc morem imitati etiam ignes accenderunt, per quos agmine facto transilierunt et injectis herbis comprecati sunt, ut omnis ipsorum adversitas flammis istis combureretur. Soliti sunt olim in festo Johannis ardentes faculas manu gestare iisque arva et segetes circumire, rati, hoc modo frugibus benedici. In quibusdam locis in festo Johannis baptistae rotam volvunt, qua volutione indicant, quod sol (in festo Johannis) in *zodiaco jam* ad summum gradum pervenerit et descendere per diem Johannis incipiat, ut omnium rerum vicissitudo in memoriam revocaretur.

Festum visitationis Mariae. Inter omnia festa, quae in nostris ecclesiis celebrantur, recentissimum est festum visitationis Mariae, cujus origo in finem sec. XIV. incidit. Auctor hujus festi est Urbanus IV., qui in gravi illo schismate, quod per integros quinquaginta annos ecclesiam Romanam concussit, aliis Pontificibus Avenione in Gallia, aliis Romae sedentibus, circa a. Chr. 1389., eodem anno, quo obiit hic papa, instituit, ut post octavam Johannis baptistae visitatio Mariae ageretur et b. Virgo invocaretur, ut grande illud schisma consopiret. Verum quamvis Urbanus VI. Pontifex hoc festum constituerat eidemque de multis indulgentiis prospexerat, non tamen ubivis videtur receptum, donec syn. Basileensis c. a. Chr. 1432. auctoritatem suam interponeret et toti ecclesiae hoc festum promulgaret. Decreta syn. Basil. haec sunt: *Cum totus orbis christianus hodie sit in angustiis et ubique bella et schismata vigeant adeoque ecclesia militans varie agitetur, dignum judicat haec sancta synodus, ut solennitas, quae visitatio s. Virginis dicitur, per singulas ecclesias celebretur, ut mater gratiae a piis mentibus die honorata benedictum filium suum sua intercessione reconciliet et pacem fidelibus largiatur.* Herm. Widefridus in computo ecclesiast. scribit, hoc festum ad invocandam Mariam conditum fuisse, ut ipsa Turcas tunc temporis ecclesiae infestos supprimeret, quemadmodum in itinere ad Elisabetham montana calcasset. In nostris autem ecclesiis non ideo festum hoc agitur, ut Maria invocetur, sed ut

Christus honoretur, quem virginali utero clausum Johannes baptista in utero positus miro saltu benevenire hoc die jussit. Altera ratio hujus festi est, ut Christianis explicetur insigne canticum Mariae, quod ecclesia semper maximi fecit et in sacris fere omnibus usurpavit.

Festum Petri et Pauli. Festum Petri et Pauli non est adeo recens, cum ejus jam suo aevo Ambrosius serm. 6. meminerit, dum refert, eodem die a Christianis solennia convivia instituta. Quin et Nicephorus h. e. 6, 35. auctor est, apud Graecos, praesertim Constantinopoli, festum hunc diem celebrari. Imo adhuc Viennae in Austria eodem die in honorem Petri et Pauli naumachia sive pugna navalis agitur in Danubio simulque senatores et consules convivantur. Quod ad vitam Petri attinet, ex N. T. magnam partem illa constat. Fuit Petrus inter Apostolos et aetate et ordine primus, olim dictus Simon; sed cum apostolus fieret, a Christo, qui solus est ecclesiae petra, nomen Petri accepit. Matth. 16, 18. Dicitur vulgo claviger coeli, quod Christus illi in specie claves regni coelorum tradiderit. Graviter autem lapsus est, dum ter Deum negavit, quem lapsum tam acerbe fertur deplorasse, ut genas tandem lacrymis excavarit et strophiolum ad abstergendas lacrymas nunquam e sinu deposuerit. In miraculis tam potens, ut vel umbra ejus aegrotos sanaverit, quod nullibi de ipso Christo legitur. Act. 5, 15. Caetera, cum ex sacris literis satis nota sint, praeterimus. In hist. eccl. de Petro traditur, quod Antiochiae primum docuerit ibique ecclesiam fundaverit. Hinc quoad fundatorem ecclesia Romana non habet, quod Antiochenae se praeferat. Fundata Antiochiae ecclesia Romam abiit eidemque ecclesiae praefuit. Fuerunt quidem superiori seculo ex nostris nonnulli, qui negarunt, Romae fuisse Petrum. Sed quia per omnia secula veteres unanimiter fassi sunt, Petrum Romae fuisse, salva fide historica id in dubium vocari non posse videtur. Argumenta adversae partis erudite resolvit Hornejus in comp. hist. eccl. Id vero incertum est, an Petrus Romae in cathedra viginta quinque annos continuos, quod volunt Pontificii, sederit, ad quam aetatem in hunc usque diem nullus Pontifex in Petri cathedra sedere potuit. Quod ad martyrium Petri attinet, fuerunt huic apostolo multa certamina cum Simone mago, cui Romani, ut quidam volunt, statuam erexerant cum hac inscriptione: Simoni Sancto Deo. Hic impostor aliquando turrim ascendit et lauro redimitus, ut Deum se ostenderet, in coelum subvolare instituit. Sed precibus apostolorum Petri et Pauli delapsus membris omnibus fractis misere periit, ut refert Cyrillus Catech. Mystag. 6. Nero morte Simonis offensus apostolos persecutus est, Paulum in vincula conjecit, sed Petrus rogatu fidelium fuga sibi consuluit. Dum in fuga est, apparet illi Dominus, qui quaesitus a Petro quorsum tenderet, respondit: *Ego Romam pergo, ut denuo crucifigar.* Tum vero Petrus de suo martyrio hoc dictum exposuit, in urbem rediit et eodem die, quo Paulus decollatus est, inversis in coelum vestigiis fuit crucifixus. Haec crucifixio Petri et decollatio illa Pauli olim in ecclesia sub finem mensis junii publice fuit commemorata. Cum vero congruum non videretur, ut utriusque apostoli memoria uno eodemque die ageretur, Gregorius M. instituisse fertur, ut memoria Petri die praece-

denti ultimum, memoria Pauli ultimo die junii ageretur. Vitam Pauli referre opus non videtur, cum tota illa in act. App. et in epistolis Paulinis comprehensa sit. Unum hoc historici extra sacras literas de Paulo referunt, quod magna illi familiaritas cum Seneca praeceptore Neronis intercesserit, adeo, ut Flavius Lucius in chronico non ita pridem Lugduni edito affirmet, Senecam non ethnicum, sed ex epistolis Pauli occultum Christianum factum. Extant quidem hodie epistolae Pauli ad Senecam et Senecae vicissim ad Paulum. Sed hae omnium eruditorum consensu supposititiae sunt.

Festum divisionis Apostolorum. Incidit dies hic festus in vicesimum quintum junii eodemque evangelium tractatur, quo Salvator Apostolos per universum mundum ire, docere et baptizare jubet. Quo autem modo Apostoli orbem inter se diviserint, vix constat. Auctor est Socrates, Apostolos per sortem regiones mundi inter se ita divisisse, ut in orientem Thomas et Bartholomaeus, versus meridiem Simon et Matthaeus, versus septentrionem Philippus et Judas Thaddaeus, versus occidentem Petrus et Jacobus ire jussi sint; medias autem regiones, praesertim Hierosolymam et Palaestinam Matthias et Jacobus minor, Oceanum cum insulis adjacentibus Johannes et Andreas acceperint, sed Paulo universus mundus fuerit relictus. In specie autem S. Bartholomaeus apostolus Indiae, Thomas ap. Parthorum, Matthaeus ap. Aethiopum, Andreas ap. Scytharum, Johannes ap. Asiae, Petrus ap. Romanorum hac orbis divisione factus traditur; quemadmodum haec omnia ostendit Hornejus hist. eccl. I, 7. Nostri diem hunc festum abrogarunt, forte ideo, quod de divisione illa parum certi constet, fatente ipso Baronio ad a. Chr. 44. Dignum tamen erat, ut die isto gratias Deo ageremus, quod per Apostolos nos olim gentes sub unitatem fidei congregaverit.

Festum Jacobi apostoli. Inter Apostolos duo fuerunt Jacobi, alter *minor, filius Alphaei*, cujus festum in kal. maji incidit, alter *Jacobus major, filius Zebedaei*, cui sacer est dies vicesimus quintus julii. De Jacobo minore supra diximus. Quod ad Jacobum majorem attinet, fuit ille consobrinus Christi et frater germanus Johannis apostoli, tam potens in docendo, ut ipse et frater Johannes a Christo dicantur *βοανεργές* h. e. filii tonitrui. Ambitiosa fuit horum mater, cum peteret, ut alter filiorum ejus in regno Christi a dextris, alter a sinistris sederet. Vocatio Jacobi ad apostolatum Matth. 4, 21. extat. De caetero Jacobus major omnium Apostolorum fuit primus, qui martyrium sustinuit sub Herode Act. 12, 2. — §. 2. Ex hist. eccl. habemus, quod S. Jacobus insignem magum Hermogenem adversarium habuerit, qui ex schola sua discipulum misit ad refutandum apostolum. Quod cum discipulus non posset, iratus Hermogenes daemonibus mandavit, ut Jacobum apostolum per vim ad se ducerent. Verum daemones in aëre Jesum Messiam professi ipsum Hermogenem ad Jacobum detulerunt. Tunc vero confusus Hermogenes libros magicos combussit et fidem Christi professus idola domestica confregit, pecuniam male partam inter pauperes distribuit. Nihilominus Judaeis Jacobum ob conciones de Christo coram Herode criminaliter accusarunt. Herodes Jacobum morti addixit. Dum in via est Jacobus,

paralyticum restituit, quo miraculo ipse, qui ducebat Jacobum, Josias scriba, fuit conversus, ut diceret: *Jacobe, remitte mihi*! quem intuitus Jacobus osculo excipit dicens: *Pax tibi, frater*! Quo dicto Christianus factus una cum Jacobo fuit decollatus, teste Eusebio hist. eccl. 2, 9. — §. 3. Sine dubio autem fabula est, quod Pontificii in hunc usque diem de Jacobo Compostellano in Hispania, ad quem crebrae adhuc peregrinationes fiunt, garrire solent. Dicunt enim Jacobum capite minutum a discipulis navi impositum, quae navis sine remis et velis duce angelo Compostellam fuerit delata. Cum ad littus fuit perventum, ajunt, discipulos Jacobi ad reginam Compostellae migrasse et dixisse: *Dominus noster J. C. discipuli sui corpus tibi mittit, ut, quem vivum noluisti, mortuum recipias.* Mox reginam surrexisse et palatium suum in templum D. Jacobi convertisse et hunc apostolum abhinc Compostellae sepultum toto orbe claruisse, quorum omnium fides sit penes auctorem.

Festum catenarum Petri. Ipsis kal. augusti Pontificii solenne habent festum catenarum Petri, cujus rei rationes quatuor commemorant. Prima est, ut memoriam S. Petri, a vinculis vel catenis Herodianis redempti et ab angelo e carcere educti, peragant, quam historiam legere est Act. 12, 6. Altera ratio est, ut honorent catenas Petri, quibus Romae sub Nerone fuit constrictus. Has enim tempore Alexandri papae circa a. Chr. 121. repertas dicunt. Nam cum Alexander papa in carcere esset, fertur puella nobilis tactu catenarum Alexandri a struma liberata cumque puella catenas ejus osculis honoraret, parentem puellae Alexander jussit, ut catenas Petri Romae quaereret; quibus repertis Alexander diem catenis solennem dixit. Tertia ratio est, ut solennitas ethnica Augusti Caesaris, cui olim mensis Augustus erat sacer, in festum christianum mutaretur et ut solennitas Petri piscatoris tolleret solennitatem Augusti imp. et catena Petri deleret torquem Augusti. Et qui hanc rationem reddunt, statuunt festum catenarum Petri ante med. sec. V. ab Eudoxia, Theodosii conjuge, institutum. Est denique ratio festi catenarum Petri mystica. Nam hoc die populo Romae catena Petri ostenditur, ut meminerint, Petro ligandi ac solvendi potestatem a Christo traditam esse, et ut invocent Petrum ad peccatorum vincula relaxanda. Habent Pontificii catenas illas Petri in tanto honore, ut singulos articulos illius catenae festo dignos censeant. Vid. Durand. Rat. temp. 7. Verum valde vereor, ne Pontificii, dum catenas Petri adorant, catenis tenebrarum vinciri mereantur.

Festum ascensionis Mariae. Incidit dies ille festus in diem decimum quintum augusti eodemque ascensio Mariae in coelos publice memoratur; ubi inprimis studiosi ss. antiqq. sciant, quod de obitu b. Virginis olim in ecclesia variae sententiae fuerint. Alii b. virginem immortalem crediderunt, quales fuerunt Collyridiani, qui b. Virginem non tantum diurno cultu oblatis placentulis, quas collyridas vocarunt, honorare soliti sunt, sed et porro docuerunt, Mariam nobis ὁμοούσιαν non fuisse nec potuisse mori, quod Epiphanius refellit haer. 79. Alii b. Virginem mortalem quidem sed nunquam mortuam vivamque in coelos ascendisse, proinde ut Enoch et Elias, existimant. Alii, (quae com-

munis et vera est sententia) b. Virginem et mortalem et revera mortuam statuunt, sed de genere mortis disputant. Alii b. Virginem martyrio coronatam putant, sec. Luc. 2, 35. Sed alii rectius docent, morte naturali obiisse et a morte in coelos assumtam quoad animam. Coelo enim illatam animam b. Virginis nemo pius dubitat; sed de eo sub judice lis est, an b. Virgo mortua quoad corpus sit resuscitata et corpore et anima in coelos subvecta? Pontificii quidem affirmant, sed nullo antiquitatis testimonio suffulti. Vulgo duos veteres scriptores, Augustinum (serm. 1. et 2., si tamen sunt Augustini) et Hieronymum (in ep. ad Paulum) hac de re commendant. Sed uterque rem timide asserit et solum putat congruum fuisse, ut b. Virgo in sepulcro non putresceret, sed viva in coelos sumeretur. Historia ascensionis Mariae in coelos — puta, quod Apostoli omnes ex orbe ad obitum b. Virginis sint collecti, quod Salvator cum angelis apparuerit animamque matris susceperit, quod Johannes apostolus victricem palmam funeri praetulerit, quod feretrum nube sit contectum in valle Josaphat depositum, quod triduo post Salvator corpus suae matris de tumulo suscitaverit et cum anima unitum in coelum sustulerit sibique a dextris locaverit etc. — tota, inquam, haec historia ex libris apocryphis petita est et fabulosa. Solent porro Pontificii eodem festo fasciculos herbarum ad templum deferre, quibus consecratis virtus fugandi diabolum, veneficia, fulmina inesse creditur, si ex herbis istis suffitus fiant. Hinc idem festum non tantum festum dormitionis, assumtionis et ascensionis Mariae, sed et festum herbarum dici solet. Verum haec superstitio est.

Festum Bartholomaei. Dies Bartholomaeo sacer in vicesimum quartum augusti incidit. Fama est, Bartholomaeum ex Syria regis Ptolomaei filium fuisse ideoque dictum בר (filium) Ptolomaei; alii a תָּלָה suspendit, מַיִם aquae, ut sit filius suspendentis aquas, alii filium sulcorum interpretantur. Quin et addunt, unum Bartholomaeum inter Apostolos nobilem fuisse. Sed fama haec fallit. Nam tempore Christi Ptolomaei non regnarunt in Syria, sed in Aegypto reges fuerunt. Verior est sententia, Bartholomaeum origine Judaeum et ex Galilaea fuisse, natum patre Tholmai, unde ipsi nomen Bartholomaei. Post ascensionem Christi Bartholomaeus in Indiam abiit, quo veniente idolum Astharoth aegrotos destitit sanare cumque aegroti ad aliud idolum dictum Balach afferrentur, respondit deaster, sibi nihil amplius licere, quod apostolus advenisset. His auditis rex Polymius filiam lunaticam apostolo misit, quam Bartholomaeus restituit. Restituta filia rex apostolum ad idolum Astharoth deduxit, ex quo statim Satanas igneis catenis constrictus apostolico jussu exiit et suum ipse idolum comminuit. Quo facto offensi sacerdotes Indiae ad regis fratrem Astyagen concurrerunt, regem suum Christianum factum et subversum idolum graviter conquesti. Astyages Bartholomaeum accersitum quaesivit, cur deos everteret et regem perverteret? Respondit Bartholomaeus: *Ego nec everto nec perverto, sed converto.* Dum ista loquitur apostolus, nuntius adest, qui refert, idolum Balach similiter concidisse. Tum vero Astyages scissa purpura apostolum pugnis caesum vivum excoriari jubet et excoriatum capite minuit,

atque hoc modo martyrium suum Bartholomaeus excoriatus et decollatus complevit. Fatetur Eusebius hist. eccl. 3., Bartholomaeum in India docuisse. Delatus postea in Armeniam majorem ibique a. Christianis sepultus est.

Festum Matthaei. Dies S. Matthaei in vicesimum primum septembris incidit. Vocatus est Matthaeus ad apostolatum in urbe Capernaum, ubi publicanus vel, ut alii putant, scriba fuit publicani, Matth. 9, 9. Scripsit evangelium egregium, quod veteres omnes hebraice scriptum confitentur. Sunt quidem recentiores nonnulli, qui de ea re dubitant. Sed nescio, an contra antiquitatis consensum neoterici fidem mereantur. Notus est versiculus Nazianz.:

Matthaeus Christi miracula scripsit Ebraeis.

Quamvis vero Matthaeus hebraice scripserit, hebraicum tamen exemplar in manibus paucorum Christianorum nec nisi apud Nazaraeos et Ebionitas haereticos delituit et ab haereticis fuit corruptum. Successit igitur in locum evangelii hebraici versio graeca, quae a Jacobo fratre fuit producta adeoque eandem habet auctoritatem cum textu originali. Vid. Hornejum hist. eccl. 1, 6. Post ascensionem Christi Matthaeus in Aegyptum abiit et inde ad Aethiopes usque perrexit, unde S. Matthaeus apud Chrysostomum Aethiopes dealbasse, i. e. ad fidem traduxisse dicitur, quod apostolus Aethiopum fuerit et in hunc usque diem Abyssini a Matthaeo fidem se edoctos profitentur. Quod ad martyrium Matthaei attinet, duae sunt sententiae. Nicephorus (2, 41.) Matthaeum apud Anthropophagos in civitate Myrmena docuisse ibique clavis in terram defixum affirmat. Alii dicunt regem Aethiopiae Hirtacum speculatorem misisse, qui Matthaeum in altari stantem et expansis manibus orantem gladio transfixerit.

Festum Michaëlis. §. 1. Fuerunt olim duo dies festi in honorem Michaëlis archangeli, quorum alter in mensem majum incidit diciturque festum dedicationis archangeli; alterum festum apparitionis Michaëlis archangeli idque in diem vicesimum nonum septemb. incidit. Et hoc posterius in nostra adhuc ecclesia solenne est. Hujus festi origo est ex apparitione in quodam monte Apuliae Gargano facta, quae in Rom. Brev. ita refertur: Contigit aliquando, ut in monte Gargano armenta pascerentur et taurus quidam longius a grege discederet, qui diu quaesitus tandem in amplissima spelunca repertus est cumque non nemo sagittam in taurum emitteret, sagitta divinitus retorta in ipsum sagittarium recidit. Quo miraculo territi speluncam intrare ausi non sunt, sed consultus est episcopus, qui triduanum jejunium indixit et noctu ab archangelo Michaële fuit admonitus, istam speluncam in sua (archangeli) tutela esse ideoque se velle, ut ibidem cultus Dei in sui et angelorum omnium memoriam ageretur. Quo audito episcopus cum plebe ad speluncam progressus eandem instar templi jam formatam reperit statimque locum istum divinis officiis consecravit, unde postea miracula plura edita. Haec apparitio episcopum movit, ut festum Michaëlis archangeli institueret. — §. 2. Sed hanc non historiam sed fabulam esse patet. Contigisse enim haec apparitio sec. VI. sub Gelasio pontifice traditur. Sed

prima ejus mentio post tria demum secula ab Anastasio bibliothecario Rom. ecclesiae primo facta est. Et quis credat, sagittam divinitus retortam in hominem innocentem, qui quod suum erat repetere voluit, tauro non laeso, qui tamen sacrum illum locum profanaverat. Quis credat, Michaëlem archangelum cultum Dei quidem, sed in sui memoriam proposuisse, qui memorialis cultus in papatu nihil aliud est, quam adoratio eorum, qui memorantur. Sed quid veri haec narratio habeat, crediderim malum genium nomine Michaëlis credulis hominibus imposuisse. — §. 3. Eodem festo ex hac fabulosa origine cultus angelorum adeo excrevit, ut hodie Pontificii ab angelolatria parum absint. Nam in ipso festo Michaëlis, non tantum has preces fundunt: *Gloriose princeps Michaël, archangele, sis memor nostri et intercede pro nobis!* — sed Michaëlem appellant *praesidem paradisi*, *qui constitutus sit princeps super omnes fidelium animas*, *cujus oratio ad coelum perducat etc.* Haec vero talia sunt, quae juxta sacras literas nulli angelo sed soli Christo debentur. Negari quidem non potest, cultum angelorum vivis adhuc Apostolis coepisse; sed idem ab Apostolis fuit reprehensus, quemadmodum Paulus Colossenses hortatur, ut τὴν ἀγγελοθρησκείαν caveant. Et post medium sec. IV. conc. Laodic. angelos nominare sive invocare sub anathemate prohibuit. — §. 4. Post sparsas in vulgus apparitiones Michaëlis archangeli etiam templa in honorem Michaëlis condi coeperunt, quemadmodum in Bithynia templum Michaëlis jam Diocletiani aevo fuisse, Surius in vita S. Eutonimi refert. Sed incerta est haec narratio. Justiniani tamen tempore crebra fuisse templa Michaëlis, constat ex lege: *Quoniam codice de SS. ecclesiis etc.*; quia et ipse Justinianus in honorem Michaëlis sex templa condidit, teste Procopio in lib. de aedificiis Justiniani. Sed tempore Augustini nullum adhuc in Africa templum S. Michaëlis sive alterius angeli fuisse, docent haec ejus verba: *Si nos aliquod templum angelo, etiam excellentissimo, de lignis et lapidibus faceremus, anathematizari deberemus a Christo.* In qua sententia Augustini hodieque subsistimus. — §. 5. Quaeritur tandem, quomodo festum Michaëlis recte peragi possit? Quod ut constet, sciendum, ecclesiam festo illo, quod per fabulam coepit, sine damno carere posse. Interim ex usu est, ut Christiani semel ad minimum per annum de angelis doceantur. Recte igitur celebratur hoc festum, non ob apparitionem vel dedicationem templi in monte Gargano factam, sed cum sanctissimos angelorum ordines animo contemplamur et hierarchiam illam coelestem, ubi millies millia ministrant et decies centena millia omnipotenti Deo subserviunt; cum pie cogitamus, Dominum nostrum ad Dei dextram sedere super omnes angelos, etiam in assumta carne nostra et venturum aliquando judicem cum angelorum exercitu; cum horremus ad ingentem poenam magni illius draconis, qui felici Michaëlis victoria coelo fuit ejectus; cum Deum invocamus, ut curam nostri suis angelis velit committere, qui nos in viis nostris custodiunt, ne alicubi impingamus; denique cum gratias Deo pro hactenus praestita angelorum tutela et quod a cultu angelorum ad ipsius cultum simus reducti, sollenniter agimus.

Festum Lucae. §. 1. Dies Lucae in decimum octavum octob.

incidit. Fuit Lucas oriundus Antiochia, Syriae metropoli, ex septuaginta discipulis Christi, vel certe Apostolorum discipulis, vir doctissimus, professione medicus Col. 4, 14. Factus postea medicus animae duos libellos θεοπνεύστους eosque historicos condidit; alter est evangelium, in qua historiam vitae Christi prosequitur, alter est historia ecclesiastica de actis Apostolorum, praesertim Pauli, cujus perpetuus fere comes fuit. Evangelium ejus adeo fertur apostolo Paulo placuisse, ut pro suo agnoverit. Hinc quoties Paulus in epistolis ad evangelium provocat, evangelium Lucae putant intelligi. — §. 2. De caetero idem Lucas viator ille Emaunticus, Cleophae comes, cui Dominus in via apparuit, fuisse creditur, sed cum ipse hanc historiam scriberet, nomen suum modestiae causa reticuisse. Fama porro est, pictorem fuisse et imagines Christi et b. Virginis, quae adhuc Romae ostenduntur, depinxisse; sed hujus rei fides sit penes auctorem. — §. 3. Obiit Lucas in Bithynia, natus annos 84. ibique sepultus est. Ossa ejus cum Andreae et Timothei ossibus a. Chr. 375. Constantinopolim delata esse, Hermannus Contractus refert.

Festum Simonis et Judae. Duo hi sunt apostoli, quorum dies in diem duodetrigesimum octob. incidit, Simon Cananaeus et Judas Thaddaeus. De Juda traditur, quod Abgarum, regem Edessae in Syria, qui ad ipsum Servatorem literas dedisse fertur apud Eusebium, baptizavit. Eidem tribuitur epistola Judae, quae licet ex Henochi libro perdito vaticinium alleget, omnino tamen est canonica. Post ascensionem Christi Judas in Mesopotamia et in Ponto, Simon in Aegypto docuit. Postea conjuncti in Persiam abierunt, ubi varia certamina cum magis Zoroe et Arphax subierunt; sed apostoli magos adeo superarunt, ut regem ipsum converterint et tantum non pro diis habiti fuerint. Ad ipsorum enim nutum daemones ex idolis modo locuti sunt modo tacuerunt. Cum magi bella minarentur Persis, apostoli pacem praedicarunt. Contigit aliquando ut tigrides e cavea elaberentur cum magno impetu, obviantium periculo. Verum apostoli trigides velut oves manu duxerunt, dicentes: *Ecce hae tigrides in nomine Christi mansuefactae sunt et vos ad Christum converti non vultis?* Tandem vero cum in Persia diu praedicassent, in urbe Senir ad statuam solis ducti sunt, ut sacra soli facerent. Sed ad preces apostolorum daemones sub Aethiopum forma prodierunt et statuam solis ipsi confregerunt. Quo viso sacerdotes offensi, utrumque apostolum juxta statuam solis trucidarunt. Cumque ambo eodem die martyres sint facti, hinc in calendariis idem utriusque est natalis. Hanc historiam hebraice Abdias, episcopus Babyl., graece Eutropius et latine Julius Africanus consignasse fertur; unde nonnulla depromsit Euseb. h. e. 3, 20. Notabunt tamen h. l. ss. antiqq. studiosi, ab aliis duos Simones Apostolis coaetaneos constitui, quorum alter sit Cananaeus apostolus quidem, in Persia occisus, non tamen frater Judae apostoli, alter quidem sit frater Judae, non tamen apostolus, sed episcopus Hierosol. in Judaea crucifixus.

Festum omnium Sanctorum. §. 1. Dies hic festus in kal. novemb. incidit. Est autem haec ejus origo. Erat Romae templum ethnicum omnibus diis sacrum ideoque dictum πάνθεον. Hoc templum sec. VII. ineunte Bonifacius, quem Lutherus Malefacium appellat, a Caesare

Phoca dono acceperat et in templum b. Virginis et omnium martyrum mutaverat. Extat adhuc Romae templum illud et forma circulari Maria rotunda dicitur. Quin et Bonifacius in honorem martyrum omnium Romae festum celebrandum die decimo tertii maji instituit. — §. 2. Post illa cum mensis majus non videretur commodus ob penuriam victualium, quibus peregrini possent excipi, Gregorius IV. a. Chr. 835. hac ratione permotus diem hunc ex majo in kal. novemb. transtulit, quod auctumno facilius haberi victualia possent; quin et non b. Virginis tantum et martyrum, sed omnium Sanctorum memoriam cultumque, nec Romae tantum sed toto orbe christiano peragi voluit. Solent alii hujus festi tres rationes reddere: primum, ut cum non omnes Sancti in calendariis nominatim extent, certus esset dies, quo Sancti omnes excepto nemine simul ac semel honorarentur; tum, ut compensaretur negligentia in reliquis festis Sanctorum forte admissa; denique ut Sancti omnes simul ac semel invocati quasi agmine facto Deum accederent suisque precibus conjunctis ecclesiam citius juvarent. Ut brevius dicam, totum hoc festum cultui Sanctorum innititur, quo sublato ipsum quoque festum in ecclesiis nostris merito cessat.

Festum omnium animarum. Incidit in diem secundum novemb. Pontificii eo die missas pro defunctis frequentant, quibus animas in purgatorio, si quod sit, refrigerari credunt. Origo tamen hujus festi creditur esse ab Odilone, abbate Cluniacensi, qui ante med. sec. XI. vixit. Hic abbas cum aliquando in Sicilia ignivomum montem Aetnam transiisset, fertur querulas animas audivisse, quae redemptionem sui ex purgatorio petierunt. Reversus igitur ad coenobium fratres suos pro animabus defunctis orare docuit et precibus istis hunc diem sanxit, quem postea Johannes XVII. publice confirmavit, teste Sigeberto Gemblacensi. Alii rectius festum omnium animarum ab ethnicismo derivant. Nam ethnici per duodecim dies februa, h. e. expiationes pro defunctis agere et faces juxta tumulos accendere solebant, teste Polyd. Vergilo, hist. 6, 9. Undecunque sit origo, festum est superstitionibus plenum et sublato purgatorio una concidit.

Martinus Lutherus. Coronidis loco ad dies festos et vitam Lutheri in honorem ecclesiae Lutheranae breviter referemus. Natus est Lutherus a. Ch. 1483. Islebiae, ubi adhuc domus Lutheri ostenditur. Datum est illi Martini nomen, quod in vigilia S. Martini Turonensis natus esset. Aetatis suae anno 14. studiorum gratia Magdeburgum abiit, postea Isenacum venit ibique quadriennium studiis impendit. Isenaci cum ostiatim panem quaereret, saepe panis illi fuit negatus. Abire igitur ex schola voluit. Dum in via est, matrona quaedam dato pane puerum revocat. Hinc de providentia certior factus ad scholam rediit, donec ad academiam Erfordensem sé conferret. Erfordiae anno aetatis suae vicesimo in magistrum promotus est et postea animum ad studium juris contulit; sed fulmine aliquando territus studium juris dimisit et sacris studiis se totum devovit. Itaque anno aetatis suae decimo secundo Erfordiae factus est monachus Augustinianus et votum monasticum edidit, sed odio habitus a fratribus est, quod in bibliis legendis nimius videretur. Post

haec aetatis vicesimo quinto anno Vitebergam vocatus et philosophiae professor constitutus logicam Aristotelis publice docuit. Anno aetatis undetrigesimo in doctorem theologiae promovit Vitebergae decano Carolstadio, qui postea auctor fuit belli sacramentarii. Doctor factus novo exemplo sacrae scripturae libros, initio a psalmis Davidicis facto, publice exposuit adeoque primus averum memoria theologiae pristinum suum fulgorem reddidit. Anno Christi 1517. in vigilia omnium Sanctorum contra Tezelium theses de indulgentiis Vitebergae templo arcis affixit. Atque hoc initium reformationis est. Literas quoque humillimas ad ipsum pontificem Leonem X. et satis modestas ad Albertum episcopum Moguntinum dedit, quibus petiit, ut improbae nundinae indulgentiarum coërcerentur. Atque hoc scriptum nostris dicitur tuba primae salutis. A. Chr. 1518. Augustam ad comitia vocatus est, ubi Cajetanus cum Luthero disputavit eique galerum cardinalitium promisit, modo revocaret. Sed negavit Lutherus se hoc facere posse, antequam erroris convinceretur. A. Chr. 1519. Lipsiae cum Eccio disputavit de indulgentiis et inprimis de auctoritate papae, ad quam materiam Lutherus aegre descendit, quod invisa esset. A. Chr. 1520. a Leone X. fuit excommunicatus et scripta ejus Romae combusta. Quo audito Lutherus Vitebergae in foro jus canonicum et pontificium flammis tradidit. Simul a Pontifice ad concilium appellavit, papam Antichristum dixit ejusque curiam Satanae synagogam. A. Chr. 1521. Vormatiam non sine vitae periculo discessit. Monitus ab amicis, ne illuc iret, respondit: *Ibo Vormatiam, si vel tot daemones ibi sint, quot tegulae in tectis.* In via condidit canticum: Eine feste Burg etc. Vormatiae doctrinam suam coram Caesare et totius imperii senatu mascule defendit. Sed cum nihil remitteret, quod nullius erroris e sacra scriptura posset convinci, a Caesare proscriptus est. Proscriptum elector Saxoniae Friedericus in arcem Wartburg prope Isenacum deferri curavit. Dum ibi est Lutherus, Carolstadius Vitebergae tumultum excitat et imagines e templo ejicit. Hac re permotus Lutherus Vitebergam ante rediit, quam tutum putaretur. A. Chr. 1524. cucullum monasticum deposuit et sequenti anno missam latinam et pontificias ceremonias sustulit coepitque ecclesia jam reformata ministros ordinare. Quin et uxorem duxit nobilem monialem, Catharinam a Bora, ut ostenderet, clericis jure divino conjugium licere, quanquam vir magnus forte rectius egisset, si dono continentiae instructus in honorem voti sui abstinuisset vel aliam saltem quam monialem duxisset, cum factum hoc Lutheri pontificiis calumniis varie sit petitum. Dicamus nos de Luthero, quod Scaliger dixit de S. Hieronymo: *Paucis erroribus Lutheri mille ejus beneficia opponimus; in errando hominem cogitemus. In recte scriptis supra hominem, cui uni plus debet ecclesia, quam pluribus aliis etiam patribus ecclesiae.* A. Chr. 1530. Augustana confessio Carolo V. fuit exhibita, cujus quidem auctor Phil. Melanthon, sed censor Lutherus, qui tunc temporis Coburgi erat. A. 1537. Theologi conventum Smalcaldiae habuerunt, in quo Lutherus articulos Smalcaldicos conscripsit, ut futuro concilio exhiberentur. Ibi vero in gravem ex calculo morbum incidit. Placuit igitur nostris, Lutherum alio deducere, ne praesentibus pontificiis

legatis mereretur. Ductus igitur est Tambachium, qui pagus est in saltu Thuringico, ubi sumto cibo revaluit et ad parietem diversorii haec verba scripsit: *Tambachium est mea Phanuel, quia ibi apparuit mihi Dominus.* Tandem vero A. 1546. Islebiae, ubi dissidentes comites Mansfeldicos reconciliare voluit, letali morte decubuit et aetatis suae anno sexagesimo tertio, qui est climactericus magnus, ipso die Concordiae sancte obiit, eandem professus fidem, quam viva voce et scriptis publice tradiderat. Corpus defuncti Vitebergam delatum ibique in templo arcis honorifice sepultum.

Fuit Lutherus inter summos ecclesiae doctores vir heroico animatus spiritu, qui nec blanditias nec minas curavit. Stilo quidem acriori interdum usus est, sed cogitandum est, quod leo Romae rugiens subula excipi non debuerit. Methodus concionandi in Luthero heroica est et fere inimitabilis. Dictio ejus germanica pura est et elegans, ut merito Cicero germanicus fuerit dictus. Quantus denique fuerit interpres sacrae scripturae, ex germanica ejus versione, in qua Pontificii vix habent quod desiderent, abunde constat.

II.

Dan. Henr. Arnoldt, de antiquitate diei dominici ex 1 Cor. 16, 2; Act. 20, 7, et Apoc. 1, 10. *).

Heliolatriae olim accusabantur illi, qui Christo nomen dederant, ob id, quod prima cujusvis hebdomadis die, quem solis diem Graeci aeque ac Romani vocabant, convenire et ante solis ortum preces sollennes hasque facie ad orientem solem versa fundere solebant; quemadmodum et sacra illorum solis ac luminis vocibus personabant. Compellabant nimirum per vocem hanc Christiani Servatorem, qui se ipsum solem justitiae Mal. 4, 4. et lumen mundi Joh. 7, 12; 9, 5. vocavit. Hunc supplices precibus adibant, huius laudes decantabant, inprimis vero antelucanis conventibus Christi e mortuis suscitati memoriam celebrabant, qui matutinis horis e sepulcro redierat Marc. 16, 9. Profani autem homines harum rerum omnium ignari erant et inde fiebat, ut illis Christi cultores solem adorare viderentur **). At primitiis ecclesiae, quae Christo collecta est, memoria resurgentis Christi adeo sancta erat, ut ne obtrectationibus quidem adversariorum a sacris peragendis, quae memoriae Jesu vitae redditi dicata erant, se detineri paterentur. Anniversaria potius celebratione illius memoriae haud contenti, primo cujusvis hebdomadis die eum in finem conveniebant, tum ut debitis laudibus prosequerentur vitae nostrae auctorem, qui illa die vivus sepulcrum suum reliquerat, Matth. 28, 1. Marc. 16, 2. 9. Luc. 24, 1. Joh. 20, 1, tum ut beneficiorum participes fierent, quae Christus reditu suo ad vitam nobis adtulit; cui scopo piam illorum meditationem apprime inservire persuasissimi erant. Factum quoque inde est, ut hunc usque in diem mos in ecclesia Christiana vigeat diem hebdomadis primum sacrum agere et potissimum pascha ἀναστάσιμον illo celebrare; quemadmodum et eam ob causam ille tam nomen diei domininici obtinuit ***), quam ἀναστάσιμος olim dictus est. Nihil enim ad fidei, spei ac amoris initia aeque ac incrementa promovenda debita resuscitati Christi recordatione aptius esse, omnes sequentium temporum experientia magis magisve docuit.

Quonam autem tempore ecclesia Christi diem solis memoriae Christi vitae restituti sacrum esse voluerit et quando illum festum habere inceperit, de eo certi aliquid asseri nequit. Si de auctoritate illius epistolae, quae Barnabae, viri apostolici, nomen fert, satis nobis constaret,

---

*) Prodiit, Univers. Regiom. progr. paschale, Regiom. 1754. 4.

**) Refert haec ita Tertullianus in apologet. 16. Cfr. pluribus Kortholti Paganus obtrectator l. 2, c. 3. quod totum hac de re agit.

***) Hac de re Suicerus in thes. eccles. sub vocc. κυριακὴ et ἀναστάσιμος legi meretur, qui loca patr. eccles. id probantia collecta exhibet.

facili opera res haec confici posset. In illa enim haec diserta verba leguntur: Ἄγομεν τὴν ἡμέραν τὴν ὀγδοὴν εἰς εὐφροσύνην, ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν *). Per octavum diem nimirum nullus alius intelligendus est, quam primus, qui septimum excipit et, quando in numerando dies progredimur, octavus est; quem quoque scriptores ecclesiastici antiqui octavum varias ab causas vocare amabant. Quodsi igitur illa, quae exhibuimus, verba a Barnaba scripta fuissent, nemo negaret aevo apostolico jam diem solis memoriae Jesu vitae redditi celebrandae dicatum fuisse, quoniam Barnabas Pauli in docendo evangelio adjutor fuit. At quamvis non desint viri magni nominis, qui Barnabae huic epistolam hanc vindicant eamque pro catholica habent, minimum saeculo apostolico conscriptam illam ac in classicis scriptoribus numerandam esse contendunt **): nos tamen illis subscribere haud possumus, sive res ipsas consideremus, quae in epistola hac leguntur, sive rationem scribendi perpendamus, qua conscripta est, quin potius fateri cogimur, scriptum hoc, licet inter antiquissima referendum sit, aevum apostolicum tamen non sapere, ita ut testimonio huic nil superstruere possimus, quando in originem diei dominici inquirimus.

Ad sacras litteras vero confugientibus nobis tria librorum N. T. occurrunt loca, in quibus vestigia antiquitatis diei dominici quaedam latent, in quae paucis jam inquirendi nobis animus est ***). Primum, quando ad ordinem temporis respicimus †), illorum, quae in censum veniunt, oraculorum sacrorum legitur 1. Cor. 16, 2. et hoc est: Κατὰ μίαν σαββάτων ἕκαστος ὑμῶν παρ' ἑαυτῷ τιθέτω, θησαυρίζων ὅ, τι ἂν εὐοδῶται, ἵνα μή, ὅταν ἔλθω, τότε λογίαι γίνωνται. Vult Paulus hisce verbis, ut quivis κατὰ μίαν σαββάτων apud se ipsum aliquid in thesaurum deponat, quod illi commodum fuerit, ne adveniente apostolo collectiones demum instituantur. Loquitur itaque Paulus non de illa eleemosynarum

---

*) Ed. Voss. secundae epistolarum Ignatii, quibus haec epistola adjecta legitur p. 244.

**) Nomina illorum, praeter Ittigium in diss.: De patribus apostol., quae Biblioth. patr. apost. subjuncta est, n. LII. s., Stollius quoque recenset, in: Nachrichten von den Kirchen-Vätern p. IX. Addendus illis est Abichtius, qui in dissert.: De sabbato christiano ex historia N. T. (Viteb. 1731. 4.) §. 2. mentem suam hac de re exposuit.

***) Nimis alte originem diei dominici nobis petere videntur illi, qui patriarchas, quos vocamus, jam die hebdomadis primo sabbatum celebrasse contendunt, quorum causam Wolle (Betrachtungen über die in der Augsp. Conf. enthaltene Sittenlehre Christi p. 716 s.) egit, cui auctor quidam anon. in Fresenii Pastoralsamml. part. III. p. 392 s. varia regessit. Nec ex eo, quod sectatores Christi Joh. 20, 26. octavo die post Christi egressum e sepulcro congregati fuisse leguntur, sequitur, illos ab eo tempore hoc die semper postea convenisse; quemadmodum illud nec ex Act. 2, 1. colligi potest, quoniam Christiani, quamvis die hebdomadis primo congregati fuerint, non tamen eum in finem, ut more solito sabbatum christianum agant, sed ut diem pentecostes celebrent, convenisse leguntur.

†) Priorem enim Pauli, quam ad Corinthios dedit, epistolam ab illo Ephesi scriptam esse, ex 16, 8 s. colligitur; Troadem vero, ubi illa acta sunt, de quibus infra nobis sermo erit, Apostolus petiit, cum Ephesum jam reliquisset. Act. 20, 1.

collectione, quae peractis sacris publice fiebat, sed de tali, quam privati
institui volebat; quare nec e loco hoc Paulino probari potest, diem illum
quem Paulus *μίαν σαββάτων* vocat, in Corinthiaca ecclesia illo tempore
quo haec scripta sunt, jam festum diem habitum fuisse. Interim id tame
ex illo patet, diem hunc jam tum temporis praerogativa quadam prae alii
hebdomadis diebus gavisum ac privatis pietatis exercitiis destinatum ad
eoque certo habito respectu religiose habitum fuisse et quidem eunde
fere in modum, quo nostris etiam temporibus quidam die Veneris jeju
nare ac privatim mortis Christi memoriam celebrare solent; vel stati
diebus cibum aut nummos inter egenos distribui quovis anno faciunt, a
gratam erga Deum mentem pro exhibito sibi quodam memorabili benefi
cio declarandam. Per *μίαν σαββάτων* enim Paulus non hebdomadis dien
quemcunque intelligit nec mens illius erat, Corinthios modo hortari, u
hebdomade quavis aliquid pecuniae deponant, die quodam vago, pro ar
bitratu legendo, sed definitum et certum diem illis commendabat, pra
aliis ad stipem colligendam aptum, nimirum diem primum. Notum enin
est, Hebraeos nomina illa dierum, quae a planetis desumta sunt et inte
nos hunc usque in diem vigent, non amasse, sed ut dies hebdomadis inte
se discernerent, illos numerandi initium a sabbati die fecisse, ita ut ill
dies, qui sabbatum proxime sequitur, dies primus sabbati, et sic porr
dictus fuerit; quem morem jam Mosis tempore viguisse ex Lev. **23**, 15
cuivis constare potest, ubi secundus sabbati dies laudatur. Nec ex eo
quoniam Paulus sabbatorum meminit, sequitur, illum dies festos intel-
lexisse et voluisse, ut quovis die festo aliquid pecuniae deponeretur. U
taceamus enim, ecclesiam Christi illo tempore nondum aliquem numerum
dierum festorum habuisse, nec verba: *μία σαββάτων* quendam seu unum
ex illis denotare; notandum est, quod vox sabbati, quando cum numero
ordinali dierum construitur seu hebdomadem denotat, modo in singulari
modo in plurali numero sine ullo discrimine habito in libris N. T. adhi-
beatur *). Nec facile negabit quis, locutionem: *μία σαββάτων* primum
hebdomadis diem saltem denotare posse, qui modo historiam evangeli-
cam de Jesu vitae reddito intuetur. In illa enim Matth. **28**, 1. Marc.
16, 2. Luc. **24**, 1. Joh. **20**, 1 Christum *ἐν μίᾳ σαββάτων* suscitatum
esse legimus, quod tamen idem ille Marcus ibid. 9. *ἐν πρώτῃ* factum
esse refert; quemadmodum et ex historia sacra constat, quod Servator
postquam per sabbati diem in sepulcro quieverat, die sequenti adeoque
die primo sepulcrum reliquerit **). Imo LXX. intt. hoc sensu vox *μία* saepe

---

*) Patet id ex ipsa quoque resurrectionis Christi historia evangelica. Nam Marc. 15, 9. Servator primo sabbati die vitae restitutus esse legitur, at Matth. 28, 1. Marc. 16, 2. Luc. 24, 1. Joh. 20, 1. id *ἐν μιᾷ σαββάτων* factum esse dicitur. Et quando Luc. 18, 12. homo pharisaicus de se gloriatur, quod *δὶς τοῦ σαββάτου* jejunet, dies sabbati intelligi nequit, quo a cibo et potu abstinere nefas erat; sed integra septimana intelligenda est. Matth. 12, 1. Marc. 2, 23. vero Christus *ἐν τοῖς σάββασι* aegrotum sanasse dicitur, quem tamen die sabbati sanatum esse, textus sacer abunde docet.

**) Nec dici potest Marcum 16, 9. illa modo, quae in reliquis historiae evangelicae locis non satis determinata erant, determinasse, non vero locutionem, quae idem significat, substituisse. Quodsi enim id valeret, reliqui scriptores

venit *). Nec illi quoque, quos profanos vocamus, scriptores graeci ab usu hoc vocis εἷς alieni fuerunt **). Quod vero Pauli mens haec fuerit, ut omnes die eodem hebdomadis et quidem primo aliquid pecuniae deponerent, id exinde colligimus, quoniam, quando apostolus cujusvis arbitrio relinquere voluisset, quonam die id ille facere voluisset, dummodo id, et quidem ob facilius reddendum hoc negotium, quavis hebdomade fieret, nulla ratio dari posset, cur id non singulis quibusque mensibus vel quovis die, sed praecise quavis hebdomade fieri voluisset; ita ut certum quendam hebdomadis diem determinare voluisse dicendus sit. Quando vero is certum hebdomadis diem intellexit, vox μία nullum alium, quam primum denotare potest, quod supra a nobis prolata edocent. Erat hic dies quoque prae aliis idoneus ad liberalitatem Corinthiorum erga egenos excitandam et fovendam. Illo enim die Servator noster, postquam vitam ipsam pro nobis posuerat, vivus e sepulcro, quod apertum deseruerat, exiit, ut larga manu inter nos distribueret insignia illa et non numeranda bona, quae morte sua nobis peperit, ac nos fructuum victoriae gloriosae participes faceret, quam de hostibus nostris reportaverat. Qui vero haec debite considerat et grata mente colit, is commoveri potest, ut illo die, quo in genus humanum tot tantaque derivata sunt amoris divini documenta, suos quoque aperiat thesauros et manus ad benefaciendum illis paratas habeat, quibus Dei filius effuso suo sanguine salutem aeternam paravit, aut ad promovendam praedicationem laeti de vita Jesu nuncii aliquid conferat. Et qui pro certo habet, quod Christo e mortuis suscitato coelestia bona a nobis jam expectari possint, is parum curabit terrena. Nec pugnat cum libertate christiana ***) monitum Pauli de deponenda quovis solis die pecunia. Manebat enim liberae cujusvis voluntati relictum, tantum pecuniae deponere, quantum commodum illi esset. Diem hebdomadis certum vero Paulus ad id negotium eam ob causam commendabat, ut illud eo facilius succederet et ipse paratas jam inveniret eleemosynas, quando colligendarum illarum causa iter institueret. Quemadmodum igitur et alia, ad meliorem ordinem circa cultum Dei externum observandum facientia Apostolus praescripsit, ita et circa modum stipem colligendi disponere salva libertate christiana potuit. — Alter, qui nobis excitandus est, sacri codicis locus Act. 20, 7. legitur, et hic est: *Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον, ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς, μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον.* Narrat Lucas verbis hisce, quod Paulus *ἐν τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων* ad fratres Troaden-

---

sacri id modo narrassent, quod Jesus Christus certo quodam die hebdomadis vitae redditus fuerit; quod tamen de illis cogitare nefas est, quoniam omnia, quae fiunt, certo quodam hebdomadis cujusdam die fiunt adeoque illud plane sine causa additum ab illis fuisset.

*) Docent hoc praeter alia et haec loca: Gen. 1, 5. Lev. 23, 24. Num. 1, 1. Esr. 3, 6. Neh. 8, 2. Ezech. 29, 17. Dan. 1, 21. Hagg. 1, 1.

**) Vid. Polybius in excerpt. de virtut. et vitiis p. 1401. ed. Gronov. Euripides Bacch. v. 680. et Homerus Iliad. *π*. v. 173. ad quem ult. loc. legantur, quae Erasm. Schmidius in notis in N. T. ad Matth. 28, 1. attulit.

***) Cf. Hartmann, de rebus gestis Christianorum sub Apostolis c. 16, not. 5. p. 385.

ses, qui ut panem frangerent convenerant, verba fecerit. Et quamvis ex verbis illis non sequatur, ut dies hebdomadis primus illo tempore jam cultui divino externo eique publico dicatus fuerit, ita ut illo ab omni labore Christiani abstinuerint, quoniam Troadenses non ad sacra habenda, sed ad panem frangendum eodem convenisse leguntur; id tamen non sine ratione ex illis concludi potest, quod in coetibus Christo collectis mos ille jam tum temporis obtinuerit, die hoc, ceu die stato, quavis hebdomade ad exercitia amoris mutui actusque religiosos exercendos convenire, sive fractio haec panis epulum commune sive usum s. eucharistiae denotet, quae agapam comitari illo tempore solebat. Cum enim Paulus eo die, quo sermonem ad illos sectatores Christi habebat, qui urbem Troas dictam incolebant, jam septem dies in illa commoratus esset (v. 6.) hosque dies non otiosus egisset, sed conversationem cum fratribus habens saepe cum illis sermones miscuisset *); interim tamen verba publice prius non fecit, quam ubi jam abitum parabat; inde sanctos illo tempore non die quovis, sine ullo discrimine habito, quod quidem primis post effusum in Apostolos Sp. S. diebus factum esse ex Act. 2, 46. constat, sed certo quodam die ad panem frangendum convenisse conjicimus, quoniam, si in hoc fallimur, nulla profecto ratio adesset, cur Paulus diem certum expectasset et iter suum eum in finem prorogasset, nec citius fratres congredi fecisset. Quod autem Lucas per μίαν τῶν σαββάτων non diem quendam ex illis septem diebus, per quos Paulus Troade degit, eumque ultimum intellexerit, sed alium et ab illis diversum, qui post septem ibi transactos dies secutus est et octavus in ordine fuit, id ex eo nobis verosimile esse videtur, quoniam is non scripsit: ἐν δὲ μιᾷ αὐτῶν scil. ἡμέρων, qua voce v. 6. usus fuerat, sed alia locutione adhibita: ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων. Hunc autem octavum, quem Paulus apud Troadenses egit, diem primum simul hebdomadis fuisse, ex hac ipsa denominatione illius patet, quoniam, quando jam largimur, certum hebdomadis diem a Luca indigitari, vox μία alium quam primum indicare nequit. Nec obstat asserto huic, quod, quando apostolus non nisi primo hebdomadis die verba ad populum facere potuisset aut voluisset, ille id eodem die, quo urbem Troas dictam ingrediebatur, suscipere potuisset, qui primus antecedentis hebdomadis dies erat; quoniam Paulus aut die illo fere confecto Troadem accessit **), aut prius incolas hujus loci christianos sibi notos reddere eorumque animos devincire voluit, antequam illos in publico conventu adhortaretur.

Quod vero ad sequentia tempora adtinet, quae devastationem urbis sanctae secuta sunt, illis mos diem quendam hebdomadis religiose colendi magis magisve semper increbruisse videtur, quoniam Johannes Apoc. 1, 10. diei mentionem facit, quae κυριακῆς nomen obtinuit et eodem die illa

---

*) Vox enim διατρίβω, qua Lucas usus est ad describendum Pauli negotium, proprie attritionem indeque ortam consumtionem significat adeoque h. l. continuum cum aliis hominibus commercium denotat; quemadmodum et colloquium graecis διατριβή audit.

**) Ita sentit Altingius in tr. de sabbato mere evangelico — Opp. t. 5. p. 88.

sibi revelata esse testatur, quae litteris mandata reliquit. Dies dominicus enim diem denotat, qui memoriae Domini nostri et bonorum nobis per illum partorum dicatus est; quemadmodum 1. Cor. 11, 20. s. coena κυριακὸν δεῖπνον audit, quoniam usus illius non solum a Christo nobis mandatus est, sed et ad memoriam mortis ejus recolendam celebratur, immo illa utentes corpore ac sanguine Jesu Christi fruuntur. Jam vero notum est, annua solemnia, quae memoriae resuscitati Christi sacra sunt, reliquis omnibus antiquiora esse *); quare Johannem de tali die festo, quo hujus memoria religiose cultu celebrabatur, loqui concedimus. Utrum vero sermo de anniversario illo die, quem festum paschatos vocamus **), aut hebdomadali quodam, et ex his de primo hebdomadis die praecise sit, id nostro quidem judicio ex verbis Johannis ipsis erui nequit. Interim tamen recte sentiunt illi, qui Johannem per diem dominicum diem solis intellexisse contendunt, quoniam aliunde nobis constat, quod illis temporibus, quae Johannis aevum attingunt, dies hebdomadis primus non solum dies festus, et quidem memoriae Christi vitae restituti sacer, sed et nomine τῆς κυριακῆς jam gavisus fuerit.

Ita enim Ignatius, qui haud diu post Apocalypsin a Johanne litteris mandatam vitam cum morte commutavit ***), in epistola ad Magnesianos data scribit: *Εἰ οὖν οἱ ἐν παλάιοις πράγμασιν ἀναστραφέντες εἰς καινότητα ἐλπίδος ἦλυθον μηκέτι σαββατίζοντες, ἀλλὰ κατὰ κυριακὴν* †) *ζωὴν ζῶντες, ἐν ῇ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν δι' αὐτοῦ, καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ* ††). Pater apostolicus in eo erat, ut hortaretur, ne illi, qui e Judaismo ad Christum conversi erant, amori synagogae judaicae indulgentes secundum Judaismum vivant et speciminis loco *τὸ σαββατίζειν* damnat. Sabbatizare autem dici poterant illi quoque, qui praeter diem dominicum et sabbatum judaicum die hebdomadis ultimo celebrabant, quod primis temporibus a multis factum esse notum est †††). At non de his, sed de illis Ignatio sermonem esse, qui diem dominicum more judaico feriabantur, verba sequentia innuunt, quibus vult, ut *κατὰ κυριακὴν* vitam, seu eo modo diem dominicum agant, qui decebat talem diem, quo vita nostra orta est. Quisnam ille modus et quidnam sit, more judaico diem dominicum celebrare, id uberius interpolata Ignatii epistola

---

*) Cfr. Baumgarten de veterum temporibus memoriae Christi vitae restituti sacris. Hal. 1736. 4.

**) Quae sententia Colomesio obs. sacr. p. 100 aliisque arrisit. Nec alienus ab ea fuit Vossius in Harmon. evangel. III. c. 1. §. 3. p. 362 s.

***) Johannes enim circa a. 95. post Chr. n. apocalypseos librum scripsisse, Ignatius vero a. 107. martyrium passus esse fertur.

†) Scil. ἡμέραν. Hanc enim vocem subintelligendam esse verba sequentia: ἐν ῇ. κτλ. docent; ut miremur, quod Zornius in biblioth. antiqu. exeget. Tom. I. p. 275. τῆς κυριακῆς ἡμέρας in interpolata modo, non vero in genuina Ignatii epistola mentionem fieri, asserere ac in Fabricium invehere potuerit, qui in Bibliogr. antiqu. p. 325. probaturus, quod jam ante Constantini M. tempora ab antiquissimis Christianis nomen τῆς κυριακῆς ἡμέρας pro die solis frequentatum fuerit, ad hunc locum Ignatii provocaverat.

††) Ed. Voss. sec. (Londini 1680. 4.) p. 34.

†††) Vid. hac de re praeter alios Godofr. Wegner, de sabbato Christianorum judaico. Reg. 1702. 4.

describit, in qua sequentia verba leguntur: Non ergo sabbatizemus judaice, ut feriis gaudentes - - sed unusquisque nostrum sabbatizet spiritualiter meditationi legis congaudens - - non omnia comedens et tepidum bibens et mensurate ambulans et saltationes atque plausum manuum nunc habens *). Sed quicunque etiam sit sensus verborum Ignatii, id tamen ex illis satis superque patet, quod illo tempore jam die illo, quo Christus e mortuis suscitatus est, memoria hujus rei in ecclesia Christi celebrata fuerit et hic dies eam ob causam nomen τῆς κυριακῆς obtinuerit. Quod vero non de anniversario sed hebdomadali quodam festo die loquatur Ignatius, id inde colligimus, quoniam non modum judaicum pascha quotannis celebrandi rejicit, sed illum, quo Judaei sabbatum quavis hebdomade agebant.

Ad reliquorum temporum scriptores nunc nobis progrediendum esset. Sed animus nobis non fuit, historiam sabbati christiani condendi, verum in primam modo ejus originem inquirendi et, quantum de illa ex sacris litteris nobis constet, ostendendi; quare lubentes reliqua testimonia **) huc facientia transimus.

---

*) p. m. 148 s.

**) Eminent inter illa Justini Mart. verba, quae in apol. ejus leguntur, quam is Antonino Pio obtulit et quae jam locum secundum occupat, olim vero prima dicebatur. Circa finem illius haec extant verba: *Τὴν τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, επειδὴ - - - Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.* Quod enim ad Plinii verba attinet, qui epp. 10, 97. de Christianis in Bithynia imperante Trajano viventibus narrat, quod ipsi affirmaverint, se stato die ante lucem convenire, is non quavis hebdomade ejusque die primo id fieri addit; quare testimonio ejus supersedere possumus, quamvis id, quando illius antiquitatem consideramus, Justini Mart. aetatem superet et Ignatii tempora attingat. Cf. Moshemii inst. hist. chr. maj. p. 380.

III.

Car. Chn. Lebr. Franke de diei dominici apud veteres Christianos celebratione *).

Praefatio. Quum quae viri docti inde a seculo decimo septimo ad nostram usque aetatem de festis Christianorum diebus commentati sunt, accuratius examinarem, summam illorum industriam atque ingenii acumen, tam in colligendis et disponendis quam in perscrutandis his rebus probatam, non potui non admirari. Nam quae per tot tantosque scriptorum antiquioris aevi christianorum libros dispersa reperiuntur de his rebus testimonia, ea fere omnia congerentes originem, progressum, ritus et cerimonias festorum apud Christianos dierum satis perspicue explicaverunt. Quos inter viros prae ceteris laudandi sunt Binghamius, hujusque vestigiis qui nostro tempore ingressus est, Augustius.

Attamen magnum cum habeant hae res ambitum magnasque difficultates, vix aliter fieri potuit, quam ut viri illi celeberrimi interdum a vero paulisper aberrarent et singulas proponerent sententias, cum veterum de his rebus testimoniis minus congruentes. Quod praesertim iis accidisse censeo, ubi de diei dominici apud veteres Christianos celebratione deque tempore disserunt, quo festa hujus diei observatio exorta sit. Namque Binghamius magnum, quo gaudet hic dies in ejus patria, honorem mihi videtur vel inde augere voluisse, quod illius celebrationem ab ipsis rerum christianarum primordiis repeteret, qui vero in Germania post eum hac de re scripserunt, ejus auctoritati nimium tribuisse. Inde forsitan factum est, ut inter recentiores nemo, quantum scio, quos ille ex scriptura sacra et scriptoribus ecclesiasticis ad sententiam suam probandam attulerat locos, denuo et quidem accuratius examinaverit.

Itaque rem haud plane superfluam me aggressum esse existimavi, si in illos locos, qui de die dominico aut multis viris doctis dicere videntur aut revera disserunt, eo consilio iterum inquirerem, ut, praetermissis iis vel obiter tantum observatis, quae de cultu divino festis Christianorum diebus instituto ab aliis fuse et docte enarrata sunt, quando et quomodo diei dominici observatio apud veteres Christianos originem suam et progressum habuerit, quantum in re perquam obscura fieri posset, demonstrarem.

Haec pauca praefanda erant, ut lectores compertam haberent consilii nostri in conscribenda hac commentatione rationem.

Caput I. Christi et Apostolorum de diebus festis judicium. Qui libere de ecclesiae christianae primordiis commen-

*) Prod. Hal. 1826. 8.

tati sunt viri docti, ad unum omnes, quantum scio, Jesum Christum, ut hic vel ille dies prae aliis haberetur sanctus, non praecepisse, affirmant. Et recte quidem. Nam etsi ille, ut Apostoli tradunt, una cum discipulis sacros Judaeorum conventus saepius frequentavit, tamen hoc eo tantum fecit consilio, ut popularium, ab eorum consuetudine non recedens, effugeret offensionem haberetque suae doctrinae coram multis, qui ex omnibus romani imperii provinciis ad templum Hierosolymitanum pascha celebraturi convolarunt, exponendae opportunitatem. Quod inprimis ex ejusdem dictis, quibus suam cum legibus mosaicis comparat religionem, demonstrari potest. Etenim fore praesagivit, ut omnes Judaeorum, quae ad externum Dei cultum spectant, constitutiones abolerentur numenque supremum a Christianis veri nominis ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ coleretur Joh 4, 21—23. Huc accedit, quod et ipse leges de sabbati celebratione latas interdum neglexit et suos discipulos legibus hisce non adstrictos esse judicavit, neque tamen eosdem a festorum dierum celebratione prohibuit unquam *). Liberum enim esse arbitratus est hominis cujusque de sacris diebus aut observandis aut non observandis judicium **). Quum vero haberet persuasissimum, nullam societatem, simulatque certam quandam religionis formam susceperit, ceremoniis prorsus carere posse, ipse binos ritus sectatoribus suis praescripsit, baptismum et coenam s., quorum per alterum homines ingredi in ecclesiam suam jussit, per alterum memoriam sui pia mente renovare. Sed neutrius observationi certum quendam constituit diem. Quare praeclare Moshemius ***) libertati et prudentiae posterorum negotium hoc totum ab eo relictum esse contendit, ut et hominum et temporum et locorum justa habita ratione quid sciscendum foret, viderent.

Sed haec virorum doctorum consensio in magnam sententiarum abit dissensionem, cum de origine et observatione diei dominici (diei solis, panis, primi hebdomadis) inter Christianos deque tempore disserunt, quo hic dies sabbati loco vel ex more vel ex lege religiose celebratus sit. Longe enim plurimi, non solum statim ab initio rerum christianarum, i. e. haud diu post sublatum ad coelos Servatorem, praeeuntibus Apostolis, diem solis idcirco sacris peragendis dicatum, quia

*) Matth. 24, 20. Haec autem discipulis dixit Jesus, futuram Hierosolymorum eversionem vaticinans; pro certo igitur sumsit, illis tum quoque sabbati diem sacrum fore, et religiosum ejus cultum non inprobavit.

**) Matth. 12, 1—14. Marc. 2, 23—28. 3, 2—4. Luc. 6, 1—11. 13, 10—17. 14, 1—5. Joh. 5, 9—18. 7, 22—24. 9, 14—16. Homine natum (Matth. 12, 8.) vel hominem (Marc. 2, 27.) sabbati dominum esse dicit, quod nonnulli ita interpretati sunt, ac si Jesus sibi vel homini cuique jus sabbati abrogandi vindicare voluerit. Sed tum sibimetipsi non bene constaret. Nam alibi (Matth. 5, 17.) se non eo consilio venisse ait, ut legem aut vates abrogaret, sed ut perficeret. Quare alia verbis illis insit sententia necesse est. Quaenam vero haec sit, optime explicavit Grotius ad Matth. 5, 17. in hunc modum: *Ritus inplevit et consummavit Christus, id exhibendo, cujus causa ritus erant reperti, quodque ipsi figurabant. Delevit autem eosdem eo ipso implemento et consummatione, non tollendo legis vinculum, sed causam subtrahendo, propter quam lex ea nata et cui morienti ex primaevo decreto erat commoritura.*

***) Institutt. hist. christ. majj. (Helmst. 1739.) p. 369.

Christus illo die ex mortuis resurrexerit *), sed Judaeorum etiam sabbatum, in diem dominicum mutatum et a septimo in primum hebdomadis diem translatum esse opinantur **). A quorum opinione recedunt alii, qui diem solis post excisam Hierosolymorum urbem, imo sub exitum hujus seculi demum consecratum fuisse contendunt ***). Illi ad sententiam suam probandam plura afferunt Apostolorum dicta, quae capite tertio accurate a nobis explicabuntur. Antea enim, quid Apostoli in universum de festis diebus et ritibus sacris senserint, exponendum est.

Paulus contra illos disputat saepenumero, qui legis mosaicae cerimonialis, praesertim sabbati aliorumque festorum observationem tanquam unicum salutis medium fidei Christo habendae adjunxere. Sic, ut sententiam exemplis illustrem, in epistola ad Galatas de gentilibus loquitur, qui Christo quidem nomen dederant, sed a falsis doctoribus corrupti etiam legem mosaicam observandam esse opinabantur. Fatetur (Gal. 1, 14—15.), se antea populares in Judaismi profectu longe superasse seque patriarum institutionum fuisse studiosissimum, donec meliora ipsum divina docuerit gratia. Admonet igitur Galatas, ut, non legis mosaicae observatione, sed sola in Christum fide se justificari credentes (ibid. 3.) in libertate, in quam Christus eos adseruerit, persistant (ibid. 5, 1.) neve iterum jugum servitutis subeant. Namque vos, inquit, ad libertatem vocati estis (ibid. 5, 13.).

Quae locis allatis et alibi contra legis mosaicae observationem generatim disputat, ea speciatim ibi quoque applicat, ubi de celebrandis festis et statis aliis diebus, in lege mosaica determinatis, profert sententiam. Etenim Galatas in hunc adhortatur modum: „At nunc, cum cognoveritis Deum, vel potius a Deo cogniti sitis, qui fit, ut rursum ad infirma egenaque elementa vos convertatis, quibus denuo servire vultis? Dies

---

*) Cfrr. Jac. Binghamii Antiquitt. eccles. ex vers. Jo. Henr. Grischovii. Vol. IX. (ed. sec. Hal. 1760.) p. 13. *Inter ferias sacras et ecclesiasticas maxime semper emicuit dies dominica, quae cum magna veneratione in veteri ecclesia, inde ab ipsis Apostolorum temporibus, celebrari consuevit.* Joh. Laur. Moshemii de rebus Christianorum ante-Constant. M. comment. (Helmst. 1753.) p. 112—13. *Populus Christi Hierosolymitanus, tametsi publica Judaeorum sacra haud deserebat, suos tamen etiam conventus rei divinae faciendae causa celebrabat, in quibus ab Apostolis instituebatur, communes preces fundebat et memoriam Jesu Christi per sacram coenam repetebat. Diem his conventibus dicatum illum fuisse, quo Jesus Christus in vitam rediit, certum magis est quam verisimile.* — Just. Henr. Boehmer: XII. dissertatt. juris ecclesiast. antiqui (ed. sec. Hal. 1729.) Diss. I. §. 13. p. 21. — Franc. Buddeus: Institutt. theol. moral. P. II. c. III. Sect. II. §. 35. p. 655. — Joh. Matth. Schroeckh: Christl. Kirchengesch. P. II. (Lips. 1770.) p. 143. Joh. Henr. Heinrichs: Apocalypsis graece, perpetua annotatione illustrata, P. I. (Götting. 1818.) p. 132.

**) Cf. Joh. Chr. Wilh. Augusti: Denkwürdigkeiten aus der christl. Archaeologie etc. P. I. (Lips. 1817.) §. 5. p. 17. *Die Geschichte der alten Kirche lehrt, dass gleich Anfangs der jüdische Sabbat in einen Tag des Herrn (Christus-Tag, Sonntag) verwandelt und vom siebenten Tage auf den ersten verlegt wurde.*

***) Cf. Phil. Jac. Hartmannus: De rebus gestis Christianorum sub Apostolis. (Berol. 1699.) c. 15. p. 387 seqq.

observatis et menses et tempora et annos." Gal. 4, 9—10. Deinde pergit: „Metuo equidem, ne frustra in vobis laboraverim." Ibid. 11. Eadem sententia recurrit in epistola ad Colossenses: „Nemo vos damnet propter cibum aut potionem, aut propter anniversaria sacra aut novilunia aut sabbata, quae sunt rerum futurarum umbrae, quarum corpus est Christus." Col. 2, 16—17. Quibus verbis hoc declarat Apostolus: Nemo Judaeorum legibus de festorum rituumque observatione vos obstringere atque, si illas negligitis, damnare audeat. Sunt enim omnes ab hominibus latae earumque usus is est, ut usu pereant (ibid. 2, 22—23.); quasi adumbrant disciplinam Jesu Christi ejusque religionem, quae et est et recte dicitur νόμος ἐλευθερίας (Jac. 2, 12.). Quibuscum optime conveniunt, quae idem Christianis Romae degentibus scribit: „Alius diem diemque discernit, alius quemvis diem peraeque aestimat; suam quisque sententiam exploratam habeat." Rom. 14, 5—6.

Paulus igitur, ut ex his omnibus apparet, Christianos certiores facere studuit de illorum erroribus, qui mosaicae legis festorumque dierum observatione Dei gratiam sibi conciliari posse credant, quum Christianos omnem aeternae salutis spem a fide in Servatorem atque ab animi pietate deceat repetere. Itaque nulla amplius iis sit jugi mosaici cerimonialis obligatio, hujusque legis observantia jam non necessitatis, sed liberae voluntatis habenda sit.

Attamen Apostoli non statim hanc doctrinam de libertate Christianorum ubique inculcabant, quin potius judaico more inter Judaeos fideles et infideles et ipsi illo tempore vivebant et alios, ut ita viverent, adhortabantur. Ex multis, quibus hoc constat, exemplis pauca tantum afferre liceat.

Paulus pentecostes diem Hierosolymis celebraturus properat, ut opportuno tempore adveniat (Act. 20, 16.) caputque suum, ut voverat, totondit (ibid. 18, 18.). Eundem Apostoli Hierosolymis degentes quatuor homines voto jamjam obstrictos adsumere atque solitum in Judaeorum templo sacrificium offerre jubent, ut omnes Christiani etiamtum legi mosaicae addicti intelligant (Act. 21, 20.), inanes esse de Paulo rumores, qui late sparsi Hierosolymis quoque illo tempore calerent. Fama scilicet orta erat, illum omnes Judaeos ἐν τῇ διασπορᾷ viventes docere, a Mose deficiendum neque liberos circumcidendos neque majorum instituta servanda esse. Act. 21, 21. Ipse igitur, ut hanc famam reprimeret, legi paruit et ex consulto Apostolorum rite ac ordine omnia complevit. Ibid. 21, 23—26. Idem Paulus Timotheum, feminae cujusdam judaicae fidentis filium patre graeco, circumcidit propter eos, qui erant in illis locis, Judaeos. Act. 16, 1—3. Sed probe nobis observandum est, Apostolos omnia haec mandasse et fecisse magis ex libertate et quadam condescendentia, quam necessitate; quemadmodum Paulus ipse fatetur, „se liberum quidem esse ab omnibus, omnibus tamen se mancipasse, quo plures lucraretur." „Judaeis," addit „fui ut Judaeus, quo Judaeos lucrificarem; legi subditis, ut legi subditus, quo legi subditos lucrificarem; exlegibus, ut exlex, quo exleges lucrificarem. Fui infirmis perinde ac

infirmus, quo infirmos lucrificarem; denique quibusvis quidvis fui, ut omnino aliquos servarem." 1 Cor. 9, 20—22. *).

Apostoli igitur de rebus sacris et festis diebus judicarunt, utpote de rebus, quas, quum non ad ipsam pertineant religionem, Christianus quisque aut observare possit aut negligere. Inde concludimus, illos certas, quae huc spectarent, leges sectatoribus suis proponere ne voluisse quidem **). Majora potius erant, quae curabant: verbi divini per terrarum orbem praedicatio et Judaeorum et gentilium ad fidem in Christum Servatorem vocatio; falsae Judaeorum praecipue opinionis de observanda lege Mosis cerimoniali, quasi ad veram salutem nanciscendam necessaria, refutatio. Omitto, quod Moshemius ***) opportune commemorat, *incredibile esse, Apostolos, qui terrarum orbis exitium alterumque Servatoris nostri adventum imminere putabant, de religione cerimoniis et diebus festis ornanda et munienda sollicitos fuisse.*

Sed sunt inter viros doctos, ut in antecedentibus commemoratum est, qui hoc quidem nobis concedant, nihilominus tamen contendant, jam aevo apostolico apud Christianos usum diei dominici celebrandi ortum esse. Quem usum putant originem traxisse a primi Christianorum coetus Hierosolymitani exemplo, quod omnes postea ecclesiae imitatae essent †). At quae sacrae literae de hac vetustissima Christianorum familia tradunt, cum hac conjectura haud videntur congruere. Dicuntur enim Christiani Hierosolymitani quotidie simul adsidui in templo fuisse et in privatis aedibus panem fregisse (Act. 2, 46.), itidemque Apostoli et in templo et intra parietes docere et Jesum Christum nuntiare non intermisisse (Act. 5, 42.). Unde consequitur, eos nullum inter singulos dies discrimen (sabbato excepto) fecisse neque solis diem ceteris praetulisse. Nam etsi singula Lucae verba non ita urgenda sunt, ut ex iis Christianos ad frangendum panem se quotidie congregasse queat demonstrari: hoc tamen aperte indicant, frequentissimos fuisse illo tempore Christianorum Hierosolymitanorum conventus et tam saepe actos, quam commode fieri potuerit. Huc accedit, quod ne unus quidem extat locus, quo horum Christianorum conventus die solis habiti commemorentur. Et Lucas, qui multus est in enarrandis eis, quae illo tempore Hierosolymis ab Apostolis gesta sunt et aliis mandata ††) quique plura affert, quae ad hujus

---

*) Cfrr. quae J. H. Boehmerus de hac re disputavit l. l. in dissert. de stato Christianorum die §. 4. 6. p. 7 ss.

**) In priori ad Cor. c. 14, Paulus quidem praecipit, qua ratione instruendi sint conventus publici quisve in illis ordo observandus, at nihil de statis conventuum diebus nec de tempore, quo se ad sacra peragenda congregare debeant Christiani, subjicit. Ex regula potius, quam servandam proponit, intelligi potest, inviolabilem et perpetuam legem ab ipso haud latam, sed id tantum, quod praesenti rerum conditioni conveniens videretur, expositum esse. 1. Cor. 14, 40.

***) Institt. histor. eccles majj. P. II. c. 4. p. 372.

†) Cf. Moshemius de rebus Christ. ante Const. M. p. 116. V. infra (c. 3.) totum hunc locum in nota ad Act. 20, 7.

††) Cf. Act. 15, 19—21, ubi Jacobus in Apostolorum et seniorum synodo judicasse fertur, fideles ex gentilibus non molestia afficiendos, sed admonendos tantum esse, ut abstineant a simulacrorum foeditatibus etc. simulque rationem addidisse, cur fideles ex Judaeis in honorem Mosis plura exigere non debeant:

ecclesiae disciplinam pertinent, velut bonorum communionem (Act. 2, 44—45.), nihil tradit de diei dominici celebratione nec Paulus, etsi saepius de festis diebus deque conventibus Christianorum ad sacram coenam celebrandam institutis disserit, (v. c. 1. Cor. 9, 17 ss.) nec Petrus neque ullus ex omnibus N. T. scriptoribus quidquam de hujus diei observatione perspicue dicit. Sic etiam nullus hunc diem, quo postea significatus est nomine, ἡ κυριακὴ ἡμέρα, sed apud Judaeos usitato, ἡ μία sive ἡ πρώτη sc. ἡμέρα τῶν σαββάτων, appellat, quod tamen facere haud neglexissent, si eo jam tempore hic dies illud nomen habuisset *). Nam ubi et quando Christiani nomen suum acceperint, narrat Lucas (Act. 11, 26).

Ex sacra igitur scriptura, ut vel ex iis, quae de libertate christiana disputavimus, potest intelligi, viri docti sententiam suam, Christianos jam Apostolorum tempore diem dominicum celebrasse, probare nequeunt. Provocant quidem ad singula illorum dicta, sed omnia in hanc rem ab ipsis laudata nihil probare, tertio capite demonstrabitur. Lubet enim antea patrum quorundam ecclesiasticorum afferre effata, quae ad veterum Christianorum in sacris peragendis pertinent libertatem.

Cap. II. De libertate, qua in rebus sacris peragendis pollebant veteres Christiani, posterioris temporis testimonia. Firmissimum libertatis, quae in rerum sacrarum aestimatione cernitur, testimonium Socrates perhibet. Nam ortam inter Christianos dissensionem de festi paschatis celebratione aliorumque rituum observatione commemorans: „nusquam," inquit **), „nec Apostolus nec Evangelia servitutis jugum illis imposuerunt, qui ad praedicationem evangelii accedebant; sed paschatis festum aliosque festos dies arbitrio aequitatique eorum, qui beneficia illis diebus acceperant, colendos reliquerunt. Proinde quoniam homines festos dies amant, propterea, quod laborum remissionem ipsis afferunt, singuli, suis quisque locis, salutaris passionis memoriam, sicuti voluerunt, ex consuetudine quadam celebrarunt. Neque enim Servator hoc neque Apostoli observandum nobis esse, lege aliqua mandarunt; neque poenam aut supplicium aut imprecationem Evangelia vel Apostoli, sicuti Judaeis lex Mosis, nobis sunt comminati. Verum historico tantum modo, ad opprobrium Judaeorum, quod homicidium diebus festis exercuerint, in evangeliis relatum est, Servatorem passum esse diebus azymorum. Quippe propositum id erat Apostolis, non ut de diebus festis leges ferrent, sed ut rectam vitam et pietatem inducerent. Ac mihi quidem videtur, quemadmodum alia multa singulis locis

---

Moses enim, inquit, *jam inde a priscis seculis per singulas civitates, qui ipsum praedicent, habet, dum per synagogas omnibus sabbatis recitatur.* Optime Grotius: *Nam quod ad Mosen attinet, non possunt, qui ex Judaeis sunt, queri, eum sperni ab alienigenis nostri gregis, quando in nostris non minus, quam in judaicis conventibus Moses, ita ut ab antiquo factum est, legitur, et quidem sabbatis.* Nihil igitur in hac synodo ratione sabbati immutatum, nec addendo nec detrahendo, nihilque de die dominico commemoratum est, cujus tamen mentio haud dubie facta esset, si eam illo jam tempore pariter atque sabbatum celebrassent Christiani. Cf. quoque Phil. Jac. Hartmannus l. l. p. 383.

*) De loco Johanneo Apoc. 1, 10. infra fuse disseremus.

**) Hist. eccl. 5, 22. (ed. Mogunt.) p. 283.

usu quodam invaluerunt; ad eum quoque modum paschale festum apud singulos ex quadam consuetudine peculiarem observationem habuisse; propterea nullus Apostolorum, uti dixi, quidquam de illo lege sancivit. Quod vero ex consuetudine magis quam ex lege aliqua inde ab antiquo apud singulos observari coeperit, res ipsa declarat."

Alii patres religionem christianam vel ob hanc, quam in festis celebrandis admittit libertatem, et Judaeorum et ethnicorum cultui praeferendam neque necesse esse judicarunt, ut certi dies festi, infirmorum causa instituti, a perfectis agerentur. Etenim diem quemque Deo consecrandum esse arbitrati sunt. Cui sententiae inprimis favent Clemens Alex. et Origenes, quorum omnia, quae huc spectant, dicta affere longum est. Quare gravissimum ex utroque scriptore protulisse sufficiet.

Clemens *) autem: „jubemur," ait, „colere et honorare eundem, quem et Verbum esse et Servatorem atque ducem habemus persuasum, et per ipsum patrem, non selectis diebus, ut aliqui alii, sed continenter hoc per totam vitam et quocunque modo facientes. Unde nec in definito loco neque in templo selecto neque aliquibus festis et diebus praestitutis, sed per totam vitam, qui est gnosticus, in omni loco, etiam si forte per se solus sit et si secum habuerit aliquos, qui eandem fidem amplexi sunt, Deum colit, h. e. gratias agit propter rectae vitae cognitionem. Sin autem jam alicujus boni viri praesentia, per sui pudorem et reverentiam, eum, quocum versatur, semper in melius format: quomodo is, qui per cognitionem et vitam et gratiarum actionem semper Deo praesens est, non multo magis jure se melior semper evadat in omnibus et factis et verbis et effectu? Talis est is, cui est persuasum, Deum ubique adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum; ut cum se absque eo esse aliquando existimaverit, noctu et interdiu intemperantiae se dedat et libidini. Per totam ergo vitam diem festum agentes, ubique et undique Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, hymnos canentes navigamus et in omni alio vitae instituto ex arte versamur."

Cum praeceptore suo consentit Origenes. Celso enim Christianos reprehendenti, quod festis gentilium cum suis non fruantur, respondet, illa appellari quidem festa, sed re vera figmenta esse et superstitionis documenta, quae cum spirituali supremi numinis cultu non conveniant. Deinde pergit: „Festum **) enim (ut quidam quoque Graecorum sapiens pulchre dixit) nihil aliud est, quam officium facere: et vere festum agit, qui facit, quod debet, semper preces fundens, Deo incruentas victimas suis offerens precationibus. Unde etiam generosissimum mihi hoc Pauli videtur dictum: Dies observatis et menses et tempora et annos; timeo vobis, ne frustra in vobis laboraverim. Quodsi quis autem nobis regerat nostros dominicos aut parascevas aut pascha aut pentecosten, certis diebus recurrentes: respondendum est etiam ad hoc, quod, qui perfectus est, verbis et operibus et cogitationibus adhaerens Domino, naturali Dei

*) Opp. (ed. Potter) P. II. Strom. lib. 7. c. 7. p. 851.

**) C. Celsum. (ed. Spencer. Cantabr. 1677.) l. 8. p. 392—93. Cf. quoque Joh. Chrysost. Homil. 1. de sanct. pentec. Opp. (ed. Montf.) P. II. p. 458 ss.

Verbo, semper ejus agit dies et nunquam non habet diem dominicum." Simili modo ostendit, qua ratione alii quoque festi Christianorum dies omni tempore possint celebrari. Tum pergit: „Vulgus autem eorum, qui credentes videntur, re vera autem non sunt, qui vel non potest vel non vult quotidie hos festos dies agere, opus habet, ut contineatur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino dilabatur ab officio. Haec, ut opinor, cogitans Paulus, partem diei festi nominavit festum statis diebus recurrens. Indicat autem his verbis, quod non in parte festi diei, sed in perpetuo integroque festo aeterna vita consistat."

Cum his consentiunt, quae Augustinus ad Januarium *) scripsit. Nam in literis ad hunc datis: „primo itaque," inquit, „tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in evangelio loquitur, levi jugo suo nos subdidisse et sarcinae levi; unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis societatem novi populi colligavit; sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur, exceptis iis, quae servitutem populi veteris, pro congruentia cordis illorum et prophetici temporis, onerabant, quae et in quinque libris Mosis leguntur. Illa autem, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in coelum et adventus de coelo Spiritus S. anniversaria sollennitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrit, quod observatur ab universa, quacunque se diffundit, ecclesia. Alia vero, quae per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant sabbato, alii vero non; alii quotidie communicant corpori et sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum et dominico, alibi tantum dominico, et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit." Quibuscum conferas, quae alibi apud eundem extant: „Illi **) (Judaei) enim ea serviliter observabant, non intelligentes ad quarum rerum significationem et praenuntiationem pertinerent. Hoc enim in eis culpat apostolus et in omnibus, qui serviunt creaturae potius quam creatori. Nam nos quoque et dominicum diem et pascha solenniter celebramus et quaslibet alias christianas dierum festivitates. Sed quia intelligimus, quo pertineant, non tempora observamus, sed quae illis significantur temporibus."

In eundem modum de his rebus disputat Hieronymus ***). „Et ne," ait, „inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea

*) Epistolae. (ed. Reinhart. Attd. 1668.) ep. 118. p. 578.
**) August. opp. (Basil. 1529.) P. VI. contra Adiamantum c. 26. p. 136.
***) Opp. (ed. Martianay. Par. 1706.) P. IV. comm. in Gal. c. 4. p. 270.

dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa, qua convenimus; sed quo quacunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo laetitia major oriatur. Qui vero oppositae quaestioni accuratius respondere conatur, illud affirmat, omnes dies aequales esse nec per parasceven tantum Christum crucifigi et die dominica resurgere, sed semper eum carne vesci dominica; jejunia autem et congregationes inter dies propter eos a viris prudentibus constitutas', qui magis seculo vacant, quam Deo, nec possunt, imo nolunt toto in ecclesia vitae suae tempore congregari et ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem haec pauca, quae statuta sunt, vel orandi tempora vel jejunandi, semper exerceat? Itaque sicut nobis licet, vel jejunare semper vel semper orare et diem dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus: non ita et Judaeis fas est omni tempore immolare agnum, pentecosten agere, tabernacula figere, jejunare quotidie."

Apostolorum igitur doctrina de certa, quae in rituum festorumque institutione et abrogatione cernitur, Christianorum libertate etiam posterioris aevi patribus perquam accepta fuit. Attamen, quum illo tempore multa festa multosque ritus institutos eosque ab omnibus fere Christianis anxie et religiose observatos esse constet, in promptu est, ne celeberrimorum quidem virorum de his rebus judicium aliquid in aequalium animos potuisse. Ita forsitan, sic dicere possit quispiam, etiam in ecclesia apostolica res sese habuerit. Nam docuisse Apostolos quidem de libertate illa aequales suos non negandum est, sed plus forsitan apud hos caerimoniarum festorumque amor quam illorum auctoritas valuerit. Ergo ex ista Apostolorum doctrina non consequitur, Christianos antiquissimis illis temporibus festa non egisse eosque diem dominicum non celebrasse; quin potius hujus rei firmissima reperiuntur in libris N. T. vestigia. Qui hanc sequuntur opinionem, haec tria inprimis scriptorum sacrorum dicta Act. 20, 7., 1. Cor. 16, 1—2, Apoc. 1, 10. afferre solent. De his igitur aliisque, quae alii ad nostram rem aliquid facere opinati sunt, evangelistarum narrationibus fuse nunc et accurate agendum est.

Cap. III. Explicantur Apostolorum et Evangelistarum dicta, quibus multi diem dominicum in ecclesia apostolica celebratum fuisse probare conati sunt.

Act. Ap. 20, 7.: *Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων ἡμῶν κλάσαι ἄρτον, ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς, μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον· παρέτεινέ τε τὸν λόγον μέχρι μεσονυκτίου.*

Lucas Paulum, quum septem dies Troade commoratus esset, primo hebdomadis die, postridie profecturum, coram Christianis ad panem frangendum congregatis orationem habuisse narrat, ita ut eam ad mediam usque noctem produxisset. Unde apparet, sic multi clamitant viri docti*), Troadenses conventu sacro diem dominicum celebrasse. At

*) Cfrr. prae aliis Binghamii antiquitt. eccles. part. 9. p. 14. Mosheim (De rebus Christian. ante Const. M. p. 116.) *Pro certo sumi potest, diem hebdomadis primum, quo de morte triumphum egit sanctissimus Servator, ab*

primum ex iis, quae capite primo de conventibus Christianorum in universum disputata sunt, perspicuum est, eos si non quotidie at certe quavis hebdomade saepius sese congregasse congregatosque panem frangere coenamque sacram cum agapis conjungere solitos fuisse. Quamobrem, si illorum conventus primo hebdomadis die habiti a scriptoribus N. T. commemorantur, nobis de singulari diei dominici celebratione cogitare non licet. Deinde hoc loco Lucas ipse aliam quoque, cur primo hebdomadis die convenirent, attulit causam, affirmans, Paulum postridie profecturum fuisse eumque eandem ob causam sermones usque ad mediam noctem produxisse.

1. Cor. 16, 1–2.: *Περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους, ὥσπερ διέταξα ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιήσατε. Κατὰ μίαν σαββάτων ἕκαστος ὑμῶν παρ᾽ ἑαυτῷ τιθέτω, θησαυρίζων ὅ, τι ἂν εὐοδῶται· ἵνα μὴ, ὅταν ἔλθω, τότε λογίαι γίνωνται.*

Jubentur hoc loco Christiani Corinthiaci ab apostolo primo quoque hebdomadis die aliquid pecuniae domi suae ad collectionem condere, in Christianos Hierosolymitanos conferendam. Quod cum hoc isto, ac non certo alio aut incerto quodam hebdomadis die ex praecepto apostoli fieri debeat, probare dicunt*), Christianos jam illo tempore hunc ceteris hebdomadis diebus praetulisse. At errant, ut mihi quidem videtur. Nam si secundum Apostolorum mandatum hoc die, quemadmodum omnibus et Graecorum et Judaeorum festis diebus ex lege fieri debebat, ad sacra facienda una convenissent Christiani, apostolus ad hunc fere modum Corinthiis scripsisset: „Quum in memoriam Christi e mortuis suscitati primo hebdomadis die in concionem convenitis, quisque vestrum adferat aliquam pecuniam tradatque eam (ut oblationibus facere soletis) vel *τοῖς πρεσβυτέροις* vel *διακόνοις* ad collectionem in sanctos conferendam, ne tum demum, quum ipse advenero, collectiones fiant.“ Sic quidem ad rem, quam sibi assequendam proposuerat, certius ac facilius accessisset apostolus. Sin autem in vulgari hujus loci explicatione persistere velis,

---

ipsis Apostolis Hierosolymis commorantibus, conventibus Christianorum sacris dicatum fuisse. Videmus Troadenses Christianos primo post sabbatum Judaeorum die ad sacram coenam et simul convivium amoris celebrandum convenire et Paulum in illo coetu longum sermonem recitare. Act. 20, 7. μίαν enim τῶν σαββάτων, qua conventus hic agebatur, diem indicare, quae sabbatum Judaeorum excipiebat, argumentis omni exceptione superioribus viri docti demonstratum dederunt. Ecquis neget, Troadenses auctoritate Apostolorum et exemplo coetus Hierosolymitani, quem omnes imitabantur familiae christianae, hunc diem divino cultui dedicasse? Ecquis Paulum apostolum, gnarum disciplinae Hierosolymitanae, alium sibi persuadeat diem sacris publicis destinare voluisse, quam illum, quo reliquos Apostolos Hierosolymis degentes conventus agere solere noverat? His adsentiuntur Morus: Versio et explicatio Actuum Apostoll. ed. Dindorf. (Lips. 1794.) P. 2., p. 496. Kuinoel Comment. in ll. N. T. hist. P. 4. Acta Apostoll. (Lips. 1818.) p. 665. et Augusti: Denkwürdigkeiten aus der christl. Archaeologie. P. 1. (Lips. 1817.) p. 17.

*) Cf. Binghamius l. l. — Basnagius in Annal. ad ann. 33. §. 176.: *Aperte*, ait, *ex hoc loco igitur liquet, Paulum mandasse Corinthiis, ut prima cujusvis hebdomadis feria conventus sacros celebrarent erogarentque eleemosynas.*

contendens, haud necessarium fuisse, haec vel his similia Paulus ut scriberet, quippe de re, nempe de diei dominici celebratione, omnibus Christianis satis cognita loquens: refugio ad ea, quae in antecedentibus fusius exposita sunt. Nullum scilicet quum reperiatur celebrati diei dominici certum in N. T. vestigium, etiam hic locus, qui ne Christi quidem aut sacrae coenae aut sanctorum coetus mentionem facit, ad rem nondum confectam rite discernendam momenti est nullius. Adde, quod locus aliam quoque admittit explicationem eamque, si quid video, neque ineptam nec difficilem. Certum quendam hebdomadis diem, quo pecuniam ad collectam illam conderent, Corinthiis constituere necessarium videbatur, ut mandati eo certius memores essent. Elegit autem apostolus primum hebdomadis diem ideo, quia hoc die compertum habebant, quantum pecuniae iis, si sumtus necessarios fecissent, relictum esset quantumque, pro suarum quisque opum facultate, in sanctos fratres conferre possent. Nam quo minus sabbatò collectionem facere iis mandaret, impedivit apostolum religiosa hujus diei apud illos Christianos observatio, qui antea fuerant Judaei. Paulus enim, ut in ipsa hac dicit epistola (1. Cor. 9, 19 – 22.) et jam in antecedentibus a nobis observatum est, Judaeis fuit Judaeus, quo Judaeos lucrificaret. Diligenter igitur cavebat, ne cui daret offendiculum. 1. Cor. 10, 32—33.

Apoc. 1, 10.: Ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ.

Sic cum Heinrichsio*) haec verba conjungenda et construenda esse puto, non ut aliis, velut Augustio placuit**): ἐγενόμην ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ ἐν πνεύματι, ut verbis haec insit sententia: Agebam diem dominicum, at non vere, sed videbar (ἐν πνεύματι) tantum mihi hunc diem, quo mox ad poenas ab hostibus exigendas Messias redibit, contemplari. Nam saepenumero quidem in N. T. ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου tempus indicat, quo Christus venturus sit ad judicium habendum (1. Cor. 1, 8; 5, 5. 2. Cor. 1, 14; 1. Thess. 5, 2; 2. Thess. 2, 2; 2. Petr. 3, 10; Luc. 17, 24), etsi nunquam, hoc uno loco excepto, ἡμέρα κυριακή, sed semper ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου, tanquam solennis quasi vox ad judicium illud significandum usurpatur. Deinde γίνεσθαι vocabulum cum verbis ἐν πνεύματι conjungendum esse docet simillimus huic locus Apoc. 4, 2. Porro, ut recte ab Heinrichsio observatum est, γίνεσθαι ἐν ἡμέρᾳ nusquam legentibus nobis ea significatione occurrit, ut sit, diem agere. Neque assentimur Binghamio***), qui Johannem de nullo alio die cogitasse opinatur, quam de primo hebdomadis die, qui postea dominicus appellatus est. Qua ex re idem colligit, jam illo tempore hunc diem Christi redivivi memoriae causa omnibus Christianis et sacrum habitum et conventibus celebratum esse. Multa enim eaque non levia huic obstant opinioni. Nam primum dies solis nunquam a scriptoribus

*) Cf. Heinrichs: Apocalypsis graece etc. (Gotting. 1818.) P. I. p. 132.

**) Cf. Augusti l. l. p. 18. *Dagegen dürfte in der Stelle Apoc. 1, 10. κυριακὴ ἡμέρα schwerlich den Sonntag, sondern vielmehr den Gerichtstag (wohin der Geist den Seher versetzt) bedeuten.*

***) L. l. p. 14. *Johannes diserte eum nominat diem dominicum Apoc.* 1, 10.

N. T. appellatur ἡ κυριακὴ ἡμέρα, sed omnes (Matth. 28, 1. Marc. 16, 2. Luc. 24, 1. 1. Cor. 16, 1. al.) Johanne non excepto (Joh. 20, 1, 19.) eum ex more Judaeorum nuncupant τὴν μίαν vel τὴν πρώτην (ἡμέραν) τῶν σαββάτων. Deinde nihil impedit, quominus eorum sententiam accipiamus, qui*) verba illa: ἐγενόμην ἐν πνεύματι ἐν κυριακῇ ἡμέρᾳ, de die redeuntis paschatis intelligunt. Ut enim ab Eichhornio**) observatum et ab Heinrichsio est repetitum: *illo die Messiam, qui et resurrectione sua eodem ad vivos redierat, tum quoque rediturum esse, quando regnum suum instaurandum erat, constans fuit opinio. Vix ergo*, ita enim pergit Heinrichsius, *convenientiorem diem excogitare poterat ingenium poetae, qui redeuntis Messiae imaginem describere susceperat.* Quae omnia si nonnullis tam parvi videntur esse momenti, ut a vulgari hujus loci explicatione recedere non velint, eosdem, ne ex hoc loco idem quod Binghamius concludant, admonemus provocantes ad multorum sententiam***), qui Apocalypseos librum a Johanne apostolo scriptum negant affirmantque, illum ab incerto quodam profectum esse auctore, qui exeunte seculo primo floruerit. Hoc enim tempore multos Christianos diem hebdomadis primum τὴν κυριακὴν ἡμέραν nominasse eumque sacrum habuisse est verosimillimum. Quae quum ita sint, forsitan hic quoque locus, servata vulgari ejus explicatione, contra eos dicit, qui Johanni apostolo Apocalypseos librum vindicare volunt.

Praeterea provocant multi ad evangelistarum narrationes, (Matth. 28, 1. Marc. 16, 1, 2. Luc. 24, 1. Joh. 20, 1.)†) e quibus apparet, Mariam Magdalenam et Mariam, Jacobi matrem, et Salomen, emtis aromatis, ut Christum unctum irent, primo post sabbatum die orto jam sole ad Jesu sepulcrum venisse. Quas narrationes quomodo illi in suum convertere potuerint usum, equidem non video. Omnes enim ad disquisitionem de diei dominici celebratione prorsus non pertinent. Nam postquam jam advesperaverat (Matth. 26, 57—58. Marc. 15, 42 ss.) sabbato illucescente (Luc. 23, 54.) Josephus Arimathiensis Jesum, linteo involutum, in monumento suo posuit. Mulieres autem illae, sabbato quiescentes (Luc. 23, 55.), primo hebdomadis die sepulcrum Servatoris, corpus ejusdem uncturae, adierunt. Jam quis est, qui non videat, eas legem mosaicam stricte observare voluisse easque hanc ipsam ob causam suo mortui amici corpus unguendi officio primo demum post sabbatum die satisfacere potuisse? Quis igitur concedet, eas hunc diem propterea elegisse, quoniam eum haberent sanctum? Quis credet, eas diem in memoriam Jesu Christi e mortuis suscitati eo jam tempore celebrasse, quo nesciverunt, illum e mortuis resurrexisse?

---

*) Cf. Heinrichs l. l., qui ipse quidem Binghamio adsentitur.

**) Cf. ejusd. Comment. (Gotting. 1791.) ad h. l.

***) Cf. Heinrichs (Apocal. etc.) prolegomena, ubi p. 51—55. viri docti laudantur, qui de hujus libri auctore in contrariam partem disputaverunt. Heinrichsius ipse quidem Johannem apostolum Apocalypseos auctorem esse, multis iisque haud spernendis probare argumentis studuit; attamen non omnia ab adversariis opposita satis feliciter refutasse videtur. Adhuc igitur sub judice lis est.

†) Cf. Augusti l. l. p. 13.

Denique haud magis opportune ad sententiam suam probandam laudant Joh. 20, 26., coll. 19.

Etenim hoc ultimo loco docemur, Jesu discipulos vespera ejusdem diei (τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τῇ μιᾷ σαββάτων) quo ipse resurrexerat, convenisse; quod quidem, singulari discipulorum observata conditione, ex re ipsa factum esse intelliges, ita ut procul dubio mirum tibi videretur, si proderetur, eos non fuisse congregatos.

Videamus igitur, num alter fortasse locus, Joh. 20, 26. plus valeat ad rem, de qua disputamus, discernendam. *Post octo dies,* refert Johannes,' (ex quo primum Jesum redivivum viderant Apostoli, h. e. ἐν μιᾷ τῶν σαββάτων) *iterum erant congregati discipuli, et Thomas cum iis.* Sed inde, quod Johannes dicit: iterum (πάλιν) erant congregati discipuli, non consequitur, eos intra hos octo dies non saepius convenisse; verosimillimum potius est, eos quotidie illo tempore una fuisse, semper exspectantes, fore, ut Jesus iterum eos conveniret. Sequimur enim in hac re exponenda solum Johannem, quocum relationes aliorum Evangelistarum (Luc. 24, 15. 55. Matth. 28, 7. 16 ss.) et Pauli (1. Cor. 15, 5—8.) haud bene congruunt. — Itaque hoc quoque die non eam ob causam congregati erant, quod Jesus eodem e mortuis erat suscitatus, neque ut diem festum agerent. Concedi tamen potest, discipulos forsitan credidisse, Jesum eodem, quo primum ipsos post resurrectionem viserat, die ad ipsos rediturum esse ideoque convenisse.

In universum autem de omnibus locis ex quatuor evangelistis allatis observandum est, nullam iis inesse probandi vim, quoniam ante Spiritum S. Apostolis pentecostes die datum nullus omnino Christianorum coetus ab his congregatus est, qui sacros conventus agere certosque dies celebrare potuisset.

Hi fere sunt loci, ab iis allati, qui ex N. T. probare conati sunt, jam Apostolorum tempore diem dominicum, quippe quod Christus eodem in vitam rediisset, hominibus Christianis sacrum habitum eorumque conventibus frequentatum esse. Probant, uti vidimus, omnes omnino nihil. Multo igitur minus audiendi sunt, qui legem de festa diei dominici observatione ab ipsis Apostolis datam esse, ex his collegerunt testimoniis.

Cap. IV. Posterioris aevi scriptorum de diei dominici celebratione testimonia. Nobis testimonia posterioris aevi scriptorum de diei dominici celebratione explicaturis, ea, in quibus aut nulla aut obscura tantum hujus rei fit mentio, ante recensere placet, quam afferentur, quae Christianos primum hebdomadis diem ut diem festum inde a primi seculi exitu revera egisse probant. Itaque a Plinio faciamus initium. Etenim in notissima hujus viri ad Trajanum Imperatorem epistola *) haec, quae ad nostram rem pertinent, extant verba: *Alii, ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desisse, quiqam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam deo-*

*) Plinii Sec. epp. lib. X. ep. 97.

rumque simulacra venerati sunt; ii et Christo maledixerunt. Adfirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpellati abnegarent; quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium.

Interpretes, quum, quinam status ille dies fuerit, accurate definire velint, in diversas abeunt opiniones. Plerique enim, ut Moshemius *), Binghamius **), Augustius ***) et alii de primo cogitarunt hebdomadis die. His vero repugnat Boehmerus †), qui Plinium de septimo hebdomadis die, de sabbato egisse statuit. Quae ejus sententia hac praesertim nititur ratiocinatione: Christianorum ecclesiis, quae ex Judaeis essent conflatae, sabbati celebrationem fuisse acceptam, ex multis consequitur Pauli apostoli disputationibus. Ecclesiae autem in Ponto et Bithynia conditae, ut ex prima Petri epistola apparet, maximam partem e Judaeis constitutae fuerunt. Ergo quin dies a Plinio, Bithyniae proconsule, Christianis sacer dictus sabbatum fuerit, dubitare non licet. Dubitat tamen de hujus syllogismi veritate Moshemius, qui pleraque ab ipso Plinio de Christianis dicta docere arbitratur, hos, antequam ad Christum accessissent, non Judaeos fuisse, sed deorum cultores. Audiamus enim, inquit, ultima epistolae verba:

Certe satis constat, prope jam desolata templa coepisse celebrari et sacra sollennia diu intermissa repeti passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur; ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus.

Quibus allatis ille in hunc pergit modum ††):

Haeccine extra omnem controversiam ponunt, illam multitudinem Christianorum, quae metum creabat Plinio, ex illis collectam fuisse, qui diis antea sacrificare et templa eorum obire soliti fuerunt? Huc accedit, quod Plinius commemorat, Christianos, quos in jus vocari jusserat et increpaverat, omnes imaginem imperatoris deorumque simulacra veneratos esse. Hoc facinus in Judaeos nullo plane modo cadit. Nulla vocula excidit Plinio, ex qua conjecturam facere liceat, vel aliquos saltem Judaeorum in hoc Chri-

---

*) Institt. hist. christ. majj. (Helmst. 1739.) p. 378—80. De rebus Christianorum ante Const. M. (Helmst. 1753.) p. 147. *„Status ille dies idem ille est, qui nobis sacer dicitur, primus hebdomadis, quo in vitam rediit sanctissimus Servator.*

**) L. l. p. 14.

***) L. l. p. 18. *Status dies, der für die gottesdienstlichen Versammlungen bestimmte Tag, ist wahrscheinlich etwas von der jüdischen Feier Verschiedenes.*

†) De stato die Christianorum; in ejusd XII. dissertt. jur. eccl. etc. Ed. II. (Hal. 1729.) p. 34. *Unde conjicio, etiam in ecclesiis Galatiae postmodum statum diem fuisse sabbatum, quo ad communes preces convenirent, et ita eundem morem in ecclesiis Bithyniae, utpote vicinis, adhuc tempore Trajani observatum fuisse.*

††) Cf. Mosh. institt. hist. christ. majj. p. 379.

stianorum agmine fuisse; contra quae narrat omnia suadent, rem ipsi cum hominibus unice fuisse, qui deorum inanium religionem abjecerant. Sed fuerint, ne nimis illiberaliter pugnare videar, Judaeorum quidam in numerosissimo hoc Christianorum coetu; hoc tamen omnes, qui sine partium studio hanc legent Plinii epistolam, lubentes largientur, maximam ejus partem ex hominibus constitisse deorum superstitione quondam captis. Et hoc quidem plane sufficit ad eorum opinionem probandam, qui statum diem primum esse censent hebdomadis diem, quo ex sepulchro semet ipsum Christus excitavit.

At etsi negari nequit, Christianorum in Bithynia coetus eo, quo Plinius hanc habuit provinciam, tempore maximam partem ex hominibus deorum superstitione quondam captis constitisse, concedendum tamen est Boehmero, Christianos, qui primas in his Asiae regionibus constituerent ecclesias, fuisse aliquando Judaeos. Qui vero cum his, neglecta patrum religione, sese conjunxerunt pagani, eos tamquam novos fidei socios veterum Christianorum voluntati moribusque esse obsecutos sabbatumque egisse, mihi quidem videtur verosimillimum. Quod quum etiam Moshemius senserit, stato die pro: statis diebus positum credit, ita ut a Plinio et primum et septimum hebdomadis diem commemoratum esse statuere possimus. Sed talis, qualem vult ille, singularis numeri abusus nusquam, quantum scio, apud scriptores antiquos recurrit. Quamobrem Plinii verba alio explicentur modo, necesse est. Plinius autem, quum non dicat, Christianos die Saturni aut die solis convenire fuisse solitos — quod haud dubie fecisset, si illi semper aut hoc aut illo die convenissent — consulto, ut equidem censeo, rem in medio reliquit. Etenim Christiani a Romanis vehementer vexati, se ipsi de calamitatibus perferendis consolaturi, non semel tantum aut bis, sed saepius inter hebdomadis spatium videntur sese congregasse congregatique de iteranda concione consultasse. Quod si verum esse accipimus, Plinius aptiora ad eam, quam exprimere voluit, sententiam verba eligere non potuit, quum statum diem eum dicat, quo Christiani rursum convenire statuerant. Itaque neque de sabbati neque de diei dominici celebratione cogitandum est.

Neque in epistolis Ignatii genuinis, quae ipsae tamen a doctissimis quibusdam nostri aevi scriptoribus*) habentur interpolatae, ulla hujus rei fit mentio. Haud dubie enim errant Binghamius**) et qui eum sequuntur, affirmantes, patrem illum apostolicum Magnesianis***) in

*) Cf. Aug. Neander: Allg. Gesch. d. christl. Relig. u. Kirche. B. I. Abth. I. (Hamb. 1825.) p. 301. *Zwar könnte man schon bei dem römischen Clemens c. 40. die alttestamentlichen Verhältnisse auf die christliche Kirche angewandt finden, aber gewiss ist dieser Brief, wie die Briefe des Ignatius, obgleich nicht so stark, durch ein hierarchisches Interesse interpolirt worden.* Handbuch der christl. Kirchengesch. von Joh. E. Christ. Schmidt P. I. (Giess. 1801.) p. 208 ss.

**) L. I. p. 15. *Ignatius manifesto ad observationem diei dominici respicit, quando Magnesianos jubet, non amplius sabbatum Judaeorum colere, sed secundum dominicum diem vivere etc.*

***) Cf. Patrum apostoll. Opp. ex rec. J. B. Cotelerii, ed. II. a Joh. Clerico. (Amstelod. 1724.) V. II. p. 20. ep. ad Magness. cap. 9.

literis, quae ad eosdem datae sunt, diei dominici celebrationem commendare voluisse hisce verbis: *Εἰ οὖν, οἱ ἐν παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντες εἰς καινότητα ἐλπίδος ἦλυθον, μηκέτι σαββατίζοντες, ἀλλὰ κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες, ἐν ᾗ καὶ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν δι᾽ αὐτοῦ, καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ... πῶς ἡμεῖς δυνησόμεθα ζῆσαι χωρὶς αὐτοῦ;*

Scilicet verba *κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες* de diei dominici celebratione explicanda esse putarunt. Sed hanc illorum interpretandi rationem unusquisque, si modo cogitationum respexerit nexum, statim rejiciet. Nam inde a capite octavo Ignatius a falsis doctoribus Magnesianos dehortatur, qui etsi Christiani, tamen *κατὰ νόμον Ἰουδαϊσμοῦ* vivendum esse praecipiant, itaque ipsis repugnent prophetis, quos *κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν* vixisse affirmat. Quodsi autem — sic loco nostro pergit — qui ex Judaeis facti sunt Christiani (*οἱ ἐν παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντες εἰς καινότητα ἐλπίδος ἦλυθον*) vitam suam ad Christi exemplum regunt, (*κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες,*) nec Judaeorum more amplius sabbatum colunt, (*μηκέτι σαββατίζοντες,*) quomodo nos, qui nunquam legi mosaicae obstricti eramus, sine ipso, i. e. ita vivere poterimus, ut ad Christi et exemplum et praecepta vitam nostram non moderemus? Quae si vera est illorum verborum explicatio, neque hic locus iis est adnumerandus, in quibus diei dominici facta est mentio. Veram autem esse eam, his probari potest argumentis. Quae capite octavo *κατὰ νόμον Ἰουδαϊσμοῦ ζῆν* dicuntur, nostro loco verbo *σαββατίζειν* expressa sunt. Itaque hoc verbum vix aliud quidquam significare potest, quam sabbato leges Judaeorum rite observare, v. c. ab omni labore quiescere. Accedit, quod licet dubitare, quin Ignatius a sabbati cultu Christianos voluerit revocare. Namque jam illo tempore inter eos fuisse, religiosam hujus diei celebrationem plane negligentes, probari nequit; plurimis autem, ne omnibus dicam, hunc diem etiamtum habitum esse sacrum, permulta, ut infra demonstrabimus, docent exempla. Simili ratione sibi respondent *κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ζῆν*, cap. 8., et *κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῆν*, cap. 9., et utramque vocem idem significare vel inde apparet, quod capite decimo iterum admonentur Christiani *κατὰ Χριστιανισμὸν ζῆν*, iterumque religio judaica et christiana sibi opponuntur his verbis: *ἄτοπόν ἐστιν Χριστὸν Ἰησοῦν καλεῖν, καὶ ἰουδαΐζειν· ὁ γὰρ Χριστιανισμός οὐκ εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἐπίστευσεν, ἀλλ᾽ Ἰουδαϊσμὸς εἰς Χριστιανισμόν.*

Quod si autem contra hanc meam loci explicationem monere velis, vocem *κυριακὴν ζωὴν ζῆν* apud Ignatium nullo alio loco reperiri, hoc quidem verum esse concedo; repono autem, nec phrasin: *κατὰ τὴν κυριακὴν* (i. e. *ἡμέραν*) *ζῆν* alibi usquam in genuinis Ignatii epistolis esse usurpatam. Obstat quidem huic interpretationi, quod sequentia verba *ἐν ᾗ* (i. e. *ζωῇ*) et *δι᾽ αὐτοῦ* (i. e. *Χριστοῦ*) pleonasmum, qui dicitur, referunt, sed et similia apud Ignatium, quem verbosissimum dixerim, saepius leguntur, et *καί* particula ante *ζωὴ ἡμῶν* quodammodo postulare videtur, ut *ἐν ᾗ* referamus ad *ζωή* vocabulum, quod antecedit.

Jam vero quaerenti, qui factum sit, ut interpretes Ignatium hoc loco de die dominico locutum esse opinarentur, et hanc ipsam ob cau-

sam scripturam vulgatam mutarent*), respondendum est, eos Pseudo-Ignatii auctoritati nimium tribuisse. Ille enim hunc locum explicaturus scribit: *Μηκέτι οὖν σαββατίζωμεν Ἰουδαικῶς καὶ ἀργίαις χαίροντες· ὁ μὴ ἐργαζόμενος γὰρ μὴ ἐσθιέτω· ἐν ἱδρῶτι γὰρ τοῦ προσώπου σου φάγῃ τὸν ἄρτον σου, φασὶ τὰ λόγια· ἀλλ' ἕκαστος ὑμῶν σαββατιζέτω πνευματικῶς, μελέτῃ νόμου χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει, δημιουργίαν θεοῦ θαυμάζων, οὐκ ἕωλα ἐσθίων καὶ χλιαρὰ πίνων καὶ μεμετρημένα βαδίζων καὶ ὀρχήσει καὶ κρότοις νοῦν οὐκ ἔχουσι χαίρων· καὶ μετὰ τὸ σαββατίσαι ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κυριακήν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν ὕπατον πασῶν ἡμερῶν, . . . ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε, καὶ τοῦ θανάτου γέγονε νίκη ἐν Χριστῷ***).

Ex his Pseudo-Ignatii verbis perspicuum est, hunc vocabulum *σαββατίζειν* ita ac nos explicasse. Quod sine dubio factum est, quoniam dies sabbati etiam eo, quo vixit tempore, Christianis sacer haberetur. Sed quum eodem tempore dies dominicus inprimis celebraretur, ille epistolarum Ignatii interpretator, quae revera verbis illis: *κατὰ τὴν κυριακὴν ζωὴν ζῶντες* insit sententia, prorsus non intelligens, de diei dominici celebratione cogitavit***). Interpretes autem, interpolatoris cum Ignatii verbis conferentes, hunc quoque de die dominico egisse statuerunt. Quam sententiam confirmari posse arbitrati†) sunt dicto Clementis Alexandrini, quem occasione data, quaenam verbis illis subjici possit sententia, explicaturum, ita scripsisse affirmant, ut ejusdem verba, quid sibi voluerit Ignatius, praeclare illustrent. Sunt autem haec: *Οὗτος (ὁ γνωστικός) ἐντολὴν τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διαπραξάμενος κυριακὴν ἐκείνην τὴν ἡμέραν ποιεῖ, ὅτ' ἂν ἀποβάλλῃ φαῦλον νόημα καὶ γνωστικὸν προςλάβῃ, τὴν ἐν αὐτῷ τοῦ κυρίου ἀνάστασιν δοξάζων*††).

Sed qui Ignatii epistolam attento animo perlegerit, haud dubie concedet, S. Martyrem, cum Christianos adhortaretur, ut secundum vitam dominicam viverent, sibi non proposuisse, ut illis similia de die dominici observatione praeciperet.

Sed in epistola Barnabae, quae a multis huic Pauli Petrique socio, viro cognomini, adscribitur et profecto ab auctore primi seculi composita est, firmissimum extat hujus rei testimonium. Reperiuntur enim in illa

---

*) Cotelerius (l. l. p. 21. not. 2.) putat, vocem *ζωήν* interpolatam esse et *κυριακήν* positam pro *κυριακὴν ἡμέραν*. J. Usserius in diss: de Ignatii M. epistolis, (in edit. Patr. Apostoll. a Clerico recensitae P. III. p. 223. c. 9.) pro *κατὰ τὴν κυριακὴν ζωὴν ζῶντεις* legere vult: *κατὰ τὴν κυριακὴν ἑορτάζοντες*. Sed vulgatam lectionem retinendam censeo. Nihil enim offensionis habet, nisi ad eam accedis praejudicata opinione, hunc locum de observatione diei dominici praecipere.

**) Cf. Patr. Apost. ed. Clerici, P. II. p. 57.

***) Sic etiam in ep. ad Trall. (cf. ed. Cler. P. II. p. 65.) c. 9. Servatorem, dicit, illuscente dominico die resurrexisse ex mortuis. Quibus haec addit: *Itaque parasceve complectitur passionem, sabbatum sepulturam, dominica resurrectionem.* At in genuina Ignatii epistola tantum legimus, Jesum vere a mortuis resurrexisse. Cf. ep. ad Trall. c. 9. ed. Cler. P. II. p. 23.

†) Cf. Binghamius l. l. p. 15. et Cotelerius ad h. l. P. II. p. 21.

††) Strom. 7, 13. (ed. Potter) P. II. p. 877.

haec verba: *Τὰς νεομηνίας ὑμῶν καὶ τὰ σάββατα ὑμῶν οὐκ ἀνέχομαι. Ὁρᾶτε, πῶς λέγει· οὐ τὰ νῦν σάββατα ἐμοὶ δεκτὰ ἀλλ' ὃ πεποίηκα, ἐν ᾧ καταπαύσας τὰ πάντα, ἀρχὴν ἡμέρας ὀγδόης ποιήσω, ὅ ἐστιν, ἄλλου κόσμου ἀρχήν. Διὸ καὶ ἄγομεν τὴν ἡμέραν τὴν ὀγδόην εἰς εὐφροσύνην, ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν καὶ φανερωθεὶς ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς.* *)

A mente Barnabae aberrarent, qui, his verbis perlectis, ea in hunc finem scripta esse persuasum haberent, ut Christianos revocaret a sabbati cultu et ad diei dominici celebrationem impelleret. Namque ex eis, quae in antecedentibus Barnabas de Judaeorum sabbato dicit, videmus, eum neutiquam hujus diei celebrationem inter Christianos plane abrogare voluisse. Etenim plures veteris testamenti locos, quibus sabbati mentio fit, ex more illius aevi scriptorum allegorice interpretatur. Nempe sex, quibus Deus mundum creaverit, dies sex millia annorum significare, septimum vero, quo Deus requieverit, illud indicare tempus, quo Christus de mortalibus judicium acturus sit, habet persuasissimum **). Deinde aliud veteris testamenti enuntiatum eo affert consilio, ut ostendat, quemque diem, quem Deus sanctificaverit, ab eo solum declarari posse sanctum, qui integer sit omnino et candidus ***). Quibus omnibus docere voluit Christianos, quomodo dies sabbati, neglectis de eo colendo Judaeorum legibus, ceremonialibus maxime, ex voluntate Dei celebrandus sit, donec illud finem huic mundo impositurum illucescat sabbatum. Itaque verba, ex Jesaiae vaticiniis deprompta: *Novilunia vestra et sabbata non fero*, quaeque sequuntur, non de abrogatione sabbati, ut festi diei intelligenda, sed a Barnaba eo tantum consilio adhibita sunt, ut hunc diem comparare possit cum die octavo, i. e. die solis, quem illi idcirco praeferendum esse contendit, quia Deus hoc octavo die alterius mundi facturus sit initium.

Quae praemittenda erant, ne verba sequentia explicantes fallamur, doctissimorum virorum auctoritate seducti †), qui Barnabam dixisse affirmant, Christianos die octavo propter memoriam resurrectionis Jesu Christi laetitiae indulgere. Barnabas autem ait: Propterea, i. e. quod Deus die octavo alterius mundi faciet initium, hunc diem in laetitia agimus ††) et tum demum addit, Christum quoque hoc die in vitam rediisse.

---

*) Cf. Barnabae epist. c. 15. ed. Clerici P. I. p. 47.

**) Cf. l. l. p. 46. *καὶ κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ· τοῦτο λέγει· ὅταν ἐλθὼν ὁ υἱὸς αὐτοῦ καὶ καταργήσει τὸν καιρὸν ἀνομίας* (sic enim pro *αὐτοῦ* critici scribendum esse putant) *καὶ κρινεῖ τοὺς ἀσεβεῖς κτλ.*

***) Verba graeca sunt: *Εἰ οὖν ἣν Θεὸς ἡμέραν ἡγίασεν, νῦν τις δύναται ἁγιάσαι, εἰ μὴ καθαρὸς ὢν τῇ καρδίᾳ ἐν πᾶσι, πεπλανήμεθα.*

†) Cf. not. 74. ad h. l. in ed. Cler. P. I. p. 47.

††) Quid sit diem octavum in laetitia agere, explicavit Hugo Menardus (v. ejusd. adnotationem ad haec verba apud Cler. P. I. p. 48. not 75.): *In laetitia agunt diem octavum seu dominicum Christiani, quia illo die ex antiquo Apostolorum et ecclesiae instituto non jejunabant nec genua flectebant. Sanctus Ignatius* (sed, quod probe observandum, in epistola suppositicia) *in epist. ad Philippenses.* c. 13. (ed. Cler. P. II. p. 119.) *εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου τοῦ πάσχα, οὗτος χριστοκτόνος ἐστίν.*

Attamen hoc non idem est, ac si scripsisset: Propterea, et quod Christus octavo die a mortuis resurrexit, in laetitia eum agimus. Tunc enim haud porro dubii essemus, quin jam tempore apostolico dies solis a Christianis in memoriam redivivi Servatoris celebratus sit. Barnabas autem unam tantum causam affert, qua permoti die octavo indulgeant laetitiae Christiani, eam scilicet, quod hoc die alterius mundi initium fore credant. Pervulgata enim erat, quod v. c. Pauli ad Thessal. epistolae docent, inter veteres Christianos opinio, prope instare tempus, quo Messias, de hominibus et bonis et perniciosis judicium acturus, e coelo rediturus sit in terram quoque simul cum hujus mundi interitu alter capturus sit initium. Haec autem omnia die octavo factum iri, constans erat multorum posterioris quoque aetatis patrum ecclesiasticorum sententia*). Itaque Barnabas primus quidem est, qui perspicue dicit, Christianos diem octavum celebrare, non tamen ob eandem, quam secundi et tertii seculi scriptores afferunt, causam.

Attamen haud omnino negaverim, Christianos jam Barnabae tempore memoriam resurrectionis Christi die hebdomadis primo celebrasse; nam verba: *ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν*, etsi nos, ut hanc sententiam amplectamur, non cogant, admittunt tamen conjecturam, Christianos primi aevi, cum solis diem alia de causa colerent, simul Jesu, a morte hoc die suscitati, fuisse memores. Originem autem, ut manifeste hic locus ostendit, festa octavi diei inter Christianos observatio inde traxit, quod eo alterius mundi initium fore putabant**). Quum autem sub finem primi seculi festa diei octavi observatio apud Christianos usitata esset, jam Apostolorum aevo eam hic illic quibusdam acceptam fuisse verosimillimum est. Fuerunt fortasse inter coetus illius temporis christianos nonnulli, qui hujus diei celebratione se a Judaeis vellent segregare, praesertim ne simul cum illis a Romanis vexarentur. Quorum exemplum alii tum maxime secuti sunt, cum Romani in Judaeos arma ferrent et Hierosolymorum urbem oppugnarent. Fuerunt etiam, qui

---

Auctor quaestionum ad orthodoxos, inter opera S. Justini Martyris, quaest. 115.: *τὸ δὲ ἐν τῇ κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ σύμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως* κτλ. et *paulo post: ἐκ τῶν ἀποστολικῶν δὲ χρόνων ἡ τοιαύτη συνήθεια ἔλαβε τὴν ἀρχὴν, καθώς φησιν ὁ μακάριος Εἰρηναῖος . . . ἐν τῷ περὶ τοῦ πάσχα λόγῳ.* — Potuisset vir doctus ex Constitut. Apost. plures locos adhibere, qui idem dicant, v. c. lib. V. c. 20. (cf. ed. Clerici P. I. p, 331.): *Πᾶν μὲν τὸ σάββατον ἄνευ τοῦ ἑνὸς καὶ πᾶσαν κυριακὴν ἐπιτελοῦντες συνόδους εὐφραίνεσθε, ἔνοχος γὰρ ἁμαρτίας ἔσται ὁ τὴν κυριακὴν νηστεύων, ἡμέραν ἀναστάσεως οὖσαν.* Sed omnia haec testimonia serioris temporis sunt nec multum probant. Quaecunque enim in ecclesia postea instituta sunt, jam ab ipsis Apostolis profecta inducebantur. Puto igitur Barnabae „in laetitia agere" id fuisse, ut Christiani hoc die non jejunarent; dubito autem, quin jam de genu non flectendo cogitaverit, cum ipsi patres ajunt, hunc usum a celebratione dominicae resurrectionis esse repetendum.

*) l. l. p. 47. not. 73.

**) Augustius quidem (l. l. p. 18.) hunc Barnabae locum afferens haec verba habet: *Ferner Ep. Barn. c. 15., wo gesagt wird, dass die Christen den achten Tag, d. h. den auf den Sabbat folgenden, als Tag der Freude, zum Andenken an die Auferstehung und Himmelfahrt Christi feiern.* — Sed *διὸ καί*, particulas, ad antecedentia referendas esse, non videtur respexisse.

cum hujus urbis eversione alterum Christi adventum alteriusque mundi initium instare putantes, ad octavi diei observationem permoverentur. Quamquam igitur Hartmanno, qui contendit, diem solis post excisa Hierosolyma consecrari inceptum esse, assentiri non possum, puto tamen, ex illo inde tempore hunc diem a plurimis et fortasse ab omnibus Christianis solenniter esse observatum. Sed num idem jam Barnabae aetate dominicus dies appellatus sit, negaverim magis quam affirmaverim. Profecto haec appellatio nondum ubique cognita et recepta erat.

Quibus expositis transgredimur ad Justinum Mart., qui in secunda sua ad Antoninum Pium apologia, circa annum **140.** conscripta, duobus locis de die solis loquitur, a Christianis rite celebrato. In altero enim haec extant verba: *Τὴν τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα· ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε· καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.**)

Duae igitur afferuntur ab auctore causae, cur die solis Christiani conventum agant, quarum altera ad mundi creationem pertinet, quam hoc die a Deo inceptam esse dicit. Itaque a Barnaba discessit, qui, uti vidimus, hunc diem a Christianis ideo in laetitia agi tradit, quoniam eo alterius mundi foret initium. Est autem haud difficile intellectu, unde harum sententiarum orta sit diversitas. Seculo enim secundo multi inter Christianos, initium alterius mundi prope instare negantes, exspectarunt cum magna spe regnum illud mille annorum terrenum, quod rediens Christus Hierosolymis stabiliturus indeque per totum terrarum orbem prolaturus sit. Ipsum quoque Justinum haec somnia tam fovisse, ut aliter sentientes veri nominis esse Christianos vix concederet, e dialogo ejus cum Tryphone Judaeo manifestum est**). Quum igitur haud multum eorum scire interesset, quando et quonam die initium alterius mundi futurum sit, negligebant octavum diem ob hanc causam laetum festumque celebrare atque aliam subjiciebant, quam apud Justinum commemoratam legimus. Quo minus enim illo tempore a more diei octavi inter sacros habendi atque conventibus frequentandi plane recederent, altera, quam Justinus affert, obstitit causa. Etenim *die solis*, inquit, *communiter omnes conventum agimus*, *quandoquidem illo ipso die Jesus Christus a mortuis resurrexit.* Justinus igitur primus est inter omnes scriptores ecclesiasticos, qui hanc hujus diei observationis causam, quae a Servatoris resurrectione repetita est, perspicue commemoravit. Quare errant haud dubie, qui contendunt, Christianos jam inde ab illo tempore, quo primum hebdomadis diem prae ceteris celebrare inciperent, hoc in memoriam Jesu fecisse, a mortuis hoc die suscitati.

Sunt quidem multi inter scriptores ecclesiasticos seculi quarti et quinti, qui huic favent sententiae***). Sic Augustinus †): *dies domini-*

---

*) In Opp. (ed. Colon. 1686.) p. 99.

**) Opp. p. 306—7.

***) Cf. Christ. Kortholti Commentarius in Justinum M., Athenagoram, Theophilum Antioch. et Tatianum (Francof. et Lips. 1686.) p. 38.

†) Cf. epist 119. ad Januarium. (ed. Basil. 1529.) P. I. p. 368.

cus, inquit, *Christianis resurrectione Domini declaratus est et ex illo habere coepit festivitatem suam* *); et Maximus Turinensis **): *Dominica*, ait, *nobis ideo venerabilis est atque solennis, quia in ea Salvator, velut sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit*; et Eusebius ***) Ebionaeos dicit dominicum diem εἰς μνήμην τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως perinde atque Christianos celebrasse. At non desunt alii, etsi posterioris temporis, qui cum Justino Mart. diei dominici observationem inde quoque exortam esse dicunt, quod mundus eo creatus sit. Sic apud Gregorium Turonensem ****) haec reperiuntur verba: *Sanctus est hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit ac dominicae resurrectionis testis emicuit ideoque omni fide a Christianis observari debet* †).

Quia autem posteriori tempore inter Christianos magis usitatum erat, primum hebdomadis diem vocare dominicum, quam solis diem ††), facile fieri potuit, ut Augustinus aliique crederent, hanc appellationem inde esse ortam, quod majores hunc diem ob memoriam resurrectionis Domini colendum esse statuerint. Qui tamen velit contendere, Justini Mart. tempore diem solis nondum dominicum esse appellatum, quia Justinus ipse illo tantum nomine usus sit, hunc errare putamus. Nam quod Moshemius †††) de Plinio dicit, eum in epistola ad Trajanum missa verbis, quae propria essent Christianis, uti noluisse, ne imperator sensum verborum falso interpretaretur, hoc etiam in Justinum cadit, cui diligenter cavendum fuit, ne quae scriberet falso intelligerentur ††††). Quod verbi causa facillime fieri potuit, si scripsisset: *Dominico die communiter omnes conventum agimus etc.* Praeterea dominici diei appellationem jam illo tempore usitatam fuisse, testis est Eusebius, qui ex epistola Dionysii, Corinthiorum episcopi, ad Satorem, antistitem Romanorum, haec verba habet: τὴν σήμερον οὖν κυριακὴν ἁγίαν ἡμέραν διηγάγομεν †*). Quid, quod idem Eusebius Irenaeum, episc. Lugdunensem, solo die

*) Similia leguntur apud eundem: de civit. Dei. 22, 30.; tract. 120. in Joh.; ser. 15. de verbis Apostoli, et apud Basilium M. de Spiritu S. ad Amphilochium c. 28. Isidorum etymol. 6, 18.

**) Sermo de pentecoste.

***) Hist. eccles. 3, 27.

****) Hist. Francorum 10, 30.; 1, 23.

†) Easdem quoque rationes, aliis insuper additis, afferunt Auctor sermonis 251. de tempore, Augustino tribui soliti; concilium Paris. sub Ludovico et Lothario c. 50.; epist. synodica, quae sub titulo ordinationis feriarum paschalium P. II. operum Bedae extat; Isidorus de eccles. offic. 1, 24.: Rabanus Maurus de instit. clericorum 2, 42.

††) Cf. Bingham. l. l. p. 16., qui laudat legem Valentiniani junioris, cujus hoc est initium: *Solis die, quem dominicum rite dixere majores etc.* Cod. Theod. lib. XI. tit. VI. de exactionibus, leg. 13.

†††) Comment. de rebus Christian. ante Constant. M. p. 147.

††††) Sic etiam in altero loco, infra laudando, de episcopo vel presbytero bis vocem ὁ προεστώς usurpat, et paulo antea (ed. Colon. p. 98.) dicit: οἱ Ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια κτλ.; cf. quoque p. 98.

†*) Hist. eccl. 4, 23.

dominico resurrectionis Domini mysterium celebrari debere praecepisse*) et Melitonem, episc. Sardicensem, qui Marco Aureliano regnante vixit, librum de die dominico (λόγον περὶ κυριακῆς) scripsisse narrat**).

Tertullianus utramque vocem de hoc die usurpat, plerumque tamen, si solis scribit Christianis, diei dominici appellationem adhibet, v. c.: *Die dominico jejunium nefas ducimus****) et: *exceptis scilicet sabbatis et dominicis*****). Quando autem contra gentiles disputat, nomine utens illis maxime cognito diem solis eum vocat, v. c.: *Aeque si diem solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione quam de religione solis*†) et: *Alii plane humanius solem Christianorum Deum aestimant; quod innotuerit ad orientis partem facere nos precationem, vel die solis laetitiam curare*††). Alio loco leguntur haec: *Nam ethnicis semel annuus dies quisque festus est; tibi octavus quisque dies*†††).

Sed haec sufficiant. Satis enim perspicue hi loci docent, veteres Christianos, quantum eorum ad nos pervenit memoria, inde a secundo seculo solis diem conventibus sacris celebrasse eumque appellasse dominicum, quo Domini, a mortuis suscitati, memores essent, ita ut eum sabbato Judaeorum, etsi hujus quoque diei observationem retinuerunt, in permultis regionibus praeferrent.

Pauca tantum de modo ac ratione, qua dies dominicus apud veteres Christianos celebratus et a ceteris diebus distinctus sit, huic capiti adjungere volumus. Nam et in antecedentibus jam saepius de hac re passim locuti sumus et repetere nolumus, quae de ea Binghamius, Baumgartenius, Augustius et alii fuse ac docte commentati sunt.

Quod ergo ad cultum divinum pertinet, cui Christiani primaevi non solum hoc, sed aliis quoque vacabant diebus, Lucas (Act. 2, 42.††††) omnes ejus partes enumeravit his verbis: *ἦσαν δὲ προςκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς* †*).

Quum igitur ad Deum colendum congregarentur Christiani, primum Apostolorum aliquis et, ubi nullus aderat, episcopus vel presbyter, sermonem recitabat populusque audiebat. Tum sequebatur communio †**).

---

*) *Παρίσταται (ὁ Εἰρηναῖος) μὲν τὸ δεῖν ἐν μονῇ τῇς κυριακῆς ἡμέρᾳ το τῆς τοῦ Κυρίου ἀναστάσεως ἐπιτελεῖσθαι μυστήριον.* Hist. eccl. 5, 24.

**) Hist. eccles 4, 26.

***) De corona militis c. 3.

****) De jejunio c. 15.

†) Apolog. adv. gentt. c. 16.

††) Ad nationn. l. 13.

†††) De idololat. c. 14.

††††) In hoc loco explicando secuti sumus Moshemium, in Comment. de rebus Christ. ante Constant. M. p. 113—116.

†*) Haec quidem sigillatim de coetu Christianorum Hierosolymitano dicta sunt, sed non est, quod dubitemus, quin ceterae quoque Christianorum familiae hoc matris suae exemplum imitatae sint.

†**) Voce *κοινώνια* in libris sacris liberalitatem in pauperes significari, notum est. Rom. 15, 26. 2. Cor. 8, 4—9. Hebr. 13, 26.

Tristissima enim, qua plures veterum Christianorum, praesertim Hierosolymis versabantur, conditio necessario postulabat, ut haec erga pauperes munificentia inter actus conventuum religiosorum referretur. Quum igitur, qui aderant, Christiani munera seu oblationes, ex quibus pauperes alerentur, promserant et Deo consecraverant, consequebatur deinceps panis fractio. Haec quidem formula solenniter usurpatur ad significandam s. coenam a Servatore institutam, in qua panis frangi et distribui solebat, sed simul quoque indicat illud amoris epulum, quod cum coena sacra ab ipso rerum christianarum primordio saepissime conjungebatur. Hoc enim constat ex alio loco Act. 2, 46. coll. 20, 11. 1. Cor. 11, 20 ss.*) Claudebant denique Christianorum conventus preces, quas, qui conventui praeerat, recitabat totusque imitabatur coetus.

Quae Plinius de conventibus Christianorum, quos stato die agebant, narrat, etsi minus accurate dicta videntur, idem fere de cultu divino diebus festis instituto exhibent. Prae metu, uti puto, Romanorum convenire illo tempore ante lucem soliti erant et quidem hoc priori in conventu ad sermonem audiendum, communes preces fundendas et carmen Christo dicendum; quum autem rursum, forsitan vespertino tempore, in unum congregati essent, sacram coenam celebrabant, cum amoris epulo conjunctam. Cur enim non ante lucem epulati sint, per se liquet.

Justini Mart. aevo Christiani a Judaeis receperant morem, in sacris suis conventibus locum aliquem e veteris testamenti libris recitandi, aut e commentariis Apostolorum, quibus apud illum scriptorem narrationes de Jesu vita et actis intelligendas esse constat. Reliqua omnia, mutato tamen paulisper ordine, cum iis conveniunt, quae apud Lucam jam observata sunt, si hoc unum exceperis, quod nulla agaparum mentio fit. Haec enim amoris epula jam illo tempore rarius videntur instituta et a religiosis conventibus fuisse separata. Verba Justini haec sunt: . . . τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώςκεται μέχρις ἐγχωρεῖ· εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθησίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς πέμπομεν· καὶ, ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς ἄρτος προςφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ, καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαρισθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται**).

Irenaei praeceptum antea commemoratum, tantum die dominico coe-

---

*) Haud me quidem fugit, viros doctos inter se contendere de eo, num coenae s. esus illud amoris epulum praecesserit, an illud secutus sit. Primum loci, qui apud Lucam extant, probare videntur; sed valebat sine dubio uti in multis aliis rebus, sic in hac quoque per diversas ecclesias diversus usus. Cf. Schroeckh Chr. Kirchengesch. tom. 3. p. 339.

**) Apolog. II. (ed. Colon.) p. 98.

nam sacram esse celebrandam, tam singulare et a communi vetustissimae ecclesiae usu recedens aestimamus, ut dubitemus, quin Irenaei tempore multi obsequium ei dederint Christiani. Ex verbis tamen Augustini, capite secundo (cf. p. 72.) a nobis allatis, videmus, sua etiam aetate per nonnullas regiones usum sacrae coenae dominico tantum die celebrandae invaluisse.

Ceterum quod ad observationem diei dominici pertinent, illud non praetereundum est, quod, uti ex locis supra allatis vidimus, Christiani hoc die in concionibus sacris genua non flectebant nec jejunabant, sed laetitiae indulgebant. At jejunium sabbati quoque die intermittebant plurimi*).

Quod autem diem dominicum in laetitia egisse veteres Christiani dicuntur, hoc non ita intelligendum est, ac si morem Judaeorum in colendo sabbato sint imitati et in otio ab omni cessantes labore eum degerint. Nullum enim reperimus apud scriptores priorum seculorum ecclesiasticos locum, quo de hujuscemodi diei dominici cultu edoceamur. Et jam doctrina de libertate Christianorum in omnibus rebus ad externum Dei cultum pertinentibus, et de abolita Judaeorum lege ceremoniali, quam ab ipsis Apostolis acceptam contra Judaeos nunquam non defendebant, Christianos, quo minus judaico more diem agerent dominicum, impedivit. Alioquin enim hac libertate non usi essent et a Judaeis eo tantum distinguendi fuissent, quod dominico die observabant leges vel easdem vel similes, quas illi sabbatum colentes. Non intermiserunt igitur veteres Christiani quotidianas suas die dominico occupationes, sed, tempore conventibus destinato religiosis excepto, reliquam diei partem perinde atque aliis hebdomadis diebus vacabant laboribus et si quando iis se hoc die relaxabant, hoc tamen otium ad celebrationem diei dominici pertinere aut eum inde augeri posse negabant. Haec enim omnium Apostolorum communis de diebus festis sententia fuit, et Christianos ante quam Constantinus M. leges suas de observatione diei solis tulit, ab ea ullo modo discessisse, nusquam, quantum scio, relatum extat**).

Caput V. Quaeritur, an dies sabbati in diem solis translatus sit? Quoniam eorum sententia, qui sabbati celebrationem inde a primordiis rerum christianarum in diem solis translatum esse censent***), jam capito primo a nobis, data occasione, commemorata est, quid de ea re sentiendum sit, paucis exponere, a consilii nostri ratione non alienum videtur esse. Quominus autem illis assentiamur, vel ea impediunt, quae in antecedentibus de die dominico disputata sunt. Nulla scilicet inveniri potest causa, cur Apostoli, quos neque ceremonias certas et immutabiles tradere nec dies cultui divino dicatos praescribere, sed omnia haec ad ipsius Christi exemplum posterorum liber-

*) In tota ecclesia orientali adhuc sabbato non jejunatur, in occidente vero plurimae ecclesiae, exemplum romanae sequentes, inde a seculo tertio exeunte vel quarto ineunte sabbato quoque jejunabant.

**) Quae de his rebus in canonibus et constitutionibus Apostolorum traduntur, manifesto serioris sunt aetatis.

***) Cf. J. H. Boehmerus l. l. dissert. I, §. 16. p. 25 ss. et §. 7—11 ss.

tati relinquere voluisse constat, cultum celebrationemque sabbati in diem solis transtulerint. Neque ex omnibus N. T. libris ullum afferri potest hujus rei testimonium; quin potius multis e locis contrarium videtur apparere. Etenim e quibusdam, quae in Actis Apostolorum extant, narrationibus elucet, fideles ex Judaeis una cum gentilibus, qui Christo nomen dederant, consueto more sabbatum celebrasse eosque hanc ipsam ob causam ab Apostolis haud esse vituperatos. Act. 15, 19—21. Paulus ipse concionibus Judaeorum hoc die habitis interfuit saepenumero. Act. 12, 14 ss. 44.; 16, 13.; 17, 2,; 18, 4. Quo accedit, quod Judaei fideles legum et rituum paternorum tam tenaces fuerunt observatores (Act. 21, 21.), ut Apostoli illos ab ea sabbati celebratione, quam ipse Servator exemplo suo abrogaverat, avocare frustra laborarent. Gal. 4, 11. Nonne igitur verosimillimum est, eosdem multo minus sabbatum in solis diem transferre conatos esse? Quod si in ecclesiis, quae totae e gentilibus conflatae fuerint, ab ipsis tentatum esse contendere velis, rursum incidis in errorem, quum tales ecclesiae aevo apostolico reperiantur nullae. Sacra igitur scriptura, quum ne de dominici quidem diei celebratione, ut capite tertio probatum est, certi aliquid exhibeat, multo minus sententiam de sabbato in solis diem translato probat; quin potius ab antiquis Christianis ipsisque Apostolis sabbatum pro festo die habitum conventibusque frequentatum esse perspicue docet. Neque tamen negamus, complures illo jam tempore fuisse inter Christianos, qui hujus diei observationem non amplius necessitatis esse, sed libertatis crederent*).

Atque haec etiam posterioris aevi Christianorum, qui a Judaeis, quod sabbatum non Judaeorum more agerent, gravissime reprehendebantur, constans fuit opinio. Etenim si sabbati celebrationem prorsus neglexissent, illorum objectionibus nihil aliud opposuissent, quam se sabbati loco solis diem agere. Quod tamen, ut equidem scio, nunquam ab iis dictum est. Sed ubi cum illis de hac re altercantur, semper ad Christianorum libertatem in ritibus festisque observandis provocare solent. Quod e patrum scriptis seculo II. et III. de his rebus disputantium probari potest, inter quos primum tenet locum Justinus. In ejusdem enim dialogo cum Tryphone, in quo auctor varias diversasque Judaeorum objectiones multis refutare conatur argumentis, etiam haec, quae ad nostram rem pertinent, extant verba: *Μὴ ἀλλό τι ἔστιν, ὃ ἐπιμέμφεσθε ἡμᾶς, ἢ τοῦτο, ὅτι οὐ κατὰ τὸν νόμον βιοῦμεν, οὐδὲ ὁμοίως*

*) Liceat hic Caveum laudare, qui in Prim. christ. 1, 7. p. 174. (ed. germ. Lips. 1723. p. 142—43.) *Judaei*, inquit, *cum generatim primi essent, qui ad fidem Christianam convertebantur, singularem adhuc reverentiam retinebant adversus institutiones Mosaicas, maxime adversus sabbatum, utpote ab ipso Deo in memoriam cessationis ab opere creationis praescriptum, a Mose, magno ipsorum magistro stabilitum et a majoribus eorum per tot secula tanquam solennem publici cultus Dei diem celebratum; adeoque ipsum omnino antiquari et abrogari aegre laturi erant. Quam ob causam prudentiae horum temporum videbatur expedire (sicut in aliis ritibus judaicis, ita et in hoc) ad indolem hujus populi sese accommodare sabbatumque ut diem religiosorum officiorum, publicarum videlicet precum, lectionis scripturarum, praedicationis verbi divini, celebrationis sacramentorum et similium functionum observare.*

τοῖς προγόνοις ὑμῶν περιτεμνόμεθα τὴν σάρκα, οὐδὲ ὡς ὑμεῖς σαββατίζομεν*); — Οὐδὲ διαλλάττετε ἀπὸ τῶν ἐθνῶν τὸν ὑμέτερον βίον, respondet Trypho**), ἐν τῷ μήτε τὰς ἑορτὰς, μήτε τὰ σάββατα τηρεῖν, μήτε τὴν περιτομὴν ἔχειν κτλ. Quae ut refutet Justinus, legem mosaicam a Christo abrogatam esse ostendit his verbis: Αἰώνιός τε ἡμῖν νόμος καὶ τελευταῖος, ὁ Χριστὸς, ἐδόθη, καὶ ἡ διαθήκη πιστή, μεθ' ἣν οὐ νόμος, οὐ πρόσταγμα, οὐκ ἐντολή***). Et paulo post pergit in hunc modum: σαββατίζειν ὑμᾶς ὁ καινὸς νόμος διαπαντὸς ἐθέλει, καὶ ὑμεῖς μίαν ἀργοῦντες ἡμέραν, εὐσεβεῖν δοκεῖτε, μὴ νοοῦντες διατί ὑμῖν προσετάγη****)· Quae postquam in sequentibus paulo accuratius explicata sunt, sriptor Christianos ad observandas sabbati ferias non obstrictos esse ostendit, in hunc modum: Ἡμεῖς γὰρ καὶ ταύτην ἂν τὴν περιτομὴν τὴν κατὰ σάρκα, καὶ τὰ σάββατα καὶ τὰς ἑορτὰς πάσας ἁπλῶς ἐφυλάσσομεν, εἰ μὴ ἔγνωμεν δι' ἣν αἰτίαν καὶ ὑμῖν προσετάγη, τουτέστι διὰ τὰς ἀνομίας ὑμῶν καὶ τὴν σκληροκαρδίαν†). Deinde contestatur, sabbatum celebrari quidem posse, sed, ut celebretur, non necesse esse††). Ita enim pergit: οἱ†††) μήτε περιτομὴν τὴν κατὰ σάρκα ἔχοντες, μήτε σάββατα ἐφύλαξαν, μήτε δὲ τὰ ἄλλα, Μωσέως ἐντειλαμένου ταῦτα ποιεῖν. — Καὶ γὰρ μὴ σαββατίσαντες οἱ προωνομασμένοι πάντες δίκαιοι, τῷ Θεῷ εὐηρέστησαν, καὶ μετ' αὐτοὺς Ἀβραὰμ καὶ οἱ τούτου υἱοὶ ἅπαντες μεχρὶ Μωσέως††††).

Eandem de Judaeorum sabbato sententiam proponit Irenaeus. Postquam enim ex Ezech. 20, 10. haud opportune Judaeis sabbatum in signum datum esse probavit, hoc ipsum Abrahami exemplo his illustrat verbis: „Et quia non per haec justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine circumcisione et sine observatione sabbatorum credidit Deo et reputatum est illi ad justitiam et amicus Dei vocatus est.“ †*).

Cum Irenaeo consentit Tertullianus, qui singularem de his rebus contra Judaeos conscripsit librum, ex quo, quae huc spectant, dicta gravissima tantum attulisse sufficiet. „Qui contendit,“ inquit, „et sabbatum adhuc observandum, quasi salutis medelam, et circumcisionem octavi diei, propter mortis communicationem: doceat, in praeteritum justos sabbatizasse aut circumcidisse et sic amicos Dei effectos.“ †**). Quam suam sententiam paulo post explicat in hunc modum: „Sequitur itaque, ut quatenus circumcisionis carnalis et legis veteris abolitio expuncta

*) Ed. Col. p. 227.
**) Ibid.
***) Ibid. p. 228.
****) Ibid. p. 229.
†) Ibid. p. 235.
††) Ibid. p. 236. πῶς οὐχὶ καὶ τὰ μηδὲ βλάπτοντα ἡμᾶς περιτομὴν δὲ σαρκικὴν λέγω καὶ σάββατα καὶ τὰς ἑορτὰς ἐφυλάσσομεν; et: οὐ γὰρ πᾶσιν ἀναγκαία αὕτη ἡ περιτομή κτλ.
†††) Adamus sc., Abel, Enochus et alii, qui modo nominati erant.
††††) Ibid. p. 240. 236.
†*) Adv. haer. 4, 30. (ed Grabe, Oxon, 1707.) p. 319.
†**) Adv. Judaeos. c. 2.

suis temporibus demonstratur, ita sabbati quoque observatio temporalis fuisse demonstretur. Dicunt enim Judaei, quod a primordio sanctificaverit Deus diem septimum, requiescendo in eo ab omnibus operibus suis, quae fecit, et inde etiam Mosem dixisse ad populum: Mementote diem sabbatorum, sanctificare eum; omne opus servile non facietis in eo praeterquam quod ad animam pertinet. Unde nos intelligimus magis, sabbatizare nos ab omni opere servili semper debere et non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus. Ac per hoc quaerendum nobis, quod sabbatum nos Deus vellet custodire? Nam sabbatum aeternum et sabbatum temporale scripturae designant. Dicit enim Jesaias propheta: Sabbata vestra odit anima mea; et alio loco dicit: Sabbata mea profanastis. Unde dignoscimus, sabbatum temporale esse humanum et sabbatum aeternum censeri divinum, de quo per Jesaiam praedicat: Et erit, inquit, mensis ex mense et dies de die et sabbatum de sabbato et veniet omnis caro adorare in Hierusalem, dicit Dominus. Quod intelligimus adimpletum temporibus Christi, quando omnis caro, i. e., omnis gens adorare in Hierusalem venit, Deum patrem, per Jesum Christum, filium ejus, sicut per prophetam praedictum est: Ecce proselyti per me ad te ibunt. Sic igitur ante hoc sabbatum temporale erat et sabbatum aeternum, praeostensum et praedictum, quomodo et ante circumcisionem carnalem fuit et spiritualis circumcisio praeostensa. Denique doceant, Adam sabbatizasse, aut Abel, hostiam Deo sanctam offerentem, aut Enoch translatum sabbati cultorem fuisse, aut Noe, arcae fabricatorem propter diluvium immensum, sabbatum observasse, aut Abraham in observatione sabbati Isaac filium suum obtulisse, aut Melchisedech in suo sacerdotio legem sabbati accepisse. Sed dicturi sunt Judaei: ex quo hoc praeceptum datum est per Mosem, exinde observandum fuisse. Manifestum est itaque, non in aeternum nec spirituale, sed temporale fuisse praeceptum, quod quandoque cessaret." Deinde sabbati legem ab ipsis Judaeis interdum neglectam esse ostendit; cui demonstrationi addit hujusmodi conclusionem: „Unde manifestum, ad tempus et praesentis causae necessitatem hujusmodi praecepta convaluisse, ut non ad perpetui temporis observationem hujusmodi legem eis Deus ante dedisset *)."

Scriptores igitur ecclesiastici, qui aevum apostolicum proxime attingunt, de sabbati in solis diem translatione nihil tradunt. Etenim, uti vidimus, ea tantum, quae ab Apostolis de his rebus praecepta fuerunt, repetunt et contendunt, sabbatum, cujus perpetua celebratio mortalibus a Deo non mandata sit, haud amplius Judaeorum more agendum esse. Neque tamen inde consequitur, Christianos sec. II. et III. hujus diei celebrationem prorsus neglexisse eosque hoc die ad preces fundendas et panem frangendum non convenisse. Uti enim Apostolorum aevo, ita posteriore quoque tempore hic dies sacer a plurimis habebatur Christianis. Quod etsi a scriptoribus sec. II. ut equidem scio, aperte non commemoratum sit, tamen e Barnabae et Ignatii dictis supra allatis multos Christianorum hujus diei cultum non solum retinuisse, sed singulos

*) L. l. c. 4.

etiam (quod de Ebionaeis certo constat) a judaica ejus observatione nondum decessisse, solis luce clarius apparet. Accedit, quod scriptores sec. III. et IV. sabbatum apud veteres Christianos iisdem fere, quibus dies dominicus, religiosis solennitatibus celebratum esse multis affirmant locis, quorum paucos tantum afferre liceat. Tertullianus v. c.*) Psychicos, i. e. orthodoxos, Romae praesertim degentes, die sabbati nullum jejunium observare testatur. Socrates autem de Christianis Constantinopolitanis haec dicit: *ἡνίκα οὖν ἑκάστης ἑβδομάδος ἑορταὶ κατελάμβανον, φημὶ δὲ τό τε σάββατον καὶ ἡ κυριακὴ, ἐν αἷς αἱ συνάξεις κατὰ τὰς ἐκκλησίας εἰώθασι γίνεσθαι***). Et si idem dicit: *τῶν γὰρ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐκκλησιῶν ἐν ἡμέρᾳ σαββάτων κατὰ πᾶσαν ἑβδομάδος περίοδον ἐπιτελουσῶν τὰ μυστήρια, οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ ἐν Ῥώμῃ, ἔκ τινος ἀρχαίας παραδόσεως τοῦτο ποιεῖν παρῃτήσαντο****): inde non sequitur, omnem sabbati cultum a temporibus Apostolorum Romae et Alexandriae esse omissum. Namque Tertulliani locum de Christianis Romanis supra allatum ipse Socrates his confirmat verbis: *Οἱ μὲν ἐν Ῥώμῃ τρεῖς πρὸ τοῦ πάσχα ἑβδομάδας, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς, συνημμένας νηστεύουσιν*****). Quod autem sabbato non jejunabant, ostendit, hunc diem iis sacrum fuisse†). Idem de ecclesia Alexandrina Athanasius celeberrimus ejus testatur episcopus, rationem, cur sabbato quoque conventus agerent Christiani, hanc suppeditans: „non quod judaizare vellent, sed Jesum Christum, dominum sabbati, adorarent††)."

Haec autem plurimis priorum seculorum Christianis communis sabbati celebratio, etsi alia aliis in regionibus et diei dominici celebrationi hic consimilis, illic vario modo ab ea diversa, satis tamen, uti puto, dilucide ostendit, non esse audiendos, qui contra tot scriptorum ecclesiasticorum testimonia demonstrare velint, sabbatum statim ab initio rerum christianarum in diem dominicum esse translatum. Attamen fieri potuisse lubenter concedimus, etsi certum hujus rei testimonium extat nullum, nonnullas Christianorum familias primo seculo exeunte eo consilio ab omni sabbati cultu recessisse, ut a Judaeis facillime discerni possent, quum Romani eos illo tempore summopere persequerentur†††).

*) Adv. Psych. c. 14 et 15.

**) Hist. eccl. 6, 8. (ed. Mogunt. 1677.) p. 312.

***) Ibid. 5, 22. p. 286.

****) Ibid.

†) Gabr. Albaspinaeus de vett. ritt. eccless. observatt. (Paris. 1623.) p. 93: *Ceterum cum apud Latinos in sabbatis non jejunaretur, probabile admodum est, ea etiam festa solenniaque fuisse, cum jejunia et festa simul esse non possent: facileque adducor, ut credam, primis seculis aeque atque Orientales Latinos in sabbatis communicasse.*

††) Homil. de clementia, ab. init.

†††) De sabbati observatione in veteri ecclesia qui plura legere vult, cf. Binghami antiqq. eccl. Vol. IX. 20, 3. p. 51—65. Religiosum sabbati cultum apud vet. Christianos usitatum fuisse, intelligi quoque potest ex Constitutionibus Apostolicis, Clementi Romano falso adscriptis. Cf. Patr. Apostt. (ed. Cler.) Constitt. Apostt. 2, 59. P. I. p. 270. — 5, 15. p. 322. 20. p. 331., 33. p. 372. 36. p. 378. 80. — 8, 33. p. 419. Cf. quoque Pseudo-Ign. ad Magn. 9. (ed. Cler.) P. III. p. 57.

IV.

Joh. Benj. Albert de celebratione sabbati et diei dominici inter veteres et recentiores*).

Significatio vocis sabbati et definitio celebrationis ejus ex mandato divino. Vox sabbati descendit, ut satis notum, ab Hebraea voce שָׁבַת, quae significationem habet quiescendi. Haec vero vox in sacris literis vario accipitur sensu, usurpatur enim passim de die septimo hebdomadis, (Ex. 16, 26.; 20, 10.; 35, 2.; Deut. 5, 14.) partim de aliis diebus festis, (Lev. 23, 32.) partim de integris hebdomadibus, (Lev. 32, 16. Luc. 18, 12.) ita, ut *μία* (sc. *ἡμέρα*) *τῶν σαββάτων*, (Matth. 28, 1.) nullus sit alius dies quam hebdomadis primus. Nos hoc loco vocem sabbati sumimus in significatu priore eoque in codice s. frequentissimo, quo sabbatum est dies septimus hebdomadis, quieti cultuique divino consecratus. Ex quo sequitur, celebrationem sabbati esse usum huius diei ad quietem cultumque divinum. Hanc celebrationem mandatum divinum Gen. 2, 2 — 3. ita expressit: *Deus opere creationis absoluto die septimo quievit eumque prosperatum inauguravit, quia illo ab omni opere confecto quieverat.* Quibus verbis primo Deus quievisse, i. e. ab omni opere creationis desiisse nihilque novi creasse amplius dicitur. Sic enim שָׁבַת de Deo est explicandum, qui non defatigatur propter immutabilitatem. Porro hic dies a Deo consecratur et a diebus reliquis, quibus Adamo hortus erat colendus (Gen. 2, 15.) ad actiones eminentiores separatur, quae vis est verbi קִדֵּשׁ, nempe ad summam Dei sapientiam, potentiam et benignitatem ex opere creationis agnoscendam laudibusque ornandam. Tandem ratio huius celebrationis sabbati additur, quae est absolutio hujus universi. —.

De celebratione sabbati inter patriarchas et Israelitas ante captivitatem Babylonicam. Hanc quidem legem de celebrando sabbato in statu integritatis latam et per oralem traditionem propagatam, etiam post lapsum, praesertim a patriarchis, summo studio fuisse observatam, quamvis Scriptura de eo taceat, vix est dubitandum, Adamum enim, transgressionem praecepti de non comedendo fructusque eius miserrimos adhuc recenti memoria tenens, vix credi potest majori licentia hoc solenne mandatum divinum violasse. Et quamvis proles Cainitica a Deo deficeret incideretque in atheismum, Sethus tamen cum sua posteritate, ad quam Noachus pertinebat, Deo fidem praestabat praeceptisque eius gerebat morem. Quam ob causam ille celebrationem sabbati sedulo observasse merito est censendus, quod etiam de patriarchis

*) Prod. Vitebergae 1772. 4.

post universam terrae inundationem viventibus, inprimis de Abrahamo, maxima veritatis specie sumere licet. Num posteris Jacobi, in Aegypto post obitum Josephi viventibus gravissimisque laboribus pressis, celebratio sabbati fuerit permissa, incertum esse videtur. Eo vero certius est, Deum Israelitis ex Aegypto migrantibus hanc legem denuo in memoriam revocasse. Panem enim de coelo iis promittens, mandatum statim addebat, ut non solum die sexto sibi duas colligerent partes, ut haberent, unde viverent die septimo, illum enim esse sabbatum, quo nihil alimenti inventuri essent; sed etiam eodem die cibum pararent, quo indigerent sequenti neque domo sabbato durante exirent (Ex. 17, 5. 22 ss.). In monte Sinaitico, cum Deus decalogum promulgaret, praeceptum tertio loco ponens simul sancivit, ut non solum homines ab omni labore hoc die abstinerent, sed etiam animalibus vacatio concederetur (Ex. 20, 8 ss. Deut. 5, 12 ss.). Hac solenni promulgatione legis sabbaticae facta, Deus saepissime Israelitas per Mosem sub comminatione poenae supplicii (Ex. 31, 14.; 35, 2., quo etiam quidam legis transgressor afficiebatur Num. 15. 32 ss.) admonendos curavit, ut rite celebrarent sabbatum (Ex. 23, 12.; 31, 13.) ab arando et metendo abstinerent, (Ex. 34, 21.) neque ignem in tabernaculis accenderent suis (Ex. 35, 3.). Quod Israelitis etiam posteris temporibus a prophetis partim promissionibus (Jes. 58, 13.; Jer. 17, 21—22.) partim minis (Jes. 56, 2, praesertim ignis a Deo inter eos accendendi Jer. 17, 27.) saepius fuit inculcatum. Hae crebrae repetitiones de sabbato observando erant eo magis necessariae, quo propensior semper erat populus judaicus ad aberrationem a mandatis divinis, quam inclinationem pravam etiam profanatione sabbati, tum in deserto (Ez. 20, 13, 16, 21, 24.) tum in Palaestina, (Ez. 22, 8, 26.; 23, 38.) satis comprobarunt. Concedebantur tamen hoc die opera caritatis atque extremae necessitatis, sicut Servator ipse, alias sponte legi ceremoniali sese subjiciens, obtrectantibus quidem Pharisaeis, (Luc. 13, 14.; Joh. 19, 16.) sanationibus aegrotorum sabbato peractis id luculenter ostendit (Luc. 13. 10 ss.; 14, 1 ss.). Quod etiam Judaeis ipsis non fuit ignotum. Non enim solum bestiis, quae in foveam aquae inciderant, extrahendo opem ferre (Matth. 12, 2., Luc. 14, 5.) sed etiam jumenta praesepi solvere et aquatum ducere (Luc. 13, 15.) sabbato concessum esse existimabant. Excepta etiam erant opera ceremonialia circa cultum divinum. Sic sacerdotes in templo die septimo sacrificia mactantes, onera ferentes aliaque opera ut reliquis diebus perficientes, non peccabant (Matth. 12, 5.). Nec circumcisio peragenda sabbato differebatur, sed infantes hoc die circumcidebantur, Joh. 7, 22., quia dies octava ad hanc actionem a Deo erat consecrata eamque proferre non licebat. —

Celebratio sabbati post captivitatem Babylonicam. In exilio Babylonito, in quod Judaei, inter alia scelera, etiam propter profanationem sabbati ejiciebantur, (Ez. 22, 15—16. coll. 8.) sabbatum siluit (Thren. 1, 7.) sicut omnis Dei cultus publice peragendus. Eo vero finito ipsi in Palaestinam reversi sabbatum quidem denuo sanctum habere exordiebantur, nihilo minus tamen eodem die torcular calcare,

poma et ficus asinis impositas adducere atque onera per portas ferre (Neh. 13, 15.) non intermittebant, quod flagitium Nehemias, justissima ira incensus, in principibus Judaeorum, tam profanos labores hoc sancto die concedentibus, summa gravitate reprehendit (Neh. 13. 17.). Quemadmodum vero illi in celebratione sabbati deficiendo peccabant, sic alii, praesertim tempore Antiochi Epiphanis, sub cujus tyrannide etiam cultus Dei publicus ac sabbata aliquamdiu in Palaestina cessarunt (1. Macc. 1, 48.; 2. Macc. 6, 6.), circa hanc legem, eandem nimis extendendo, excedebant, siquidem ad insaniam ejus evitandam in deserta loca atque cavernas confugientes hostiliterque petiti vitam deponere malebant, quam contra impetum adversariorum per sabbati spatium se armis defendere. Prudentior tamen piorum Judaeorum pars, duce sacerdote Mathathia, ab hac supertitione immunis, hostem quidem tempore sabbati aggredi nefas esse, sese vero contra ejus saevitiam hoc die tueri, a Deo nunquam fuisse prohibitum, sentiebat (1. Macc. 2, 41.). Nimis quoque religiosi in celebrando sabbato videntur illi, qui illud vel prius ordiebantur vel finiebant serius, ut a reliquis Judaeis fieri solebat. Nec minus et illi a recto declinasse sunt censendi, qui sabbato bis mille passus urbe exire, sibi licitum esse, ex loco Jos. 3, 4. male intellecto opinabantur, quod spatium iter sabbaticum vocabant (Act. 1, 12.). Praeparatio vero ad diem sabbaticum multiplex erat varioque modo absolvebatur, ad quam die antecedente per tinnitum tubae sexies repetitum invitabantur, quod in templo ex tecto fiebat (2. Reg. 16, 18.). Eo die ligna findebant, lucernas accendebant sabbaticas, coquebant cibos, quos in olla calida cophino impositos, foeno circumjecto, conservabant, parabant potus, laboresque domesticos, alias sabbato perficiendos, absolvebant, ut plena quiete eo fruerentur. Via longa eo die proficisci, erat interdictum. Judicium habere atque sententiam mortis proferre, nefas ducebatur. Quin cunctis opificibus laborare non licebat, solis sutoribus sartoribusque exceptis, quia vestimenta conficiebant, itemque et legis peritis erat concessum ea investigare, quibus die sequenti ad legem explicandam indigebant. Dimidium tamen temporis vel iis ad praeparationem erat adhibendum. Hunc diem praeparatorium παρασκευήν vocabant (Marc. 15, 42. Luc. 23, 54. Joh. 19, 31, 42.). Sabbatum vero δευτερόπρωτον quale fuerit, difficile est dictu. Nullum aliud esse videtur, quam primum sabbatum post secundum diem paschatos, quo manipulus frumenti Deo offerebatur, de hoc enim et de nullo alio Luc. 6, 1 ss. coll. Matth. 12, 1 ss. sermo esse videtur. Judaei enim omnes dies et sabbata a paschate numerare soliti sunt et adhuc solent. Deinde hoc sabbatum certe post diem decimum sextum mensis Nisan fuisse, ex eo patet, quod ante illum non modo sabbato, sed et aliis diebus Judaeis erat illicitum, spicas evellere, quod illud species messis habebatur. Pharisaei vero tantum dicunt, hoc sabbato, neutiqum vero reliquis diebus esse prohibitum.

Celebratio sabbati inter Judaeos recentiores. Hierosolymis a Tito imperatore expugnatis, templo deleto sacrificiisque finitis Judaei, per totum terrarum orbem dispersi, nihilominus summo

studio, quantum in iis fuit, sabbatum hucusque celebrarunt, illud adhuc celebrantes, nescio, num dicam, majore accuratione an superstitione, dum fere innumerabiles ritus, qui partim superstitionem produnt, partim risum adeo movent, ad honorem, ut loquuntur, sabbati excogitarunt. Praeparatio fit, ut quondam, die Veneris, nisi festum eo inciderit, quo a meridie ad vesperam usque, nihil aliud, praeter id, quod sabbatum spectat, agere licet. Initium huius praeparationis faciunt cum exploratione vitae per hebdomadem praeterlapsam peractae, ut ea, quae iniquitatis speciem prae se ferunt, poenitentia expient atque passim emendent. Qua finita cibos potusque tribus epulis sabbaticis consumendos emunt, praeparant, coquunt eosque quidem eo lautiores, quo magis genio indulgere sabbato honori esse existimant, quapropter quidam adeo die Veneris jejunant, quo majorem ad sabbatum appetitum excitent*). Cibi, si cocti sunt, gustantur, ne quid in iis sit omissum, et in fornacem reponuntur, caloris eorum servandi causa. Panes albos sabbaticos foeminae conficiunt, a quorum massa particulam quandam olivae instar, quam Callah nuncupant, precatione et benedictione separant atque comburunt, argumento ex Num. 15, 20. desumto. Laborem quotidianum, quem non ante vesperam perficere posse credunt, fugiunt, sed in rebus, quae praeparationi ad sabbatum inserviunt, omnes, vel nobilissimi atque ditissimi, versantur. Iter facere, quod tria milliaria non excedit, licet, sed viam longiorem progredi, nonnisi domum redeuntibus permittunt, quo tempestivius habitaculum aut deversorium possit attingi. Cibis paratis ad se ipsos se vertunt, ungues digitorum resecant a sinistra ad dextram, ordine superstitioso excogitato, pergentes**), pedes, manus, faciemque lavant, et quidem aqua calida, vestesque pretiosissimas, quas habent, induunt. Sabbato appropinquante synagogam adeunt et precationem vespertinam absolvunt, ad quod tempus, ne illud negligatur, aedituus, fores Judaeorum pulsando, invitat. Qua oratione peracta domum redeunt, ubi foeminae mensam sternunt, vinum apponunt atque panes et lucernas sabbaticas, quas Judaei tam necessarias putant, ut, si quis tantum pecuniae non habet, qua eas emat, stipem ostiatim quaerat, accendunt, precibus praemissis et fausta precatione addita. Quae accensio foeminarum est, quia Eva in Adamo, ut loqui solent, lumen extinxit***). De qua actione etiam sibi plurimum commodi, ut partus faciliores liberosque pios et eruditos pollicentur. Sole ad occasum inclinante sabbatum inchoant, quod rite praeparati studioque religioso facere jubentur. Si coelum nubibus obductum, ad gallinas attendunt, quando in gallinarium se recipiunt, tunc enim noctem esse putant. Sabbatum prius incipiendo et serius finiendo mercedem in hac et altera se merituros vita sperant. Quod exorsi synagogam revisunt precando psalmosque canendo.

---

*) Buxtorff Synag. Judaic. 15. p. 295.

**) Ibidem pag. 297.

***) Judaei enim credunt, antequam Eva peccarit, solem eodem modo luxisse, quo in vita futura; ea vero cum peccarit, splendorem ejus commutatum lumenque extinctum esse.

Qua clausa domum vadunt, familiae quaevis fausta precantes, mensam stratam adeunt. Hic patres familiae, priusquam aliquid comeditur, cyatho vini prehenso, dum lucernas intuentur, sabbatum consecrant illumque, postquam ipsi biberunt, ceteris porrigunt. Propter hanc consecrationem quisque, vel pauperrimus, sibi vinum comparare obligatur. Ex hac ratione etiam in synagogis cyathum vini consecrant, ut pauperes et peregrini, qui vino carent, ex eo bibere possint. Idem faciunt patres familiae duobus panibus tegmine velatis, quos sumunt, consecrant, frustum de alterutro rescindunt, comedunt convivisque distribuunt. Posthaec reliqui, quibus mensa onerata est, cibi capiuntur, pauperibus non oblivioni traditis. Coena absoluta manibus lotis sese in lectum recipiunt, quem die septimo eo serius relinquunt, quo certius somnum paulo longiorem in recreatione, qua sabbato gaudent, numerant. Postquam e lecto surrexerunt, in synagogam festinant. Ibi diutius precantur, quam aliis diebus leguntque sectionem e lege mosaica nec non e prophetis. Simul vota faciunt pro defunctorum animis, qui non, ut convenit, sabbatum observarunt, quos damnatos die sabbati quiete frui credunt. Nec non salutem et tranquillitatem magistratus christiani, sub cujus tutela vivunt, a Deo precatione haud ineleganti petunt, ipso mandato divino Jerem. 29, 7. ad hoc officium permoti. Nonnullis etiam locis, quod tamen rarius fit, etiam orationes sacrae habentur, in quibus quendam s. codicis locum explicant. Precibus peractis synagogam relinquunt domumque discedunt, ubi omnes, qui domui insunt, statim ad prandium secundum, sabbati epulum, festinant. Hic, quod appositum est, consumunt cantusque huic prandio destinatos laetitia pleni canunt. Saturati libros, in quibus negotia sabbati tractantur, vel ipsi perlegunt vel sibi praelegendos curant. His lectis somnum amant. Ad vesperam rursus in synagogam eunt ibique preces consuetas recitant et domum reversi tertium, quod sabbaticum dicitur, epulum consumunt, antequam vesperascit, et sabbatum fausta precatione repetita finiunt. Has tres epulas eam ob causam maxime necessarias putant, quoniam in mandato divino (Ex. 16, 25.) vocula *hodie* ter inveniatur. Primum epulum in honorem Isaaci instituunt, ad Judaeos e magna angustia temporibus Messiae oriunda eripiendos; alterum in honorem Abrahami, Judaeos ab inferis liberandi causa; tertium in honorem Jacobi, ut bellum Gogi et Magogi effugiant. Quibus alii adhuc quartum addunt, ad se a perpessionibus in sepulcris custodiendos. Nihil magis amant sabbato, quam recreationem atque voluptatem, totum diem sibi ad delicias destinatum esse existimantes propter promissionem divinam (Jes. 58, 13.), ubi Deus promittit, sabbatum iis fore in deliciis. Hinc sabbato omne jejunium et planctum omittunt atque prohibent. E contrario ambulationem, quod affert delectationem, non solum permittunt, sed etiam, quo longius ambulare possint, hoc in fraudem legis excogitarunt medium. Sumunt cibum sabbato nondum inchoato eumque in locum bis mille passus a domo, in qua habitant, distantem ferunt atque abscondunt. Hunc locum ad habitationem destinant, in eum sabbato se conferunt, cibum eo apportatum edunt et eo consumto adhuc bis mille passus longius progredi sibi licere

putant. Operum, quae sabbato suscipere prohibent, praecipuorum triginta novem numerant, quae nomine אָבוֹת מְלָאכוֹת appellantur. Inter haec sunt alia superstitiosa, ridicula alia. Juvenibus quidem, non vero viris foeminisque sabbato currere, est concessum, nisi voluptatis, recreationis et divinum mandatum eo celerius exequendi causa. Dimetiuntur adeo longitudinem passuum, qui non sint duobus pedibus vel cubitis majores. Nihil iis licet secum portare ad vestes non pertinens, quod interdictum adeo ad acus quoque superfluas, quas foeminae secum gestare solent, extendunt. Viri non baculo utuntur, nisi aetate provecti. Pecudes nil, nisi quod maxime necessarium, ferre coguntur. Inprimis Judaei omnem pecuniam deponunt, nec aurum nec argentum in itinere secum portantes. Quin adeo, quando crumenam pecunia impletam inveniunt, eam tollere sabbato non audent. Opera caritatis et summae necessitatis permittunt alia, alia vetant. Sabbatum licet violare, si vitae cujusdam periculum imminet. Hinc aegroto, gravi letalique morbo laboranti, omnia quae ejus conservationi conducunt, adhibere jubentur. Foeminae parturientis eadem est conditio. Infantem recens natum fasciis involvunt ejusque lotionem curant. Puerum, si in aquam inciderit, extrahunt. Cura mortuorum, inprimis quae ad eorum honorem spectat, ut eos ungere atque lavare, non interdicunt. Ignem, qui ortus est, delent. E contrario vetant de mercenariis futuro die conducendis loqui. Vetant, si dolium vino impletum foramen acceperit, per quod vinum penetrat, illud occludere ac quendam religioni judaicae non addictum de ea re obsecrare, nisi ille sponte faciat. Vetant aegroto, quando mortis periculum non imminet, quocunque modo succurrere aut pecudem morbo affectam juvare. Pro nullo aegroto, nisi moribundo, precantur. Membra corporis, etiam infirma et laesa sabbato nec oleo ungere nec aliis rebus, quibus dolores mitigari possint, illinere licet. Animal si in foveam inciderit, pabulo nutriunt, donec sabbatum occiderit; si in ea nimium aquae, ut timeant, ne pereat, stramen abjiciunt, ne aqua suffocetur, eique pulvinar supponunt, ut possit escendere; illud vero hoc die extrahere, neque ipsi Judaei hodierni audent neque a majoribus sabbatum tali facto unquam fuisse violatum credunt. Quare etiam Servatorem nostrum mendacii accusant, cum (Luc. 14, 5.) ad defendendam sanationem aegroto tempore sabbati praestitam Pharisaeos talia opera misericordiae etiam hoc die erga bestias observare confirmet.

Celebratio sabbati inter primos Christianos. Apostoli et primi christiani nominis confessores, e Judaeis egressi, legis ceremonialis, per Christi adventum impletae, reverentiam atque observationem justitiae causa inter se non tolerabant, ut ex epistola Pauli ad Gal. scripta luculenter apparet. Hinc etiam negligebant sabbatum ejusque celebrationem, partem, ut recte putabant, legis mosaicae. Paulo post vero, vel temporibus Apostolorum ipsis vel certe patrum apostolicorum aetate, Christiani incipiebant sabbatum judaicum, ut diem festum, cultu observare religioso, in gratiam multorum fide infirmorum, qui e Judaeis erant conversi, et maximam reverentiam habebant erga ceremonias a Deo per Mosen traditas et a suis majoribus summo studio obser-

ratas, sibique religioni ducebant, easdem plane deponere et contra eas religioni, omnibus externis ritibus destitutae, ex animo favere. Quibus rationibus haud levibus mota vetus Christianorum ecclesia decernebat, sabbatum judaicum simul cum die dominico, de quo paulo post plura dicemus, modo solenni cultuque religioso celebrare, ut teneras conscientias sublevarent et Judaeis via eo facilius patefieret, ad Christum se convertendi. Quae quidem sabbati observatio Christianis nec quicquam molestiae afferebat nec libertati eorum obstabat, cum hic sponte et a nemine coacti agerent, nec obligationem erga legem ceremonialem abrogatam indicabat, cum reliquos ritus non tangerent, et praeterea inter sabbatum judaicum et christianum differentia esset haud minima. Non enim Christiani cibum sabbato necessarium die antecedente praeparabant neque ipso sabbato Judaeorum modo sacrificabant neque ab omnibus manuum operibus, finitis sacris, cessabant, quin potius illis, qui in celebratione sabbati Judaeos imitarentur summoque fruerentur otio, ex sententia concilii Laodiceni anathema pronunciabant: *non oportet Christianos judaizare nec sabbato otiari, sed ipsos eo die operari*; *quodsi inventi fuerint judaizantes, anathema sint apud Christum.* *) Quibus verbis respondet auctor epist. ad Magnesianos: *non amplius*, inquiens, *sabbatizemus judaico more ac feriis gaudentes*; *qui enim non operatur, non edat. In sudore enim vultus tui edas panem, ajunt eloquia. Sed unusquisque vestrum sabbatizet spiritualiter, meditatione legis gaudens, non corporis requie, opificium Dei admirans, non pridiana comedens, aut tepida bibens et ad praescripta spatia obambulans et saltationibus plausibusque insanis se oblectans* **). Sed observamus etiam discrimen inter sabbatum Christianorum et diem dominicum, quamvis uterque fuerit sacer. Nullae aderant leges, sabbato stando precari, ut die dominico, ob resurrectionis Christi memoriam. Causarum actiones et dictiones legibus imperialibus non erant prohibitae; publica spectacula et ludi non vetabantur ***). Natalitia martyrum sabbatis celebrabantur, quia dies erant festi †). Coetus ad cultum publicum solenniter convocabatur; quando convenerat, ad Jesum sabbati dominum precabatur, opus creationis recordabatur Deumque laudibus ornabat. Legebatur codex s., evangelium praedicabatur, afferebantur oblationes, sacra coena quisque fidelium utebatur et servi durante conventu plena a laboribus vacatione gaudebant, quod verba probant auctoris Constitutionum: *servi operentur quinque diebus, sabbato autem et dominica vacent in ecclesia, propter doctrinam pietatis* ††). Hoc die festo atque laeto jejunium plane erat vetitum, uno magno nimirum sabbato excepto, pridie paschatos, quo Servator fuerat in terra sepultus. Quamvis enim Marcion haereticus, in odium Dei Judaeorum orbisque terrarum creatoris, quem a summo Deo falso distinguebat, quia ille eo die quieverit sabbatumque cum lege ceremoniali dederit Judaeis per

*) Can. 29.
**) Pseudo-Ignatii. ep. ad Magn. c. 9.
***) Bingham orig. eccl. P. IX. lib. 20. cap. 3. §. 3.
†) Concil. Laodic. can. 5.
††) Lib. 8, cap. 33.

Mosen*), et Eustathiani, vitae asceticae causa, singulis sabbatis jejunium instituerent, totus tamen primaevus Christianorum coetus in oriente atque occidente, horum hominum doctrinam damnans, a jejunio abstinebat. Quem vero morem per duo plurave priora post Chr. n. secula viguisse, saltem Tertulliani temporibus adhuc fuisse in usu, ex ejus liquet verbis**): *cur jejuniis*, inquientis, *parasceven? quanquam vos etiam sabbatum, si quando continuatis; nunquam nisi in paschale jejunandum, secundum rationem alibi redditum.* Insequentibus vero seculis nonnullae ecclesiae latinae, praeeunte Romana***), singulis sabbatis jejunare inceperunt, inter quas praesertim Hispanica est referenda, quod canon concilii Illiberitani satis probat, hisce verbis: *errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die jejuniorum superpositiones celebremus* †). Mediolanensis tamen pluresque aliae ecclesiae latinae nec non variae in Africa florentes ecclesiae veterem retinebant consuetudinem et a jejuniis cunctis sabbati diebus suscipiendis abstinebant, quod etiam a Graecis fuisse observatum, ex canone conc. Trullani perspicere licet††): *quoniam intelleximus, in Romanorum civitate in sanctis quadragesimae jejuniis in ejus sabbatis jejunari, praeter ecclesiasticam traditam observationem, sanctae synodo visum est, ut in Romanorum quoque ecclesia inconcussas vires habeat canon, qui dicit: si quis clericus inventus fuerit in sancto die dominico vel sabbato jejunare, praeter unum et solum, deponatur, sin autem laicus sit, segregetur.*

Institutio diei dominici ab Apostolis ejusque celebratio inter Christianos veteres. Apostoli abrogato Judaeorum sabbato alium quendam diem et quidem primum hebdomadis ad cultum Deo praestandum paulo post Christi adscensum destinabant, quo convenientes religiosas peragebant actiones et praesertim cum coetu recens converso celebrabant coenam s., cuius quidem rei testimonia haud obscura ex variis N. T. locis depromi posse videntur. Legimus enim Act. 20, 7., Paulum apostolum primo die hebdomadis, cum Christiani recens conversi congregati essent, panem ut frangerent, (per quam locutionem usus s. coenae est intelligendus) postridie abiturum, cum iis disseruisse sermonemque ad mediam usque noctem produxisse. Idem Paulus ejusdem diei 1. Cor. 16, 1. mentionem facit, ut quisque

---

*) Epiphan. haeres. XI, 11, 3.

**) De jejun. c. 14.

***) Quid ecclesiam Romanum ad singulis sabbati diebus jejunandum permoverit, non satis apparet. Alii, ut Augustinus (epist. 86.) refert, hunc derivarunt ritum a jejunio, quod Petrus die sabbati cum universo coetu Romano eum in finem suscepisse, ut se ad certamen cum Simone Mago die dominico Romae ineundum praepararet, victoria autem deportata, singulis sabbatis observasse dicitur; alii, cum Innocentio pontif. Rom. (Epp. 1, 4.) perhibent, haec jejunia eam ob causam fuisse instituta, quia feria sexta ob passionem Christi jejunaretur Apostolique etiam hoc biduo summa fuissent tristitia affecti. Decere igitur, ut dies pascha antecedens in huius rei memoriam jejuniis celebretur.

†) Can. 26.

††) Can. 55.

eorum die hebdomadis primo quicquam ad usum pauperum Christianorum secum seponat, recondens ut thesaurum, quod sibi placuerit. Idem dies ab apostolo Johanne (Apoc. I, 10.) dicitur ἡμέρα κυριακή, dies dominica sive dies consecratus ad gloriam Domini Jesu Christi, qui in N. T. saepissime dicitur κύριος, ex usu LXX. interpr., qui nomen Jehova per κύριος interpretantur. Causa vero, qua permoti Apostoli loco sabbati primam hebdomadis diem ad cultum Dei solennem destinarunt eique nomen imposuerunt dominici, nulla certe fuit alia, quam ut huius diei celebratione resurrectionis Christi conservarent memoriam beneficiaque, quae ex hac Servatoris resuscitatione ad universum genus humanum redundant, devota grataque recolerent mente. Post Apostolorum tempora Christiani, non vi legis expressae coacti, sed amore ducti erga Deum, diem dominicum sancte celebrabant non quidem more judaico et superstitioso, sed religioni Servatoris consentaneo. Hinc non solum ab operibus manuum quiescentes, totum diem sanctis consumebant negotiis, sed etiam ritus observabant maxime solennes, quos Justinus Mart.*) nobis enarrat ita: τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ**) πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ· εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθησίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς πέμπομεν· καὶ, ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς ἄρτος προςφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαρισθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Idem auctor verbis, quae paulo post haec sequuntur, causam quoque addit, cur Christiani diem dominicum, primum hebdomadis diem, sancte celebrent, quae duplex est, recordatio resurrectionis Christi et productio luminis et materiae mundi huiusque perfectio***). Quibus Justini verbis merito adjungimus Plinii, Bithyniae imperante Trajano praesidis, testimonium, quod eo majoris est ponderis, quo minus credi potest, hominem profanum Christianis nimium fuisse adulatum et in eorum favorem mendacia protulisse†). Dicit enim, desertores eorum affirmasse, se solitos esse, *stato die ante lucem convenire carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen atque innoxium.* Ex qua Plinii relatione clarissime cognosci potest modus, quo veteres

---

*) Apol. I. §. 87. p. 63 ed. Thalem.

**) Hoc nomine utuntur Christiani, quando ad gentiles scribunt. Cfr. Bingham, Origin. IX. p. 15.

***) Apol. §. 89. p. 64.

†) Plinii epp. X, 97.

Christiani diem dominicum, quem statum nominat, devote celebrarint. Non enim solum carminum sive hymnorum in Christi honorem decantatorum, sed etiam sacramenti, quo sese ad fidem observandam obstrinxerint et per quod sine dubio eucharistiam cum baptismo intelligere debemus, fit mentio, imo agapae in primaeva ecclesia usitatae haud obscure indicantur. Inprimis vero tempus antelucanum attendi meretur, quo veteres convenire solebant. Cuius quidem ritus causam non in superstitione, sed potius in timore haud culpando fuisse positam, facile perspiciemus, si consideramus, quot quantisque aerumnis cruciatibusque Christi sectatores a primis imperatoribus profanis pressi fuerint. Cum igitur non sine mortis periculo interdiu convenire possent, hoc tempus matutinum ad sacra peragenda eligebant, ut imperatorum saevitiam hac ratione evitarent. Si vero mitius clementiusque principes isti profani erga Christianos erant propensi, has congregationes etiam post solis ortum instituere audebant. Sic observabant Christiani diem dominicum sub tyrannide imperatorum gentilium viventes vexationibusque continentibus expositi. Imperantibus vero Constantino M. aliisque imperatoribus, qui nomen Christo dabant, haec solennitas etiam legibus, tam imperialibus quam ecclesiasticis, magis magisque confirmabatur. Tunc templa etiam struebantur, quibus conventus majori commoditate poterunt frequentari. His exhilarati cultum publicum eo frequentius continuabant. Multis in locis, praesertim in majoribus ecclesiis, duo sermones die dominico habebantur, matutinus et vespertinus, nonnunquam vero loco posterioris preces modo fundebantur, quae tanti aestimabantur, ut, si quis inveniretur, qui has preces spernens publicas, eas potius domi existimaret esse peragendas *), vehementer reprehenderetur. Homines necessitate non urgente solennes conventus negligentes ab ecclesia notabantur. Omissio cultus publici per tres dies dominicos delictum erat excommunicatione dignum **). Si quis sacerdote loquente ecclesia egrederetur, poena afficiebatur ***). Sacrae congregatoni accedens, ut scripturarum lectionem audiret, precari autem et s. coena uti recusans, excommunicabatur †). Si quis seorsim conventum haberet aut frequentaret et laudaret, haereticus vel saltem schismaticus habebatur ††). Jejunium eo die plane erat prohibitum et illud instituens, in suspicionem haeresis veniens, anathemate terrebatur †††), quia multi haeretici, ut Manichaei, Marcionitae et Priscillianistae, hunc diem esurialem putabant. Omnes lites, actiones forenses decretaque judicum per imperatorem Constantinum M. die dominico vetabantur, solis iis exceptis, quae absolutae necessitatis et caritatis erant, ut servorum manumissio. Quam ob causam promulgavit legem, dignam, quam allegemus: *Sicut indignissimum videbatur, diem so-*

---

*) Chrysostomus hom. 3. in II. ad. Thess.
**) Conc. Illib. can. 21.
***) Conc. Carth. IV. can. 24.
†) Ibid. can. 27.
††) Conc. Gangr. can. 5—6.
†††) Ibid. can 18.

lis, veneratione sui celebrem, altercationibus, jurgiis et noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum ac jucundum est, eo die, quae sunt maxime votiva, compleri atque ideo emancipandi et manumittendi die festo cuncti licentiam habeant et super his rebus actus non prohibeantur *). Valentinianus senior omnem publici atque privati debiti exactionem interdicebat **), quod nepos ejus, Valentinianus junior, multo fortius repetebat ***). Opera vero forensia, quae necessitas et caritas postulabat, non modo concessa, sed adeo mandata fuisse, inter alias ex lege ab Honorio lata apparet, jubente ****), ut navicularii, qui ex Asia Romam publicum frumentum transvehebant, si in suspicionem fraudis inciderent, quaestionibus vel die dominico examinarentur, quia conservatio frumenti publici Romae maximae erat saluti. Quemadmodum vero omnes actiones forenses interdictae erant, sic etiam labores et opera manuum nulli concedebantur, iis tamen, quae caritas suadebat et necessitas jubebat, rursus exceptis. Sic maxime notatu dignum est, quod Constantinus M. ipse, quamvis opera forensia vetuisset, agricolis tamen concedebat †) frumenta sulcis aut vineas scrobibus mandare die dominico, quando id alio die aptius fieri non posset, quoniam aequitati non respondeat, tempestatem his negotiis idoneam a providentia datam perire. Silentio tamen praeterire non possum, hanc licentiam agricolis concessam per alias leges valde imminutam esse ††) et per scriptores †††) et canones ecclesiasticos ††††) semper oppugnatam. Quantum studium circa opera caritatis, ut die dominico praestentur, adhibitum fuerit, docet lex ab imperatore Honorio promulgata †*), qua jubet, ut judices reos in carceribus videant, educant et interrogent, num custodes carcerum quoddam humanitatis officium, legibus nempe concessum, iis denegassent. Captivos ad balneum diebus dominicis sub firma custodia ad abluendas sordes in carcere sibi contractas deduci jubet. Et si qui judices aut eorum officiales hasce regulas non observarent, certa pecuniae summa mulctabantur. Loci simul episcopus jubetur, ut judices moneat, ne hac in parte negligant officium. Spectacula, ludos aut alias oblectationes die dominico instituere et frequentare sub poena excommunicationis erat interdictum. Quin si dies imperatoris natalitius in diem dominicum incideret, celebratio ejus in alium diem profestum differebatur, sicut hac de re duae leges Theodosii senioris et nepotis ejus junioris in codice Theodosiano extant †**).

---

*) Cod. Theod. lib. II. tit. 8. de feriis leg. 1.

**) Ibid. lib. VIII. tit. 8. de executoribus.

***) Ibid. leg. 3.

****) Ibid. lib. XIII. tit. 5. de naviculariis leg. 38.

†) Cod. Justin. lib. III. tit 12. de feriis leg. 3.

††) Novell. LIV. leg. *neque agricolae neque quicquam alii in illo die illicitum.*

†††) Irenaeus 4. 20.

††††) Conc. Aurel. III. can. 27.; Antissiodor. can. 16.

†*) Cod. Theod. lib. IX. tit. 3. de custodia reorum leg. 7.

†**) Cod. Theod. lib. XV. de spectaculis tit. 5. leg. 2 et 5.

Celebratio diei dominici inter recentiores, praesertim tempore reformationis. Quemadmodum temporibus medii aevi religionem omnemque cultum divinum maximis involutum tenebris plerumque superstitione deprehendimus, sic quoque maxime dolendum, diem dominicum potius fuisse neglectum, quam rite celebratum. Non enim solum judicia in ea agebantur, concedebantur nundinae aliaque negotia illicita tractabantur*), sed etiam sermones ad populum habiti ita erant comparati, ut in iis potius de operibus meritoriis, precibus ad sanctos directis, quam de vera fide pietateque, quam scriptura s. nobis tradit, ageretur. Tempore vero instauratae puritatis religionis etiam jura diei dominici, ritibus superstitiosis abjectis, scriptura s. e pulvere producta orationibusque a fabulis purgatis, reddebantur totusque cultus publicus ita, ut in ecclesia primaeva, religiose exercebatur. Nostri enim pii professores eandem quam Apostoli et primi Christiani de observando sabbato foverunt sententiam, quod ex verbis b. Lutheri in catechismo majore prolatis elucet: *die sabbati, quando alias ei rei vacare non licet, otium et tempus sumatur, cultui divino inserviendi, ita ut conveniamus ad audiendum et tractandum Dei verbum, ac deinceps Deum hymnis, psalmis, canticis et precibus laudemus* **). Quod etiam ulterius confirmat, si paulo post haec verba ita loquitur: *Sabbatum sanctificare idem est, ac sanctum habere, quod nihil aliud, quam sanctis verbis, operibus et vitae vacare.*

Celebratio sabbati inter Mahomedanos. Etiam Mahomedani habent sabbatum, diem nimirum hebdomadis septimum, quo solennes conventus instituunt. Sabbatum vero eorum nec dies hebdomadis septimus est, quem Deus quondam praeceperat, nec primus more Christianorum, sed sextus seu dies Veneris; hic dies ab auctore religionis, quam confitentur, Mahomede, cultui divino consecratus est. Observant vero eundem, nec ut Judaei veteres ac hodierni sabbatum, per totum illud plane a laboribus abstinentes, nec ut Christiani diem dominicum, opera manuum, procuratione corporis haud neglecta, intermittentes et ad noctem usque in sancta incumbentes negotia, sed tam diu modo quotidiana negotia removent, quamdiu cultus publicus durat, quo absoluto ad labores et oblectationes redeunt. Hoc ipse Coranus pro norma iis rerum credendarum et agendarum datus, concedit***). Dicit nempe: *O vere credentes, quando die convocationis ad preces vocamini peragendas, properate ad Dei commemorationem, negotio mercaturae intermisso. Quod majorem vobis afferet utilitatem, si sciretis. Sed precibus peractis dispergimini, ut vobis lubet, in regiones, et lucrum a divina facitis beneficentia Deique memoriam in animo revocate, ut vobis bene sit.* Religioni tamen magis studentes partem huius diei ad secularia negotia adhiberi neutiquam approbant, e contrario postulantes, ut is totus praeparationibus ad vitam futuram consumatur. Quem diem etiam tanto honore dignum putant,

---

*) Bingham orig. eccles. IX. 20, 2. §. 3. p. 26.
**) Libri symb. p. 424 ss. ed. Rechenb.
***) Vid. Al Coran. ed. Sale p. 619—20.

ut principem dierum, praestanissimum diem, quo sol oritur, vocent sibique eximio honori ducunt, quod Deo hunc diem ad diem festum vere credentium constituere iisque commodum primae huius diei observationis concedere praeclarissimum, placuerit*). Cur vero Mahomed nec primum nec septimum, sed sextum hebdomadis diem sabbatum elegerit, facile est cognitu. Consilium enim ipsi erat propositum, se suosque asseclas, nova religione inventa, a Judaeis et Christianis distinguendi. Placuit itaque suo coetui diem Veneris ut diem sabbati praescribere.

*) Al Coran, ibid. praef. p. 186.

V.

Joh. Frid. Mayer de dominicis adventus*).

1. Dominica prima adventus veteribus ultimam notabat. Adventus Domini est nativitas Christi; ita Chronicon Alex. apud Du Fresne in Glossario s. v. παρουσία; vid. Rupertum de div. officiis 13, 1.; adde Leonem Allatium de dominicis et hebdom. Graecorum, p. 1467. Itaque dominica prima adventus olim fuit, quae hodie quarta, i. e. dominica prima ante festum adventus. Hodie sensum esse oportet: dominica prima inter quatuor illas, quae praecedunt adventus festum; vel etiam, si evangelia respiciamus, dominica prima inter quatuor illas, quibus in ecclesia agitur de diversis adventus Christi generibus. —

2. Dominicae adventus quot? Hodie quatuor hebdomades natalia Domini praecedentes celebrantur occidentalidus ecclesiis, quem morem Bedae attingere tempora Edm. Martene, de antiquis monachorum ritibus 3, 2. p. 260. confirmat. Rationem numeri quaternarii Innocentius III. lib. de miseria hominis reddit: *Quatuor leguntur adventus Christi ad homines, duo scilicet visibiles et duo invisibiles. Primus adventus visibilis fuit in humilitate, ad redimendum, alter erit in majestate, ad judicandum; primus adventus invisibilis fit in mente justi per gratiam. Unde in evangelio: ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Secundus adventus invisibilis in obitu cujuslibet fidelis. Unde Johannes in Apocalypsi: Veni, Domine Jesu! Unde legitur, quod in die obitus sui obviam venerit ei Christus. Hos quatuor adventus repraesentat Ecclesia in quatuor dominicis de adventu, non solum numero dierum, sed etiam ratione officiorum.* Et ex nostris D. Simon Pauli, Theolog. Rostoch., in: Erklärung der Lieder Lutheri p. 2: „Es sind verordnet vier Sonntage des Advents, wegen der vier Zukünften des Herrn, nämlich ins menschliche Fleisch, davon am vierten; zu seinem Amt, davon am dritten; zu seinem Leiden, davon am ersten; und jüngsten Gericht, davon am andern Sonntage des Advents soll geprediget und in der Gemeine öffentlich gehandelt werden". Graeci incipiunt adventus celebrationem a die decimo quarto novembris, quod etiam antiquitus penes Latinos quosdam observabatur, ideoque S. Martini quadragesimam appellarunt. In missis quoque Ambrosianis de adventu Domini sunt sex dominicae, quarum prima subsequitur festum Martini. Cfr. Baronium ad ann. 1001. n. 5. et Radulphum de Rivo de canonum observantia prop. 16: *Adventus Domini apud Romanos incipit prima dominica post*

---

*) Prud. Gryphisiw. 1701. 4.

crastinum Catharinae, Ambrosianus adventus habet sex septimanas et incipit dominica post Martini. Quinque septimanas refert doctissimus *Mabillonius* ex antiquo Homiliario jussu Caroli M. a Paulo Diacono digesto. Accipite verba Mabillonii Analect. P. IV. p. 632:

Hebdomada V. ante natale Domini. *Lectio sancti evangelii secundum Johannem: In illo tempore, cum sublevasset oculos Jesus et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum etc. Homilia beati Augustini de eadem lectione: Miracula, quae fecit Dominus noster J. C. sunt quidem divina opera.*

Hebdomada IV. ante natale Domini. *Lectio sancti evangelii secundum Matthaeum: Cum adpropinquasset Jesus Hierosolymis et venisset Bethphage etc. Homilia beati Johannis episcopi: Puto, res ipsa exigit etc. ut in editis.*

Hebdomada III. ante natale Domini. *Lectio sancti evangelii secundum Matthaeum: Erunt signa in sole etc. Homilia b. Gregorii papae.*

Hebdomada II. ante natale Domini. *Lectio sancti evangelii secundum Johannem: Cum audisset Johannes in vinculis opera Christi etc. Homilia b. Gregorii.*

Hebdomada I. ante natale Domini. *Lectio sancti evangelii secundum Johannem: Miserunt Judaei ab Hierosolymis etc. Homilia S. Gregorii.* —

3. Quando solennitas harum septimarum coeperit? Ad divum Petrum refert Durandus Rat. Divin. offic. 6, 2. p. 255—56. *Praenotandum igitur est, quod b. Petrus primo instituit tres septimanas integras ante natale venerari, in commemorationem adventus Christi, et quartam, quae nunquam perficitur, quia vigilia natalis non est de adventu, ut infra dicetur. Agitur ergo adventus Domini per quatuor septimanas ad magnificandum, quod est quadruplex adventus filii Dei. Sed ultimo adventu sc. ad judicium nunquam terminabitur.* Consentiunt Pontificii ferme omnes. At qua ratione id efficient? Eckius hom. II. de adventu hoc argumento utitur: *Quia nil certi de hujus solennitatis initio constat, igitur credendum est, hoc festum ex ipsa Apostolorum institutione promanasse.* Sed quis hunc colligendi modum: de cujuscunque rei initio nihil definire possumus, illam debemus Apostolis, non rideat? Nimis tamen ille solennis est Pontificiis. Video pro asserenda communione sub una, recentissimo invento, ita quoque colligere Sameronem: *Communionis sub una non potest ostendi initium; sequitur, quod perantiqua sit et ad Apostolos referenda.* Subsume enim de Agnoëtis ex Alph. de Castro lib. 5. *adv. haeres.: Nemo reperitur, a quo coeperint.* Ergo, ex logicâ pontificia, *ab Apostolis.* Fallitur etiam Georg. Hessus, qui in Heortographia a Tertulliani usque et Cypriani aetate arcessit celebrationem temporis adventus. Nam etsi Tertullianus libro *adversus Judaeos*, Cyprianus *lib. de vanit. idolorum* duplicem Christi adventum memorant, quod et ab aliis Patribus fit, ex eo tamen minime sequitur, ejus memoriam quoque publice ac solenniter in ecclesia quotannis celebratam esse quatuor ante festum nativitatis hebdomadibus. Praesertim cum difficillimum sit ostendere, an illa aetate et quo anni tempore, quo mense, quo die natalia Christi ab ecclesia celebrata fuerint.

Utrum vero et Hospiniano (de orig. festorum) et Hildebrando (de priscae ecclesiae sacris publicis) adsentiri possim, jam Maximi Taurinensis tempore, qui circa ann. 240. floruit, solennitatem hanc viguisse, eo, quod de adventu Domini homiliam habuerit Maximus, ambiguus haereo. Duos de adventu domini sermones recitavit, quos servat Bibliotheca Max. Patrum Tom. VI. fol. 3. a. In primo locum Matth. 24.: *de duobus in uno lecto*, in altero: *de duobus molentibus in uno pistrino* explicat, ne verbulo facta mentione dignae praeparationis ad instans natale festum. Non autem is, qui de adventu Domini pro concione locutus fuit, solennia adventus publice statim celebravit. Reliquas in adventus Domini conciones in festo natalitio habuit, ceu ex ipso textu patet e. g. hom, 3. fol. 6.: *In adventu dominico, fratres carissimi, solutus est omnis paternae praevaricationis metus, quem diabolicis dudum fraudibus incurrit circumventa mortalitas. Adest enim nobis coeli terraeque judex, qui rescisso chirographo delictorum, reatum nostrum miseratus absolvit. Adest rex ille mansuetus, qui per spatia totius orbis, coelestis justitiae gressibus incedens, superbientem inimici contrivit tyrannidem. Hodie namque parturiente Maria natus est nobis Dei filius, ut germana carnis nostrae conceptione productus, creato a se homini et pietatem paternum et fraternum largiretur affectum.* Vide, quae supra sub. I. scripsimus. Theoph. Raynaudum vero ut confutemus, qui ex latina Chrysostomi editione Chrysostomi aetatem hanc attingere consuetudinem probare voluit, opus non est, cum ipse infirmitatem argumenti agnoverit. Cfr. Raynaud tom. XI. opp. f. 480. —

4. Veteres quomodo coluerint adventus ferias? Monachos in solitudinem secessisse, ut orationihus tanto ardentius vacarent, auctor est Beda, qui de Eadberto, Lindisfarnensi episc. cap. 24. refert, *quod in remotiore a monasterio loco semper quadragesimae tempus agere, in hoc quadraginta ante dominicum natale dies in magna continentia orationis et lacrymarum devotione ducere consueverint.*

Affligebant corpus jejunio, quod exemplo Gallorum ex capitulis Regum Francorum 6, 184., Hispanorum ex canone conc. Eliberini ab Ivone et Burchardo adducto, Anglorum ex Beda, Germanorum ex conc. Friburiensi probat Theoph. Raynaudus l. c. f. 479. Universale propterea vocat Rabanus hoc jejunium de institut. cleric. 2, 22. f. m. 337. cujus haec sunt verba: *Hac ergo auctoritate divinae scripturae ecclesia morem obtinuit et universale jejunium hac observatione celebrat: quod tamen jejunium incipiens in novo mense, in decimum extenditur, i. e usque ad diem natalis Domini pertingit. Congrua itaque dispositione a magistris ecclesiae hoc loco jejunium quadragesimale fieri constitutum est, ut ante diem natalis Domini jejunio et abstinentia nosmet ipsos castigemus, quatenus venientem redemtorem digna conversatione suscipere possimus, sicut ante tempus resurrectionis ejus carnem nostram affligimus, ut resurrectionis gratiam, quae per ipsum fit, consequi mereamur.* Cfr. de hoc. jejunio Filesacium, quem Ciaconium de jejuniis expilasse mordacissime Raynaudus sentit, Barthol. Gavantum *thes. sacror. rituum P. I. p.* 46. Edm. Martene *de antiquis monachorum ritibus p.* 261 *ss.*

Vacabant precibus. Preces monachorum Cassinensium tempore adventus et quadragesimali etiam ante paschale festum proprias refert ex Breviario Cassinensis Orat. saepius allegatus Martene p. 261:

Oremus pro omni gradu Ecclesiae,	*Sacerdotes tui induant*
Pro pastore nostro,	*Beatus, qui intelligit.*
Pro regibus et imperatoribus nostris,	*Salvos fac reges.*
Pro episcopis et abbatibus,	*Deus conserva eos et nos eis.*
Pro cuncto populo catholico,	*Salvum fac populum*
Pro pace et unitate ecclesiae,	*Fiat pax in virtute.*
Pro fratribus et sororibus nostris,	*Propter fratres meos*
Pro iter agentibus,	*O Domine, salvos eos fac*
Pro fidelibus navigantibus,	*Exaudi nos, Deus salutaris noster*
Pro adversantibus nobis,	*Domine, ne statuas illis*
Pro discordantibus,	*Pax Dei, quae exsuperat*
Pro poenitentibus,	*Convertere, Domine, aliquantulum*
Pro eleemosynas facientibus,	*Dispersit, dedit pauperibus*
Pro afflictis et captivis,	*Libera eos, Deus Israel*
Pro fidelibus defunctis,	*Requiem aeternam*
Pro peccatis et negligentiis nostris,	*Domine ne memineris*
Adjuva nos, Deus salutaris noster,	*Et propter honorem nominis*
Pro fratribus nostris absentibus	*Salvos fac servos*
Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto	*Et de Sion.*

Abstinebant a nuptiarum solennibus, qua de re fuse Wildvogelius: *De eo, quod justum est circa festum nativitatis* p. 18. Imo per decretum conc. Ilerdensis cap. 3. matrimonia hoc tempore consummata rescinduntur: *Quod non oporteat a septuagesima usque in octavas paschae, et tribus hebdomadibus ante festivitatem Johannis baptistae et ab adventu Domini usque post epiphaniam nuptias celebrare; quod si factum fuerit, separentur.* Tom. XI. Concil. Collect. regiae f. 22. Ad quae verba recte Luc. Osiander hist. ecclesiast. cent. XVI. p. 36: *Haec constitutio nulla aequitate nititur. Etsi enim nuptiarum solennis celebratio quibusdam temporibus suspendi potest, tamen humana est constitutio, quae non nimis late extendenda est. Et iniquissimum esset, si quis tales conjuges eam ob causam, quod nuptias probibito tempore celebrassent, separare vellet, cum maritus jus habeat in corpus uxoris et uxor vicissim.* Recte tamen ecclesiae nostrae publicarum solennitatum nuptialium prohibitionem retinent, ne adversariis offendiculo simus. Vide Mengering in *Informatorio conscientiae evang.* quaest. 1. ad dom. I. adv. p. 12. Dispensant tamen principes evangelici in libertatis christianae confirmationem; vid. Wildvogelium p. 23.

Abstinebant a copula conjugali. Ita Mabillonius *Liturg. Gallic.* p. 458: *Apud nos itaque ex ejus* (S. Martini) *solennitate abstinentia acarnibus vel conjugali copula filiis ecclesiae indicatur, ut ad nativitatem Domini securius communicent.*

Justitium septem postremis adventus diebus indictum est in conc. Erphesfurtensi praesente imp. Henrico habito, cujus verba decreto per Gratianum inserta postquam recensuisset Wildvogelius l. l. p. 22. etiam hoc jure Saxonico constitutum esse ostendit.

Belli quoque inducias sub excommunicatione Alexander III. a principibus sancte observandas praescripsit. Confer eundem p. 23.

Imagines sacrae cooperiuntur, quod in Hispania singillatim more receptum esse observarunt Macri Fratres in Hierolexico p. m. 322. Organa clauduntur neque musica instrumentali templa personant, quod in quibusdam locis a nostra etiamnum observatur ecclesia.

Coronidis loco addo, conc. Tridentinum episcopis sess. 24, cap. 4. injungere, ut tempore adventus quotidie vel saltem tribus in hebdomade diebus concionentur. —

5. Quae evangelica lectio dom. I. adventus sit explicanda? Plurimos Pontificiorum annum ecclesiasticum dom. I. adventus ordiri ab evang., Luc. 21: *Erunt signa in coelo etc.* ex ipsorum scriptis patet. Quibus illa Micrologi, scriptoris de ritibus ecclesiae Rom. principis (de ecclesiast. observation. cap. 31.) oppono: *In dominica prima de adventu Domini quidam legunt evangelium: erunt signa etc., eo, quod S. Gregorius in libro homiliarum illud inprimis posuerit. Sed parum attendunt, quia idem Apostolicus in eodem libro hujusmodi ordinem non attendit, in quo plura evangelia penitus non tetigit, insuper et quae exposuit multoties, posteriora prioribus anteponere consuevit. Alii initium Marci evangelistae legunt, sed quia inusitatum est, pauci assentiuntur. Nos autem ex antiqua traditione: Cum appropinquaret etc. legimus, non utique sedi apostolicae, si aliter jusserit, praejudicantes, sed interim autoritatem sanctorum patrum sectantes. Nam et S. Hieronymus in libro Comitis ita ordinavit, cujus libri ordinem et S. Gregorius diligentissime observavit, sive dum lectionibus et evangeliis missales orationes in sacramentario adaptaret, sive dum antiphonas ex iisdem evangeliis quam plurimis diebus in antiphonario articularet. Ipsum quoque evangelium: cum appropinquaret etc., etsi de itinere Domini ad passionem agere historialiter videatur, non tamen istius adventus omnino obliviscitur, cum pueri Hebraeorum in laudem ejus illud psalmistae in altum praclament: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Quod auctor antiphonarii de hoc adventu procul dubio intellexit, cum inde responsorium in historiam dominicae nativitatis composuerit.* Perridiculam applicationem dabit Durandus Rat. Divin. Off. Rationem hujus pericopae inter nostros receptae reddit D. Sim. Pauli in: Erklärung der Lieder Lutheri p. 2: Am ersten Sonntage im Advent wird gelesen und erkläret die Geschichte von der Einreitung des Herrn Christi in die Stadt Jerusalem zu seiner königlichen Huldigung und seiner Zukunft zu seinem Leiden, am Palmtage geschehen, aus dem 21. Cap. des Evangelisten Matthaei, dieweil der Prophet Zacharias, dessen Gezeugnisse der Evangelist führet, diese Zukunft dergestalt, wie sie geschehen, verkündiget hat, auf dass kund und offenbar sei, dass, was sich mit Christo im Neuen Testament begeben, von dem Propheten im Alten Testament viel hundert Jahre zuvor verkündiget sei.

6. Hymni, tempori adventus proprii: Nun komm der Heiden Heiland. — quis auctor? Canit ecclesia hoc tempore illum cumprimis hymnum: Nun komm der Heiden Heiland. Agnoscit vero iste auctorem divum Ambrosium episc. Mediolanensem, qui primus hunc latine composuit. Vid. Hymn. 4. Tom. II. Opp. f. 1220. ed. novae Benedict. Mon. Ubi recte monachi Benedictini in admonitione

ad lectorem hymnis praemissa: *De quarto hymno: Veni redemtor gentium, dubitare non magis licet, quam de tribus superioribus. Primam ejus strophen in synodo Romana ex Baluziana collect. a.* 430. *celebrata Ambrosio adscriptam reperimus, nec non ab Ildephonso de perpet. virgin. b. Mariae non semel propositam; quartam vero non modo apud Cassiodorum, sed etiam apud Faustum Regiensem legas, qui episcopus de eadem his verbis agit: Accipe etiam in hymno sancti antistitis et confessoris Ambrosii, quem in natali dominico per omnes Italiae et Galliae regiones persultat ecclesia: Procede de thalamo suo etc.*

Postea in usum patriarum ecclesiarum germanice transtulit div. Lutherus, verbum verbo ferme reddens *).

---

*) Uberiorem hujus hymni expositionem, quae jam germanico scripta idiomate adjungitur, quippe alieniorem a consilio nostro, omisimus. (Nota edit.)

VI.

Joh. Godofr. Körner de die natali Servatoris*).

Servatorem optimum, tot divinis oraculis promissum, tot piorum votis expetitum, stato tempore venisse cum nulli dubitemus, maxima tamen dubitatio mentem occupat, quem prae reliquis annum, mensem, diem ejus adventui assignare debeamus. Quo majori enim intervallo nostra aetas ab ea distat aetate, qua praesentia sua animos eorum exhilaravit, qui ardentissimis eius adventum efflagitarunt precibus: eo incertiores sumus, in tempore adventus definiendo, cum nec sacrae literae argumenta nobis suppeditent satis evidentia nec testimonia extent eorum, quorum auctoritas tantum valeret, ut omni ex animo evulso scrupulo de plena gloriari possimus convictione. Celebramus itaque diem, quem natalam Christi fuisse asseverare, firmo fundamento destituti, non audemus. Profecto si inde a primis temporibus solenni ritu sacra Servatoris natalitia in coetu Christianorum habita fuissent, ii, quibus datum erat omnes temporis περιστάσεις diligenti inquisitione sibi cognitas reddere, de die nativitatis ipsi optime edocti, alios quoque certa cognitione imbuissent et ad seram usque posteritatem, traditione haud dubia, veram de die natali Servatoris notitiam propagassent. Sed cum nullum horum sacrorum in primis seculis vestigium inveniatur, et sequenti aetate iis, qui talem cultum instituerunt, de die non constiterit, cum alii alium diem in alio et alio mense divinarent, ad nos quoque variae opiniones perlatae dubitationibus rem adeo implicarunt, ut certi quid et determinati statuere nobis haud liceat.

Tantum vero beneficium, quod reliquorum omnium fontem veneramur, non sine summa grati animi testificatione cultu publico excipiendum esse cum inter omnes conveniret et de die consulerent, quo memoria nati Servatoris pie coleretur, communem fere adsensum obtinuit vetustissima et olim recepta traditio VIII. kal. jan. sive decembris diem vicesimum quintum Servatoris nostri fuisse natalem. Cuius sententiae usu comprobatae originem et auctoritatem argumenta quoque, quae tum pro illa pugnare videntur, tum contra eam proferri solent, breviter enarrare apud animum constituimus.

Recentiores quidem huius sententiae patroni diversa via incedunt in ea vel explicanda vel defendenda. Nonnulli enim iique subtilissimi et doctissimi, puram traditionem et ecclesiae consuetudinem praetendunt; alii vero firmiorem moliri velle videntur probationem suamque, quam adoptarunt, opinionem argumentis tum ex literis s. tum ex scriptis patrum petitis fulcire nituntur. Hos primo loco audiendos putamus, quippe qui cum frigide satis rem tractasse videantur, nullo assensu digni iis omnino

*) Prodiit, Univers. Lips. progr. ad fest. Chr. nat., Lips. 1758. 4.

cedere debent, qui ad usum et consuetudinem provocant in tuenda hypothesi, quae non nisi conjecturis nitatur nec ullam habeat historiae evidentiam aut fidei robur.

Qui argumentis tempus nativitatis Christi certum confirmare diemque natalem XXV. decembris definire conati sunt, ita fere rationes collegerunt. Pontifex maximus apud Judaeos solus idque semel in anno sancta sanctorum ingrediebatur, ut incensum offerret Deo, die nempe decima Tisri, quae fuit expiationis dies sollennis (Lev. 16, 12—13; 29—30.) Zachariam, patrem Johannis, pontificem maximum tunc vidisse angelum, cum offerret incensum in sanctis sanctorum (Luc. 1. 9. 11.) et nocte sequenti Johannem conceptum, ita ut praedixerat angelus. Diem autem, qua apparuit angelus, fuisse, si cum nostro calculo conferas, XXV. vel XXVII. mensis septembris. Sexto deinde mense (Luc. 1. 26.) Mariam concepisse XXV. martii et peperisse novem mensibus expletis, ut adeo dies natalis XXV. decembris secundum naturae leges habenda sit. Uberius hoc argumentum exposuit Chrysostomus *), consentientibus Ambrosio, Hieronymo, Theophylacto, aliis, ita tamen ut mensis tantum habuerit rationem nec certam diei definitionem curaverit. Sed quam falsa et incerta hic supponantur, quibus negatis tota ruit demonstratio a multis post Scaligerum **), qui hanc inprimis oppugnavit sententiam, ostensum.

Et in falsis quidem merito numeramus: I. Zachariam fuisse summum sacerdotem, cujus commenti pudet ipsum Baronium ***). Quomodo enim sacerdos ex classe Abia et per sortitionem ministerio suo fungens pro summo haberi possit? Vocatur tantum ἱερεὺς ex plebe nimirum sacerdotum, cui sorte contigit λειτουργία suffitus faciendi, cum summo sacerdoti et soli quidem sollennis illa ceremonia citra sortem ex officio incumberet. Annon suffitum facere extra velum pertinuit ad quosvis sacerdotes sorte ad id delectos? Ut taceam alios prorsus a Josepho circa illud tempus commemorari sacerdotes summos. Nominat †) Simonem, Herodis socerum, Mathiam, Joazarum, nulla Zachariae ne levissima quidem mentione injecta. II. Tempus illud ministerii Zachariae et ἐναγγελισμοῦ de conceptione Johannis baptistae fuisse diem festum expiationis. Haec nimirum sollennitas uno die fuit absoluta (Lev. 16, 29—30.), tempus autem ministerii, quo functus est Zacharias, erat octo dierum (Luc. 1, 23.). III. Suffitum illum fuisse sollennem et anniversarium (Lev. 16, 12.); quasi vero non fuerit suffitus quotidianus (1 Chron. 23, 28—30.) Angelus apparuit ad dextram altaris suffitus, quod certe fieri non poterat eo temporis momento, quo in sancto sanctorum erat Zacharias. Fuit enim altare suffitus extra velum et adyta sancta collocatum (Ex. 30, 1. 6. 10.), ad quod exeundum erat sacerdoti summo, cornua sanguine conspersuro.

*) In serm. 33. εἰς τὴν γενέθλιον ἡμέραν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν T. V. opp. p. 417. ed. Fronto Duc.

**) De emendat. temp. 7. p. 712—13. Ej. Canon. isag. 3. p. 302. 307.

***) in Apparatu a sect. 69—76. Ante Baronium a Lyrano jam in Luc. 2. haec conjectura explosa.

†) Antiq. 20, 10. (ed. Haverc. T. I. p. 798.) et loca ibi citata.

IV. Decimum diem Tisri incidisse eo quidem anno in XXVII. septembris, quod Scagiler probat fieri haud potuisse.

Ad incerta vero referimus: I. Conceptionem Baptistae fuisse ab angelo nuntiatam d. XXVII. septembris. Audax profecto conjectura. Cum enim octo dies ministraverit Zacharias, quis dixerit, quo ministerii die angelus apparuerit? II. Eodem die, quo bonum nuncium audivit, Zachariam domum reversum, eadem nocte Elisabetham concepisse, cum Lucas diserte dicat, hoc post aliquot dies contigisse (Luc. I, 23—24.). III. Menses completos sex intercessisse inter conceptionem Baptistae et Christi, Luca contradicente (Luc. I, 26. 39.). IV. Baptistam die XXVII. septembris conceptum, stato die XXIV. junii natum esse. Quasi vero partus omnes sint nonimestres post dies 270, siquidem mensibus Hippocraticis tempus gestationis dimetimur, quos solares fuisse adhuc dubitare licet. V. Conceptionis Mariae diem fuisse XXV. martii atque adeo partus XXV. decembris. Quam quippe ἀκρίβειαν in numerandis diebus nec Patres, Chrysostomus, Ambrosius, alii, adhibuerunt, quorum ille l. l. de die non sollicitus nonum mensem commemorat. Quid? quod incertam esse illam supputationem vel inde patet, quod Armenii novem mensibus quinque dies addant, quando de Christi in utero gestatione loquantur *).

Alterum argumentum ex scriptura petitum frigida nititur interpretatione verborum Joh. 3, 30. Usi sunt hoc argumento Chrysostomus **), Ambrosius ***), Augustinus †). Hi quidem cum recentioribus quibusdam non dubitarunt verbis Johannis hunc affingere sensum: Christum nasci debuisse crescente lumine i. e. d. XXV. decembris, quo sc. tempore dies crescere incipiunt; Baptistam vero decrescente lumine i. e. XXIV. junii. Sed minus solidi interpretes, allegoriis nimium indulgentes et ad popularium rhetoricationum flosculos verba inflectentes, aliorum indignationem sunt experti. Neque nos immoramur his nugis refellendis. Ita nimirum argumentari, est ludere in re seria et suo otio pariter ac lectorum patientia abuti. Fatendum tamen, ne quemquam injuria adficiamus, nec Baronium ††) nec Petavium †††) lubrica haec fundamenta posuisse,

---

*) In legatione Manuelis Comneni ad Armenios a. Chr. 1170. Generalis s. Catholicus Armeniorum ita mentem suam explicat: „Accepimus a doctoribus nostris, primigenia quinque diebus in matrum suarum alvo diutius existere quam foetus non primigenios. — Noster igitur Emanuel tamquam foetus primigenius par temporis spatium in utero matris exegit.“ Quam opinionem Theorianus, legatus imperatoris, confutavit. Vid. Bibl. PP. max. T. XXII. p. 806 s.

**) in hom. de natali Johannis baptistae.

***) in serm. de natali Domini.

†) in psalm. 132.

††) in Apparatu n. LXXV. p. 29. negat, Zachariam fuisse summum sacerdotem. Cf. p. 46 n. CXXI.

†††) Tantum abest ut Petavius huic sententiae calculum adjiciat, ut potius cassam dicat et inanem et aliquot post seculis natam ut adeo perabsurdum sit, antiquae de natali die traditioni d. XXV. Dec. ex opinione, quae aliquot postea seculis emerserit, ortum et originem repetere. De doctrina temporum T. II. lib. 11. c. 7. p. 418.

quae quippe nullius esse momenti pro eo quo pollebant mentis acumine perspexerunt. Firmamentum potius calculi quaerunt in usu ecclesiae christianae et a traditione petunt. In quo veri amorem laudamus, veremur tamen, ut tutior sit quam ad confirmandam opinionem receptam elegere viam.

Assertio enim, a testium auctoritate petita, robore destituitur, cum et paucitate testium laboret et adsint, qui contrarium proferant. Nam quae de traditione Apostolorum dicuntur, ad fidem opinioni conciliandam, qua dies XXV. decembris natalis Servatoris habetur, eadem facilitate negantur, qua solent affirmari, cum nihil quidquam in scriptis Apostolorum ea de re legatur. Nec moram nobis injiciunt vel Clementis Constitutiones vel martyrologium Romanum vel alia scripta ejusdem commatis, quae partim notha partim depravata et commentis referta.

Non ignoramus provocari ad Clementem illum Romanum, Apostolorum discipulum, tamquam ad testem locupletissimum, quem ipsi omni exceptione majorem agnoscimus. Ita nimirum ille: *τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν φυλάσσητε, ἀδελφοί. Και πρώτην γε τὴν γενέθλιον, ἥτις ὑμῖν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πέμπτη τοῦ ἔνvατου μῆνος**). Quo in testimonio, mensem nonum non novembrem sed decembrem esse labentes concedimus. Qui enim, quod apud Patres usu venit, aprilem non martium primum agnoscunt mensem, iis december non decimus sed nonus nominetur necesse est. Sed Clementis esse hoc testimonium vix contra eos probabunt, qui argumentis invictis demonstrarunt, supposita esse, quaecunque Clementi praeter epistolam primam et forte secundam tribuuntur, quibus proferendis supersedemus. Quid? quod si seposita lite de *αὐθεντίᾳ*, ipsum testimonium ponderemus, nil nisi consuetudinem eamque non omnibus communem sed quibusdam propriam profiteri, quisquis sit qui talia protulit, cuilibet attente legenti patet.

Alium audiamus testem, non minori auctoritate conspicuum, cujus libros genuinos esse nemo dubitavit, Clementem Alex. *Εἰσὶ δὲ*, inquit, *οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες. ἥν φασὶν ἔτους κή Αὐγούστου ἐν πεμπτῇ πάχων καὶ εἰκάδι. οἱ δε ἀπὸ Βασιλείδου, καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τήν ἡμέραν ἑορτάζουσι, προδιανυκτερέυοντες ἀναγνώσεσι. φασὶ δὲ εἶναι τὸ πεντεκαιδέκατον ἔτος Τιβερίου Καίσαρος τὴν πεντεκαιδεκάτην τοῦ Τυβὶ μηνός· τινές δε αὐτὴν ἑνδεκάτην τοῦ αὐτοῦ μηνός — καὶ μὴν τινὲς αὐτῶν φασὶ φαρμουθὶ γεγεννῆσθαι κδ΄ ἢ κέ***).

Quem locum, ut recte intelligamus, notari meretur, Clementem

---

*) Constitut. 5, 13. in Cotel. PP. Apost. T. I. p. 312. Est et alius locus, quem Cotelerius exhibet in praefat. ad Constit. Apost. ex Cod. MSC. p. 197: *ἐτέχθη μὲν γὰρ ὁ Κύριος ὑμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας ἐν Βηθλεέμ ἐν μηνὶ κατά Αἰγυπτίους Χοιὰκ* (al. *Χυὰκ*) *κέ, ὅ ἐστιν πρὸ ὄκτω Καλάνδων Ἰαννουαρίων*, ubi in margine notatur ad explicandum nomen mensis Aegyptii, *Δεκεμβρίῳ*. Nam si Aegyptiorum, qui anni initium tempore autumnali ponunt, mensis primus Thoth nostro septembri respondet, quartus certe, qui *χοιάκ* nominatur, cum nostro decembri convenit.

**) Strom. I. (ed. Potter) T. I. p. 407—8.

Alex. Aegyptiorum morem in nominandis mensibus esse secutum, qui cum ab autumni primordiis anni initium ducant primumque mensem Thoth habeant nostro septembri respondentem, in serie mensium si pergamus, quintus eorum Tybi januarius, octavus Pharmuth aprilis, nonus Pachon majus apud nos nominatur. His praemissis duo ex loco Clementis colligimus. Primum: non fuisse certum et fixum diem, ne Clemente quidem ipso opinante, apud primae aetatis Christianos, nec opus esse de die certo laborare, cum περιεργία illo censente habeatur, si quis de eo nimis esset sollicitus. Secundum: diversas fuisse opiniones de die natali Servatoris; alii enim diem vigesimum quartum vel quintum mensis octavi Pharmuth, qui cum primus Thoth, ut supra notavimus, nostro respondeat septembri, aprilem refert; alii 25. mensis noni Pachon s. maji, alii diem 15. vel 11. mensis quinti Tybi, qui nobis est januarius, nominarunt. Baronius *) quidem hujus diversitatis culpam omnem in haereticos conjicit: „haec, inquiens, haeretici fanatice, nulla vel saltem verisimili ratione vel auctoritate nixi, sed sicut et alia deliramenta ex proprii animi sententia perciti furore protulere.“ Sed fefellit eum mentio Basilidianorum a Clemente facta, de quibus nimirum commemorat, eos diem Christi baptismalem festum agere ejusdemque diei vigiliam scripturarum lectione celebrare. Nequaquam autem affirmat, eos in celebrandis sacris natalitiis controversiam movisse, quod nec Irenaeus, Tertullianus, Epiphanius iis objiciunt. In iis potius, quae antecedunt et sequuntur verbis, non nisi Catholicorum sententias refert, quibus nec calculum adjicit nec argumenta opponit, sed rem dubiam cujusque arbitrio relinquit nec nimis subtiliter de incerto argumento disputandum esse judicat. Haec tamen opinionum varietas et apud paucos obtinuisse et non magni fuisse momenti videtur. Error est in mense, nam de die, quod mireris, non dissentiunt; utraque enim sententia prior pugnat pro die 25. diversi mensis. Atque haec ipsa diversitas non adeo miranda, quae quippe cum communi sententia facile conciliari queat. Quemadmodum enim apud Romanos december decimus mensis iis, qui annum a martio ordiebantur, aliis vero nonus, quia ab aprili anni initium deducebant, ita et apud Aegyptios Pharmuth et Pachon vel octavum et nonum, vel nonum et decimum in mensibus locum occupare potuerunt, si diversum anni initium et numerandi rationem diversam supponere licet. Quodsi enim audiverunt Aegyptii, Christianos in occidentis partibus habitantes, nativitatem Christi celebrare die 25. mensis noni vel decimi, illi substituentes mensem, quem pro nono aut decimo habuere, Pharmuth vel Pachon, vere non diversam secuti sunt sententiam, sed quoniam annum augusto vel septembri incipiebant, Romani vero martio vel aprili, factum inde, ut quem Romani die 25. mensis noni vel decimi natum dicerent, Aegyptii die 25. mensis Pharmuth aut Pachon in lucem editum esse asseverarent. Facile itaque fieri potuit, ut sententia eadem ob diversam numerandi rationem diverso modo exponeretur. De iis vero, quos ultimo loco commemorat Clemens, qui nimirum diem 15. vel 11. Tybi

*) in Apparatu p. 46.

natalem esse putant, statim dicendi erit locus, ubi ad Epiphanium testem deveniemus, episcopum eiusdem dioeceseos Alexandrinae, Aegyptiorum adeo morum satis gnarum eaque quae a Clemente audivimus egregie illustrantem. Extat apud Epiphanium *) locus insignis: *γεννηθέντος γὰρ αὐτοῦ, περὶ τὸν Ἰαννυαρίον μῆνα, τουτέστι πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίων ἥτις ἐστὶ κατὰ Ῥωμαίους πέμπτη τοῦ Ἰαννουαρίου μηνὸς κατὰ Αἰγυπτίους Τυβὶ ἑνδεκάτῃ.* Reliqua in quibus hanc diem cum aliorum populorum mensibus et diebus comparare laborat, brevitatis causa omittimus. Notamus potius Epiphanium paulo post **) dixisse: *ἀπὸ τῆς τῶν γενεθλίων αὐτοῦ ἡμέρας, τουτέστιν Ἐπιφανίων, ἥτις τυγχάνει ἕκτῃ Ἰαννουαρίου μηνὸς, κατὰ δὲ Αἰγυπτίους Τυβὶ ἑνδεκάτῃ.* Pergit deinde ***): *τοῦτο δὲ ἐσκόπησα ὅτι καὶ οἱ εἰπόντες τὴν ἡμέραν τῆς συλλήψεως, καὶ ὡς εὐηγγελίσατο ὁ Γαβριὴλ τὴν παρθένον, εἶπον τὴν ὑπόνοιαν τῶν τινῶν λεγόντων ἐν παραδόσει ὡς ὅτι διὰ ἑπτὰ μηνῶν ἐγεννήθη, εὑρήκαμεν γὰρ ἀπὸ τούτου τοῦ προπύσωνος ἕως ἑνδεκάτης Τυβὶ καὶ πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανναυορίων ὅτε ἀληθῶς τὰ θεοφάνια ἐγένετο, καὶ ἐγεννήθη, ἑπτὰ μηνῶν χρόνον κατὰ τὸν σεληνιακὸν δρόμον παρὰ ἡμέρας τέσσαρας.* Et paucis interjectis †): *ὅμως ἐκ πανταχόθεν ἑνδεκάτῃ Τυβὶ κατ' Αἰγυπτίους ἡ προειρημένη τοῦ Κυρίου ἐν σαρκὶ γέννησις ἐγένετο.*

Omnia haec testimonia in eo conveniunt, diem natalem celebrasse Aegyptios, et quia ad dioecesin forte Alexandrinam pertinuere, die 6 januarii, quod constanter perhibet Epiphanius, nec contradicentem habet Clementem, cujus ex relatione hoc tantum patet, praeter communem et receptum morem a quibusdam diem 25. decembris natalem habitum fuisse. Miramur itaque G. Joh. Vossium ††) — cum declararet, si ab opinione communi recedere foret animus, se non aliam lubentius amplexurum quam alterutram ex illis Aegyptiis, quas Clemens commemorat — scripsisse: „movet me illud, quod Aegyptii prae gentibus aliis temporum fuerint gnari et illorum, quae ad tempus natalitium pertinent, curiosi. Nec minus compellit, quod undique doctissimus Clemens ne mentionem quidem eorum faciat, qui vel 8. kal. decembris vel 8. idus jan. natum esse Christum crederent: ut non immerito suspicio oboriatur, tum temporis necdum obtinuisse eas opiniones in populo christiano. Nam si ecclesia Romana vel vicina adeo Hierosolymitana nunc natalem dominicum in decembri vel januario celebrasset: puto, neque id fugisset doctissimum illum Alexandrinum presbyterum.“ Non sane fugit et disertis verbis utramque celebrandi rationem commemoravit Clemens ille Alexandrinus, dummodo verba ejus supra exposita recte intelligamus et interprete Epiphanio utamur satis idoneo. Sed de Epiphanii sententia

*) Adv. haer. 1, 2, haer. 51. (T. 1. ed. Petav.) p. 446. quem locum illustravit Petavius animadvers. t. II. p. 132 sq.

**) Ibid. p. 449. Ex quo loco prioris lectionem emendandam esse putamus, ita ut pro *πέμπτη* legatur *ἕκτη*, uti in versione etiam Petavius reddit.

***) p. 451. qui tamen locus in paucis suspectus videtur Petavio.

†) Ibidem.

††) In diss. de Christi mense dieque natali. p. 81.

scrupulum movent recentiores, qui ad eum provocant tamquam alterius opinionis fautorem, testemque afferunt, quo morem usitatum, die 25. dec. natalem celebrandi, stabilire audent. Nam in legatione Manuelis Comneni ad Armenios supra laudata *) haec profert Generalis Armenorum: „intellexeram esse quandam de hoc argumento (natali die Servatoris) orationem S. Epiphanii Cypri episcopi, quam ipse non vidi. Ajunt enim b. Epiphanium, qui esset Hebraeus natione, de litteris Hebraeorum et annalium scriptore Josepho adfirmasse, natalem Servatoris die 20. decembris celebrandum.“ Tantum tamen abest, ut haec contra aperta testimonia quidquam valeant, ut potius nullam prorsus fidem mereantur verba, in quibus Generalis Armenorum orationem Epiphanii, quam se non vidisse fassus est, cum Chrysostomi oratione confundere videtur, et in tota narratione inscitiam prodit ei quidem condonandam, nullo tamen assensu dignam apud eos, qui verbis Epiphanii indubiis, omnium codicum consensu comprobatis, nituntur.

Majoris omnino momenti est, quae ex Cassiani **) testimonio contra Epiphanii fidem movetur controversia. Ille enim de ecclesiis Aegyptiacis refert, eas natalem diem et baptismum eodem die peregisse. „Intra Aegypti — ait — regionem mos iste antiqua traditione servatur, ut peracto epiphaniorum die, quem provinciae illius sacerdotes vel dominici baptismi vel secundum carnem nativitatis esse definiunt, et idcirco utriusque sacramenti sollennitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis, sed sub una diei istius festivitate concelebrant.“ In quo certe non consentientem habet Epiphanium, quippe qui ***) baptismum mense novembri celebratum esse contendit. Quam litem aliis dirimendam eo majori jure permittimus, cum nostram causam non tangat, qui de natali non baptismali die disputamus, ceterum testem antiquiorem recentiori praeferendum esse si quis existimaverit, nos quidem facile adsensum praebemus.

Ex iis, quae Clemens Alex. et Epiphanius amice conspirantes tradunt, in regionibus, quae ad orientem solem vergunt, diem 6. jan. natalem Servatoris agnitum fuisse, tuto satis colligitur. Alium tamen morem in Occidentis partibus invaluisse, quibus nimirum dies 25. decembris natalitiis Christi sacratus fuerit, dubitare haud licet. Atque horum exemplum successu temporis imitatos esse Christianos Orientis auctor est Chrysostomus, qui suo tempore hanc ortam esse consuetudinem aperte docet. In sermone enim supra laudato ingenue fatetur: *Καίτοιγε οὔπω δέκατόν ἐστι ἔτος, ἐξ οὗ δήλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται — παρὰ μὲν τοῖς ἑσπέραν οἰκοῦσιν ἄνωθεν γνωριζομένη, πρὸς ἡμᾶς δὲ κομισθεῖσα νῦν, καὶ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν — πολὺς περὶ τῆς ἡμέρας ταύτης πανταχοῦ γίνεται λόγος· τῶν μὲν αἰτιωμένων ὅτι νέα τις ἐστι καὶ πρόσφατος καὶ νῦν εἰσενήνεκται· τῶν δὲ ἀπολογουμένων ὅτι παλαιὰ καὶ ἀρχαία ἐστὶ, καὶ ἄνωθεν τοῖς ἀπὸ Θρᾴκης μέχρι*

*) Bibl. PP. max. T. XXII. p. 807.

**) Collat. XX. Cap. II.

***) Adv. haer. 2, 51. T. I. ed. Petav. p. 447. *ἦλθε πρὸς τὸν Ἰωάννην καὶ ἐβαπτίσθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ — κατὰ Αἰγυπτιούς Ἀθὺρ δωδεκάτῃ πρὸ ἓξ εἰδῶν Νοεμβρίων.* Cfr. p. 450.

Γαδείρων οἰκοῦσι, κατάδηλος καὶ ἐπίσημος γέγονε *). Tribus deinde argumentis probare contendit, eo potissimum tempore natum esse Servatorem, quorum primum inde petitum **), quod primae descriptionis tempore natus sit, cujus optimam notitiam habuerint Romani, ut adeo diem designare accurate potuerint, reliqua non opus est ut enarremus argumenta, cum in superioribus mentio eorum facta sit. Clara sunt et luce sua radiant verba Chrysostomi, quorum auctoritate nixus Scaliger ***) nobis persuadere cupit, cultum diei natalis 25. decembris serius ad Constantinopolitanos a Romanis transmissum, in quo maximam partem assensum haud denegamus; quando vero ex verbis Chrysostomi concludit: post seculum Constantini Romae hanc observationem institutam et tempore Chrysostomi Constantinopolin derivatam esse, id quidem ex Chrysostomi testimonio confirmari posse valde dubitamus. Cum enim diem natalibus sacrum 25. decembrem fixum serius apud Orientales, sed tamen ex prisca traditione jam diu in Occidentis regionibus observatum esse dicat, quis inde conjiceret, Constantini demum tempore Romae hanc observationem esse institutam. Novam quidem pronunciat Chrysostomus, sed ratione ecclesiae, in qua tum sacra faciebat, atque eam novitatem non de celebratione in universum, sed de die fixo 25. decembris intelligendam esse cuivis attente sermonem legenti patet. Non enim omnem usum natalitiorum Christi abnuit, sed de certo et fixo die, publica auctoritate confirmato et idoneis argumentis tunc primum stabilito loquitur. Deinde non Patriarcham Constantinopolitanum sed presbyterum Antiochenum hunc habuisse sermonem, indicia haud contemnenda produnt. Occurrunt enim verba: *ἓν δὲ λοιπὸν εἰπὼν καταπαύσω τὸν λόγον, τῷ κοινῷ διδασκάλῳ τῶν μειζόνων παραχωρήσας* †). Doctor autem communis erat episcopus, quem saepius ita compellare solet presbyter. Intelligendus itaque de Antiochena ecclesia et consuetudine orientali, qui de Constantinopolitana provincia contrarium ipso hoc sermone profitetur, disertis verbis dicens: jam inde a primordio ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus manifestum et celebrem fuisse diem 25. decembris. Non igitur ad Constantinopolitanos, sed ad Antiochenos hunc cultum serius esse transmissum docet, et qualem? scilicet ut die 25. decembris natalitia sacra celebrarentur. Nam in iis regionibus memoriam nativitatis Christi non fuisse prorsus ignotam, testis est Chrysostomo antiquior Gregorius Naz. ††) Quapropter ex testimonio Chrysostomi non nisi hoc evinci posse statuimus, illo demum tempore,

*) Serm. 33. p. 417.

**) l. l. p. 420 *δῆλον ὅτι μετὰ τὴν πρώτην ἀπογραφὴν ἐτέχθη. καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἔξεστιν ἐντυχόντα καὶ τὸν καιρὸν τῆς ἀπογραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸν βουλόμενον — παρὰ τῶν ἀκριβῶς ταῦτα εἰδότων καὶ τὴν πόλιν ἐκείνην οἰκούντων παρειλήφαμεν τὴν ἡμέραν, οἱ γὰρ ἐκεῖ διατρίβοντες, ἄνωθεν καὶ ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως αὐτὴν ἐπιτελοῦντες. αὐτοὶ νῦν αὐτῆς ἡμῖν τὴν γνῶσιν διεπέμψαντο.*

***) de emendat. temp. 6. p. 509. sq.

†) l. c. p. 425.

††) Homil. 38. *ἑορτάζομεν*, ait, *σήμερον ἐπιδημίαν θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους, Χριστὸς γεννᾶται — τὰ νῦν θεοφάνια.*

decennio ante quam sermonem laudatum recitaret, morem Romanorum apud Antiochenos esse introductum, ut nimirum natalem Christi die 25. decembris celebrarent, quem antea alio die celebrarant. Hunc vero alium diem 6. januarii fuisse, ex Epiphanii testimonio supra laudato facile colligitur *).

Sed satis de antiquis, quos in constituendo die natali vel 25. decembris vel 6. januarii nominasse certum est, argumentis idoneis destituti, ad consuetudinem et morem receptum provocantes. Jam ad recentiores veniamus, quorum judicium eo majoris est ponderis, quo majori in rebus chronologicis scientia instructi, in convellendis aliorum opinionibus satis felices, meliorem forte suam substituisse jure censendi sunt. In recentioribus autem primas merito deferimus Jos. Scaligero **), quippe qui cum magno eruditionis apparatu veterem de 25. decembri profligasset opinionem, novam in ejus locum non conjecturam, sed ut ipse nominat demonstrationem suppeditavit, qua Christum natum in fine septembris vel initio octobris evincere laborat, diem enim definire non audet, sed ingenue fatetur, hunc constituere non hominum esse, sed unius Dei.

Est autem demonstrationis Scaligerianae ratio haec: I. Ordines s. stationes sacerdotum ***), postquam ultra triennium cessasset cultus quotidianus in persecutione Antiochi, restitutae sunt a Juda Maccabaeo †), II. Fuere autem viginti quatuor sacerdotum familiae ††); quarum octava fuit Abiae †††). Unicuique familiae praefuit princeps †*) III. Quaelibet familia per septem dies sacris operabatur a sabbato ad sabbatum †**), ita ut per 168. dies singularum familiarum functio in orbem recurreret. IV. A tempore Judae Maccabaei usque ad conceptionem Johannis baptistae nulla intermissio functionis harum familiarum fuit nec unquam diurna sacrificia cessarunt, sive per bella sive per vim aliam, nisi mense julio paulo ante captam urbem per Titum Vespasianum. Quod ex Josepho probare contendit Scaliger. Nunquam etiam classis una functionem alterius classis praeripuit, id enim sub poena capitis interdictum fuisse ex antiquo Judaeorum jure probatur. V. Primae classi s. familiae Jojarib †***), cujus ipse Judas Maccabaeus sacerdos fuit, ex prisco

---

*) Ubi enim l. c. p. 446. dixit: *γεννηθέντος γὰρ αὐτοῦ περὶ τὸν Ἰανουάριον μῆνα τουτέστι προ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰαννουαρίων*, addit: *κατὰ Σύρους, εἰτοῦν Ἕλληνας Ἀυδηνίου ἕκτου*, quo ipso apud Syros atque adeo Antiochenos diem Christi natalem 6. jan. habitum esse docet.

**) Can. Isag. lib. 3. adnot. 101. 102. de emend. temp. lib. 6. Appendix emend. temp. p. XLIX.

***) *ἐφημερίαι* vocantur apud Lucam 1, 5. 8.; Josephus *πατριὰς* nominat Ant. Jud. 7, 15. (Tom. I. p. 408. ed. Haverc.)

†) 1 Macc. 4, 42 sq. Joseph. Ant. Jud. 12, 7. p. 616—17, ubi de instauratione quidem templi, nulla tamen restitutionis ordinum sacerdotalium mentione facta, legimus.

††) 1 Chron. 24. 3. 4—18.

†††) 1 Chron. 24. 10.

†*) dicuntur רָאשֵׁי הָאָבוֹת Nehem. 12, 12. apud Evangelistas *ἀρχιερεῖς*. LXX. nominant *ἄρχοντες τῶν πατριῶν* l. c.

†**) 1 Chron. 9. 25.

†***) 1 Chron. 24, 7. 1 Macc. 2, 1. 3, 1.

ordine primus locus fuit datus in encaeniis templi. VI. Aggressa est familia Jojarib ministerium suum anno 4595. per. Jul. d. 22. novembris biduo ante encaenia. Secuta est classis Abiae, quae erat octava post dies 49. h. e. sabbato, quod congruebat decimo januarii die anni sequentis 4596. VII. Ab illo sabbato ad sabbatum diei 21. jul. anni 4710. per. Jul. fluxerunt anni 160. et dies 192. qui cyclos hieraticos Abiae efficiunt 349. VIII. Principium ergo ministerii Zachariae incidit in diem 21. julii, finis vero dies 28 julii. Intra hos dies contigit apparatio angeli Luc. 1, 11. memorata, cujus septimanam accurate tenemus, diem vero nullus humanus intellectus assequi potest. IX. Conceptio Johannis baptistae incidit in hebdomadem, quae secuta est proxime post 28. diem julii, nativitas autem ejusdem circa initium aprilis, consequenter nativitas Christi in finem mensis septembris aut initium octobris, fuit enim sex mensibus posterior.

Haec fere sunt cogitata Scaligeri, cujus vestigia premit Sethus Calvisius Isagog. lib. 47.

Ingeniosa profecto demonstratio et multiplicem spirans eruditionem, quae nobiliora ingenia, ut ipse loquitur Scaliger, pascere potest et oblectare, sed, quod veremur, minime explere desideria eorum, qui non dubiam, sed certam et evictam plane sententiam a tanto viro sibi patefactam esse cupiebant. Quamvis enim speciosa videantur argumenta ad confirmandam hanc sententiam prolata, parum tamen solida deprehenduntur, si propius vestigentur. Obstant omnino plura, quae assensum sustinere jubent. Nam I. Supponitur a Scaligero, Christum natum anno per. Jul. 4711. a Calvisio a. m. 3947., quod a multis strenue oppugnatur. II. Supponitur, familiam Jojarib primam a restituto Dei cultu sacris esse operatam; quid vero si illa legali pollutione contaminata? Quid? si denuo sorte a Juda inquisitum in voluntatem Dei, quemadmodum a Davide factum legimus 1 Chron. 24.? Quid? si aliqua ex viginti quatuor sacerdotum familiis interciderit vel non praesto fuerit, quod post reditum populi accidisse notum est? Esra enim (2, 36—39.) quatuor tantum ordines recenset. Quid? si ei familiae ceremoniae sacrae commissae, quae tempore interrupti cultus sacri munere suo defungebatur? Quid? si ei, quam ordo tetigisset, supputato triennii tempore ab interruptione, quasi nulla omnino fuisset. Haec omnia cum accidere potuerint, nec definiatur in scriptura quid vere acciderit, praestat ἐπέχειν quam incerto fundamento ἀπόδειξιν certam superstruere. III. Supponitur, familiam Abiae octavam semper ordine fuisse. Sed constat, ante tempora Judae Maccabaei hunc ordinem non esse servatum in familia Abiae, quae nunc duodecimum, nunc undecimum locum obtinet Nehem. 12, 1. 4. 12. 17. Quo igitur jure pro certo et indubitato haberi possit, inde ad Judae Maccabaei temporibus octavum semper locum occupasse, quem tamen nisi constanter sortita fuerit Abiae familia, omnis ruit demonstratio. IV. Tempus Johannis concepti est incertum. Supponit quidem Scaliger mense julio post finitum Zachariae ministerium conceptum esse Johannem. Verba tamen Lucae sunt laxiora nec quidquam accurate definiunt nec, si concedatur, inde concludi jure

poterit, Christum sub finem mensis decembris esse conceptum, januarius potius sextus est a conceptione Johannis mensis, cujus finem si conceptioni Christi assignandum existimaveris, nativitatem exeunte octobri non septembri, quae tamen est Scaligeri sententia, contigisse, colligere fas est.

Haec et alia id genus non sine causa animum suspendunt atque vim demonstrationis eo magis labefactant, cum Petavius ex eadem serie ordinum sacerdotalium Christum die 25. decembris natum esse demonstrare voluerit, alii vero ex iisdem principiis diversa prorsus deduxerint. Samuel enim Petitus*), qui iisdem utitur hypothesibus et omne robur sententiae ex ordinatione familiarum sacerdotalium et computo petit, Christum tamen circa 6 id. novembris natum esse statuit. Mentem suam ita exponit: Natum esse Christum a. m. 3947. Numerum orbium hieraticorum ineundum esse jubet ab anno 3786. Johannis baptistae nativitatem annuntiatam esse Zachariae in templo a. m. 3946. Hoc anno orbem hieraticum 350. initium habuisse die 15. julii feria septima, proinde familiam octavam, quae est Abiae, ministrare coepisse kal. sept. feria septima. Intra illud tempus, quod a kal. sept. ad 6. id. sept. effluxit, contigisse Zachariae laetum nuntium. Sequenti hebdomade Johannem conceptum. Februario sequentis anni 3947. angelum apparuisse Mariae et Christum esse conceptum, qui exactis in utero novem mensibus circa sextum id. nov. in lucem sit editus. Nova haec eruditissimi viri sententia haud majori se commendat probabilitate quam Scaligeri et Calvisii ante prolata. Ut enim suo loco relinquam, quae habet de tempore et principio orbis hieratici, ea quae supponit iisdem exceptionibus patent, quibus Scaligeriana hypothesis exposita fuit.

Sed sunt adhuc argumenta quaedam generalia, quibus Scaliger et qui iisdem fere armis pugnarunt Matthaeus Beroaldus et Henricus Wolffius tempus nativitatis Christi autumnale fulcire tentant, hibernum vero prorsus repudiandum censent, quibus, ne causae nostrae deesse videamur, examinandis operam adhuc nostram impendamus.

Ut nimirum evicant, alio tempore quam hiberno, autumnali potius natum esse Christum, ita fere rationes colligunt. Eo, inquiunt, tempore natus sit necesse est, quo census commode agi potuerit et Judaei ascendere in loca, unde originem familiae traxerint, quale profecto hibernum judicari nequeat. Ad eam porro anni partem natalem Christi diem referendum esse dicunt, quo pastores excubias sub diu agere et nocturnis vigiliis ovile custodire potuerint. Minime vero aptum esse hibernum tempus tali negotio, quo quippe pecus in caulas cogi soleat. Addunt, montana Bethlehem tractum fuisse asperiorem et frigidiorem adeoque minus probabile, tempore adeo iniquo, noctu praesertim, in his potissimum regionibus pastores in agro esse versatos. Ad autumnum itaque confugiunt, aequinoctium maxime autumnale convenientissimum judicat Beroaldus nativitati Christi septimumque adeo mensem variis diebus fe-

---

*) In Eclogis Chronologicis 1, 13.

stis insignem, dignum prae reliquis, cui natalia ejus assignentur, qui, illis festis diebus adumbratus, adventu sua rem ipsam, figuris antea delineatam, exhibuisset. Ideoque eo magis credere fas esse, quo certius pateat, in aliis eandem a provida Dei cura ordinatam esse convenientiam imaginis cum re adumbrata. In festo enim paschatos immolatum fuisse pascha nostrum, Christum. In festo pentecostes primitias Spiritus datas et legem novam veteri surrogatam. Sic aequum omnino fuisse, ut circa festum tabernaculorum Christus nasceretur, illo nimirum tempore, quo convectis in horrea frugibus et perfecta vindemia feriae sollennes populo indicerentur. Hoc profecto festum, hoc anni tempus aptum esse ad excipiendum eum, qui summo gaudio omnes exhilararet. Sic eodem fere tempore mundum et natum esse et renatum, illud in creatione, hoc in natali Christi. Sic in initio anni venisse, qui annum illum gratiae, secundum vaticinia Jesaiae c. 61. annunciare debuisset. Expositis his argumentis seu conjecturis subtiliter satis excogitatis parum inesse roboris ad opinionem confirmandam non negabunt, qui quae iis opponi jure possunt aequo judicio ponderant. Quod enim ad tempus census agendi idoneum attinet, id quidem totum a voluntate imperantis pendebat, cujus jussu nomina profiteri Judaeos oportuit, sive commodo sive incommodo tempore fuerit mandatum. Profecto quae opportuno satis tempore Romae sunt imperata, post aliquot menses in provincia executioni demum dari potuerunt. Nec existimandum, adeo Romanis in pretio fuisse Judaeos, ut illorum in ferendis legibus commoda aut incommoda attenderint. Fuit praeterea regio, quam incolebant Judaei, temperata, ut tempore hiberno iter facientes non tantis premerentur difficultatibus, potissimum cum exiguis finibus contineretur Judaea nec longo propterea opus fuerit itinere. Quid? quod illud anni tempus, quo liberi erant ab operibus rusticis incolae, commodissimum omnino videatur populo, agri laboribus intento, ad iter census causa suscipiendum. Eadem facilitate respondemus ad illam, quae a pastoribus in agro excubias agentibus petita est, objectionem. Liceat enim ex iis, qui tempori hiberno hoc minime convenire autumant, quaerere, cur, si vel hoc concedamus, exinde concludant: septembri mense nasci debuisse Servatorem? cur non alio, verno aut aestivo tempore, quod quippe eandem sibi vindicat commoditatem et si autumnale praeferunt, cur hunc potius quam alium eligant mensem? Deinde qui talia proferunt, non ad discrimen regionis satis respexisse videntur. Judaea enim nostris regionibus calidior aëre gaudet magis temperato et major serenitas mense decembri iis quidem contigit terrae incolis, quam apud nos sperare licet. Doctissimus Casaubonus*) quanta hoc argumentum laboret infirmitate egregie docuit. „Fortasse, inquit, in Judaea et aliis locis magis meridionalibus alia servatur consuetudo, quam in Gallia et Germania. Nam etiam in Anglia, ubi nullus est a lupis et aliis noxiis animalibus metus, armenta saltem toto anno in agris pernoctant neque propter frigus aut pluviam aut ventos ulli tecto unquam subeunt.“

*) Exercit. II. ad. ann. eccl. Baron. Ann. I. n. XIV. p. 156.

Tandem, quod summam rei tangit, ἀγραυλεῖν eodem Casaubono judice tam ad diem quam ad noctem refertur et simpliciter vitam in agris sub dio degere significat, interim tamen vetustam ecclesiae traditionem, quae nocturno tempore pastoribus angelum apparuisse confirmat, non temere rejiciendam esse Casaubonus auctor est, cui eo lubentius suffragamur, quo certius est, quod apud ipsum Lucam 1, 8. disertis verbis pastores noctu ovilis curam habuisse legatur. Vix opus, ut reliquis conjecturis confutandis tempus perdamus. Fuit omnino mensis Tisri, qui maximam partem nostro septembri respondet, diebus festis compluribus celebris. Incidunt enim in hunc mensem feriae novi anni, expiationis, tabernaculorum. Quis tamen inde colligat, hoc prae reliquis mense Christum nasci debuisse, ut nimirum veritas constaret imaginum. Quasi vero non omnia, quae aut praedicta aut figuris expressa sunt, eventu comprobata essent, si vel alio mense natus fuerit is, ad quem haec omnia pertinere videntur. Mundum eodem anni tempore natum et renatum dicere, frivolum judicamus; quid tum ii, qui vernum tempus creationi assignant, quae sententia multos habuit inter veteres patronos? Nesciunt forte, quid dicant, qui mundum per nativitatem Christi renatum esse contendunt. Hoc certe est verbis ludere, non seria tractare. Nobis denique, qui quodvis tempus sub Christi auspiciis gratissimum habemus, non arridet opinio, quae de anni initio et cursu vulgari nimis sollicitam curam prodit.

Perlustravimus hactenus varias de die natali Christi opiniones, conflictum antiquiorum et recentiorum historicorum et chronologorum, quantum quidem per scriptionis angustiam licuit, vidimus*). Judicium de difficili argumento cuilibet permittimus. Nostram si quis requirat sententiam, paucis exponemus. Diem incertum esse nec ulla humana diligentia erui, multo minus privata cujuslibet auctoritate definiri aliisque assensum imperari posse statuimus. Ad calculos sedeant, quibus vacat indagare. Nos aliorum exemplo moniti hunc omnem laborem improbum, studium inane judicamus. Quae Deus celavit, nostrum revelare non est. Ex eventu potius colligimus, Deum sapienti consilio nobis hunc diem occultasse, qui si voluisset hac, qua facile caremus, cognitione fidem et pietatem nostram roborare, utique non passus esset ea plane ignorari. Nec curiositatem eorum probamus, qui rationes, cur Deus non notum fecerit, subtiliter nimis rimari audent. Lubenter et ingenue nostram in his inscitiam fatemur. Sed quamquam dies ignota, memoria tamen tanti beneficii servanda et consuetudo ecclesiae in sacris natalitiis celebrandis non abolenda, quae cum non nisi stato die sint peragenda, quid impedit, quominus eum retineamus, quem ecclesia ab antiquo huic inprimis usui destinavit. Salva libertate nostra eum celebramus, quem ii festum agunt, qui in multis iisque gravissimis doctrinae capitibus a nobis dissentiunt. Non enim hic de dogmate fidei agitur, sed de ritu, quem salva fide retinere nostrumque in retinendo pacis et tranquillitatis studium declarare possumus. Liberi hoc facimus, non coacti. Quae enim in conc.

*) Plura qui desiderat, adeat I. A. Fabricii Bibliogr. Antiqu. c. X. p. 342 ss.

Basileensi sess. 36. ab Eugenio IV. decreta sunt, nos non tangunt. Sed quemadmodum in celebrando paschatos festo nuper sapientissimo consilio lites, antea saepius ortae, compositae sunt, concordia in ritu externo ab iis mandata, qui jus habent leges ferendi: ita inde ab eo tempore, quo nobis sacris nostris uti licuit, in celebrando nativitatis Christi festo die concordiam turbare nemini venit in mentem. Ad commemorandum et grato anime recolendum beneficium, quod adventu suo in nos contulit Servator promissus, nullam esse cognitionis diei natalis necessitatem, nobis persuasum habemus. Curiositatis est illum investigare, vanitatis ex levissimis conjecturis colligere, praesumtionis definire, tyrannidis eum obtrudere et ad somnia sua alienas conscientias adstringere.

Interim nec iis adsensum praebemus, qui in eruenda origine horum sollennium κακοζηλίας accusant Christianos atque gentiles imitatos esse dicunt, qui in gratiam imperatorum patronorumve natalitia celebraverint, aut sacra gentilium consueta in morem christianum transmutasse contendunt nec eorum audaciam ferendam esse putamus, qui in sermonibus sacris magna fiducia clamant: hic dies est natalis, hodie natus est Christus. Abstinendum est ab asseverationibus frigidis, quibus plebi aut falsum credere aut plene incertum pro certo habere injungitur. Ceterum Augustini verbis subscribimus: „Una saluberrima regula retinenda est, ut, quae non sunt contra fidem neque bonos mores et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicunque institui videmus vel instituta cognovimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando sectemur." Ep. ad Januar. CXIX.

VII.

Ern. Frid. Wernsdorf de originibus sollennium natalis Christi ex festivitate natalis invicti*).

Quaestionem de sollennibus, quibus natalis Christi antiquitus celebratus sit, hoc loco inde illustrabimus, ut gentilium festivitate natalis invicti, quae sec. p. Chr. n. IV. Romae adhuc obtinuit, hanc natalis Christi solennitatem invectam esse ostendamus.

Illud igitur satis constat, neque Christum eo die natum esse, quo natalis ejus hodie celebratur, neque veteres, quod in hunc diem sollennia haec constituerunt, eo illum pro vero natali Servatoris accepisse aut etiam haberi voluisse. Scriptores sacri diem nobis, ut credibile est, sapientissimo consilio reticuerunt. Neque Apostolos quidquam de eo Christianis coram praecepisse oportet, quum, qui eorum tempora proxime attingebant, iis plane dies ille incognitus fuit, et sec. p. Chr. n. II. περιεργότερον quidam in eum inquirendum putarunt. Per tria quidem prima secula non legimus, eum in ecclesia festum ac sollennem fuisse, neque causas, quare tum Christiani ab ejus celebratione abstinuerint, ignoramus. Vt adeo, etiamsi ante cognitissimus fuisset, ejus tamen certa memoria longinquitate temporum, si non penitus interire, at facile potuerit obscurari. Orientis Christiani, qui verum diem et tempus natalis Christi rectius, quam occidentales videntur scire potuisse, memoriam nati Christi et per Johannem baptizati primum conjunctim die 6. januarii mensis, deinde, recepto more romano, natalem Christi separatim die 25. dec. celebrarunt. Sed quum neque evangelica de nativitate Christi narratio istud brumae tempus admittat, et, qui ex antiquioribus pariter ac recentioribus in investigando nativitatis Christi tempore ingenium periclitati sunt, autumnale illud aut vernum fuisse tempus inveniant, quae ratio tandem veteres movit, ut in diem 25. dec. natalem Christi figendum existimarent? **) Sane ratio haec fuit, quod natalis invicti, a paganis gentibus eo die celebrari solitus, aliter, quam instituta christiani festi sollen-

---

*) Prodiit, Univ. Viteb. progr. ad fest. Chr. nat., Viteb. 1757. 4.

**) Observat A. Pagi (*Crit. in annales Baron.* T. I. p. 58.) *dies festos Christi deiparaeque Virginis, item anniversarios in martyrologiis signatos non semper cum diebus illis congruere, in quibus, quae recoluntur, evenerunt; in id enim praecipue incubuisse ecclesiam, ut repraesentata mysteria, temporum opportunitate constabilita, ita a fidelibus celebrarentur, ut in fidei potius morumque proventum, quam in praecisam dierum observationem collinearent.* Prolixus est in argumento hoc illustrando F. M. Florentinius *ad vetust. occ. eccl. martyrolog. Hieronymianum* p. 199.

nitate apud Romanos tolli non poterat atque extingui. Episcopi autem Romani, quo facilius homines a superstitiosis vanitatibus ad veram religionem transducerentur ac converterentur, non modo profana gentilium festa in Christianorum sacra commutarunt, sed etiam inter haec nove introducta, et illa sublata quasi quandam similitudinem esse voluerunt*) Itaque natalem invicti hoc ipso festo natalis Christi submoverunt et antiquarunt, ut allusiones probant veterum ecclesiae patrum, nativitatem Christi cum sole revertente comparantium, et hodie testatur vulgi circa id tempus superstitio, pravitatibus rituum ex gentilismo ductorum obnoxii.

Sed plerisque scriptoribus pontificiis nihilominus placet contendere, hunc diem 25. dec. non modo esse ipsum natalem Servatoris nostri, verum etiam ab ipsa illa prima ecclesia pro eo habitum et cognitum, nec cognitum tantum, sed etiam fuisse celebratum**). Qua in re non utuntur illi quidem suspecto vanitatis testimonio Johannis Nicaeni***), qui narrat, Julium I. p. r. collatis inter se mensibus Hebraeorum ac Romanorum, deprehendisse, illum diem verum natalem Christi esse: sed aeque ridicule, nescio, quam traditionem jactant et inferunt ex his Au-

---

*) In aliis quoque rebus eadem aut simili ratione versati sunt. De Gregorio Thaumaturgo narrat Greg. Nyssenus: *Συνιδὼν, ὅτι ταῖς σωματικαῖς θυμηδίαις, τῇ περὶ εἴδωλα πλάνῃ παραμένει τὸ νηπιῶδες τῶν πολλῶν καὶ ἀπαίδευτον· ὥς ἂν τὸ προηγούμενον τέως ἐν αὐτοῖς μάλιστα κατορθωθείη τὸ πρὸς Θεὸν ἀντὶ τῶν ματαίων σεβασμάτων βλέπειν, ἐπαφῆκεν αὐτοῖς, ταῖς τῶν ἁγίων μαρτύρων ἐμφαιδρύνεσθαι μνήμαις καὶ εὐπαθεῖν καὶ ἀγάλλεσθαι.* *Orat. de vita Greg. Thaum. t.* 2. *p.* 1006. *ed. Paris.* Posteriori aetate, habemus egregium in ea re artificem Gregorium M., p. r., qui se ipse detegit ac nudat in ep. ad Augustinum monachum, quem fidei christianae propagandae causa ad Britones miserat, cum imaginibus, vexillis, aqua lustrali et id genus aliis rebus proxime ad naturam gentilismi venientibus, quibus regina maxime capta est. Lib. 8, ep. 11. registr. epp. p. 938. col. p. 9. 18. tom. 2. ed. Bened., quorum comment. vid. p. 909. Cfr. Mussard, *conformités des ceremonies modernes avec les anciennes*, statim ab initio, et, quae allatis plurimis exemplis tractat Suke in praef. libri *Midletoniani* germ. versi: *Uebereinstimmung des Papstthums mit dem Heidenthum.* Lips. 1738. 8.

**) Pro antiquitate festi pugnat Petavius de *Doctr. temp.* tom. 2. lib. 12, 7. Eman. Schelstraten in *Antiquit. eccl. illustr.* T. I. p. 39. diss. I. sed non ultra Augustinum et Chrysostomum progredi possunt. Famosus ille ac clamosus Gretserus, quando p. 217. *de fest. chr.* contra Hospinianum inanibus conviciis apostolicam traditionem festi defendit, urget in primis regulam Augustini: *cujus origo nescitur nec per generalia concilia constitutum est, illud antiquissimae et apostolicae est originis.* Sed homini stolido idem Augustinus opponi potest, qui eodem loco *ep. ad Januarium* (tom. 2. *Opp. ed. Benedict.* p. 93.) festa enumerans, quae ab universa, quacunque se diffundit, ecclesia celebrantur, natalem Christi silentio transmittit. Super quo loco notavimus quaedam in *progr.* de *Quinquagesima paschali.* Lips. 1752. 4. Ceterum quam tenaces Pontificii sint hujus sententiae de die 25. dec. tanquam natali Christi, ex variis coetus eorum ritibus intelligitur apud Edm. Martene *de eccl. ritibus*, ubi (tom. 2. p. 925. ed. *Mediol.*) renunciationis Armenorum formula inter alia refertur ad ecclesiam Romanam desciscentium, in qua haec continentur: *Si quis non celebrat annunciationem d. 25. mart. et d. 25. dec. Christi natale, anathema sit.*

***) In *ep. de nativit. Christi ad* Zachariam *Catholicum Armeniae* (*apud* Fr. Combefisium tom. 2. *auctarii novi biblioth.* PP. p. 47).

gustini*) verbis: *Natus autem Christus traditur* 8. *kal. jan.* Deinde Chrysostomum**) excitant, qui, Romanos, ait, habere hunc diem *ἄνωθεν* et ex tabulis census Augustei. Hoc: *ἄνωθεν* et illud: traditur neutrum altero gravius est. Debuerat unum saltem nominare Chrysosotmus, qui tabulas istas inspexisset nomenque Christi et nativitatis ejus diem ibi relatum legisset. Nonne miraculo est, eas in tanta rerum vicissitudine ac potius conversione ab interitu fuisse conservatas? Demus, conservatas fuisse atque adeo Christianos earum videndarum copiam habuisse; nonne a specie veri abhorret, his census Quiriniani tabulis omnium et singulorum infantum recens natorum et annum et diem et nomina fuisse comprehensa? Nonne illud denique precario sumitur, Christum, antequam parentes ejus nomina sua profiterentur, in lucem susceptum esse?

Nam non est de nihilo, scriptores sacros, quum ex Maria natum optimum Servatorem commemorant, neque annum neque mensem neque diem, quo editus est, prodidisse***). Non hic quaerimus, cur, quum

---

*) de trinit. 4, 5.

**) Homil. 33. (in Bened. Opp. T. II. p. 354.) ubi scribit: *οὕτω καὶ αὕτη ἡμέρα, παρὰ μὲν τοῖς τὴν ἑσπέραν οἰκοῦσιν ἄνωθεν γνωριζομένη, πρὸς ἡμᾶς δὲ κομισθεῖσα νῦν, καὶ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν ἀθρόον οὕτως ἀνέδραμε. κτλ.* Sed est mera conjectura, qua, ut erat magnus orator, augustiorem ei diei honorem apud suos conciliare voluit. Praeterea de tempore tantum illius census loquitur, quod ait, ex his tabulis perfecte planeque cognosci posse: *καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἔξεστιν ἐντυχόντα καὶ τὸν καιρὸν τῆς ἀπογραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς, εἰδέναι τὸν βουλόμενον.* — Edmundus Martene *rit. vet. eccl.* tom. 3 p. 90. ex hac Johannis Homilia constare putat, jam inde a primis temporibus ecclesiae, communi populorum consensu, non modo institutum fuisse festum natalis Domini, verum etiam sollennitati ejus hunc adsignatum diem 25. dec. Nam commemorari a Chrysostomo eum diem apud omnes populos a Thracia usque ad Gades ab initio statim celebratum, eundemque a Romanis ex codice illius judaici census agnitum fuisse. Quod ab homine pontificio credi et arripi non mirandum est; at illud justam admirationem habet, quod J. A. Bengelius eam coetus Romani sententiam de Christo, die 25. dec. nato, amplectendam sciscit, et Wilhelmus Langius de annis Christi p. 357. eandem non jam verisimilem, sed veram ac certam pronunciat. Non magis profecto hae tabulae acti a Quirinio census, Romae olim adservatae, quam illa Josephi, nescio cujus, chronographi ex Judaeis acta, quae a Tito Imp. Hierosolymis Romam deportata Julium p. r. consuluisse, magnus a fabulositate auctor Johannes Nicaenus scribit, fidem nobis fecerint de die 8. kal. jan.

***) Adsunt quidem characteres chronologici. Nam Christus natus est imperante Augusto Caesare, quo tempore census agebatur, Quirinius Syriae praesidebat et Herodes M. adhuc in vivis erat. Denique Christus annum aetatis agens tricesimum, qui incidit in Tiberii Caesaris annum imperii decimum quintum, sacrum munus auspicatus est. Sed contra hae oboriuntur difficultates. Incerti sunt, qui hic ad calculos sedent, an imperii Augustei annos a caede Julii Caesaris, an a primo Octaviani consulatu, an a primo ejus triumviratu numerare incipiant. Ex tribus illis vel quatuor ab Augusto factis in orbe romano descriptionibus, quas historici memorant, nulla est, quae in hoc tempus incidat. Vide patris mei Gottl. Wernsdorfii disp. *de censu, quem Caes. Octav. Aug. tempore nativitatis Christi per orbem terrarum fecit.* Viteb. 1693. et B. C. Richard, *de censu Augusti universe indicto* ibid. 1704. Quare quum *πᾶσα οἰκουμένη* interdum Palaestinam tantum denotet, alii peculiarem civium Hero-

principale tempus sacri Jesu ministerii tum aliis notis chronologicis, tum ab anno Tiberii imp. definiant*), diem initialem vitae ejus nobis reticuerint. Satis habemus, quod divino consilio factum est, prudentissime factum esse**). Illud ex eorum silentio confici volumus, nihil mi-

---

dis descriptionem, ab Augusto mandatam, intelligunt. Non P. Sulpitius Quirinius, sed Quinctilius Varus, aut, ut Tertullianus scribit, Sentius Saturninus tempore nati Christi praeses Syriam rexit. Quid igitur? Aut fuit Quirinius extra ordinem ad hunc censum agendum auctoritate Caesaris missus, in expeditione contra Hamoadenses, aut, quod C. A. Heumannus in diss. *de censu Antequiriniano* putat, hic census distinguendus est ab eo, qui XI. anno post habebatur, ut Lucas dicat, eum ante factum esse, quam illum Quirinianum, ob tumultus ortos in Judaea nobilem. Cui sententiae, etsi haec objecta difficultas est a Deylingio *Obs. sacr.* T. I. p. 32, quod is usus vocabuli πρώτη a consuetudine Graecorum abhorreat et ineptum scribendi genus Lucae tribuatur, quum nominandus fuisset, non, qui non egerit, sed qui egerit: tamen opponit Heumannus Joh. XIII. 22. Ἰούδας οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης. Conf. C. S. Georgii *Apparat. philol. theol. ad evangelia fest. et dominic.* Vol. I. p. 104. Herodem M., quidam brevi post natum Jesum mortuum putant, ut Sal. v. Til, qui purificationem Mariae cum morte Herodis conjungit, quidam integro anno et sex mensibus post decessisse volunt, ut Chr. Noldius, *in hist. Idumaea*, quae est ad calcem Josephi (T. II. p. 337. Haverc.). Vide Corn. Dit. Kochii *diss. de anno natali I. C. per nummum et fata Antipae Herodumque ceterorum demonstrato* p. 18. Non exacte definitus est numerus ille annorum Christi triginta. Addit enim Lucas ὡσεὶ, quod idem est ac: plus minus. Verba Lucae nuper admodum ita reddidit F. Stosch *in Exercitat. ad Luc.* 3, 23. (Vol. III. P. 3. *der Brem- und Verdischen Bibliothek*): *Et erat ipse Jesus circiter triginta annorum, quum inciperet, ut lege et more statutum erat, docere.* Ita neque ex hoc neque ex reliquis characteribus aliquid capi potest ad inveniendum annum et mensem nati Jesu Christi, quamquam propter illum Tiberii Caesaris annum imperii decimum quintum incidit annus aetatis Christi tricesimus in annum Julianum quadragesimum. Sed haec chronologica ejusmodi difficultatibus conflictantur. Vid. Marii Lupi *de notis chronologicis anni, moris et nativitatis J. C.* dissertt. II. Romae. 1743.

*) Luc. 3, 1. sunt characteres chronologici: annus decimus quintus imperii Caesaris Tiberii, Pilati procuratura Judaeae, tetrarcharum Galilaeae, Ituraeae, Trachonitidis, Abilenae nomina, pontificatus Hannae et Caiphae, annus aetatis Christi tricesimus.

**) Religioni quidem dierum, quae vehementior ac corruptior esse solet in festis, quae fixa sunt et immobilia, obstaculum oppositum est insuperabile. Quemadmodum et genethliacis divinationibus eorum, qui tentare ausi sunt calculis astrologicis et horoscopio subjicere nativitatem Servatoris nostri, ut discimus ex J. And. Schmidii diss. Jenae p. p. hoc tit.: *Thema Christi natalitium a nonnullis impie et absurde erectum.* Qui si tempus nati Christi planius atque accuratius definitum haberent, animis vulgi procul dubio speciosius impositurі essent. Eorum artem detestata est semper ecclesia, ut multis exemplis ostendit M. T. Grancolas *in notis ad versionem francogallicam Catech.* Cyrilli (Parisiis 1715. 4.) p. 108. *On a toujours condamné cette science dans l'église lorsqu'elle a voulu prédire avec assurance les choses casuelles, ou celles qui dépendent de la volonté de Dieu. Eusebe prouve comme S. Cyrille, que si les astres ont quelque pouvoir sur nous, nous ne sommes pas libres et nous ne pouvons ni mériter ni demériter, ou quil est inutile de prier etc.* Videtur etiam augere dignitatem historiae vitae Jesu illud sacrorum historicorum de ipsius die natali silentium. Impostores et sycophantae, minuta omnia persecuti fuissent et, quae numquam facta aut gesta essent, confinxissent. Quae Pontificiorum consuetudo sit, videmus. Quos ipsi sibi Sanctos fecerunt,

nus, quam diem 25. dec. natalem Christi praesumi posse. Quid enim verba Lucae nativitatem Jesu Christi narrantis habent, quod, non dico, eam opinionem adjuvet, sed ei non adversetur? Nam id ab aliis jam demonstratum est, greges ovium apud Judaeos quoque nunquam hiemis tempore sub dio pernoctasse *). Praeterea tempus hibernum diesque brevissimi vix convenire videntur agendo censui, cum peregrinationibus conjuncto.

Quomodo igitur primis ecclesiae temporibus dies natalis Christi cognitus fuerit, quum praesertim neque Apostoli neque alii Christo aequales de illo quidquam praeceperint, relicta, ut ait Socrates**), diei cujusque festi religione gratitudini eorum, qui beneficio se devinctos agnoscerent. Nam quod Evodius quidam, Apostolorum aetati suppar, diem 25. dec. natalem Christi esse, apud Nicephorum Callistum***) in fragmento quodam scribit, ei fidem habere, est magni fabulatoris auctoritate stare. Quae porro eundem diem nobis memorant Constitutiones apostolicae†), eas clarum est ementitio Clementis Romani

---

eorum vitas multis otiosis et inanibus et falsis narratiunculis exornant atque illustrant. Itaque si Legendarii non dubitarunt, fanaticum et insulsum praestigiatorem, Franciscum, parem facere summi Dei filio Jesu Christo, nisi forte de vero tempore natalis Christi dubitassent, eodem illum die, quo Christum in lucem editum fuissent nugaturi. Stigmata et miracula Christi, quam inepte ad Franciscum referantur, ostenderunt *Auctor* libri Amst. 1734. ed *L' Alcoran des Cordeliers*, et Phileleuth. Helveth. (i. e. P. *Zimmermann*) libro eodem anno foras dato *de miraculis, quae Pythag., Apollonio Tyan., Francisco Assisio, Ignatio Lojolae tribuuntur.*

*) Videlicet, quia et ipsam Judaeorum terram afflat acrior frigoris vis, praesertim ubi montibus abundat, in quibus maxime pascitur. Quid? quod ob injuriam coeli, greges octavo jam mense Marchesuan domenstica stabula occupare solitos, monuerunt Hadr. Relandus *Antiquitatt. sacr.* p. 373. et Sam. Bochart *Hierozoic.* I. II. c. 43. p. 415. Casaubonus quidem ad *Annal. Baron. Exercit.* 18. p. 480. observat, greges in Anglia per hibernos menses sub dio pasci, nec desunt, qui inusitatam hominum multitudinem, Bethlehemum confluentium, putent in causa fuisse, quare greges rus abacti fuerint. Neutrum tamen difficultatem tollit, ut evicerunt, quum alii, tum imprimis Sam. Basnagius *Exercit. hist. crit.* p. 216. et Joh. Harduinus in *Antirrhetico de num. ant.* p. 63.

**) L. 5. p. 291. ed. Reading. *τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα καὶ τὰς ἄλλας ἑορτάς τιμᾶν, τῇ εὐγνωμοσύνῃ τῶν εὐεργετηθέντων κατέλιπον.* Hoc quoque festum natalis Domini ab Apostolis profectum non esse, silentium eorum satis declarat.

***) Lib. 2. c. 3. fragmentum ex Evodii de *lumine* epistola exhibet, ubi haec ille de Maria: *Καὶ τίκτει τὸ φῶς τοῦ κόσμου χρόνων ὑπάρχουσα ιέ τῇ εἰκοστῇ πεμπτῃ τοῦ Δεκεμβρίου μηνός.* Sed plaustra fabularum ibidem reperias, ut baptismum a Christo soli Petro datum, Mariam anno aetatis tertio in templum delatam esse, ex quibus de reliquis spuriis istius Evodii narrationibus judicium ferre licet.

†) Clemens Romanus, cujus nomen mentiuntur Constitutiones Apostolorum l. 5. c. 3. natalem Chrtsti figit in diem 25. mensis noni. *Τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν φυλάσσητε, ἀδελφοὶ, καὶ πρώτην γε τὴν γενέθλιον, ἥτις ὑμῶν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ ἐννάτου μηνός.* Per mensem nonum autem observavit Cotelerius ad P. P. *Apostol.* T. I. p. 318. edit. *Clerici*, nobis intelligendum esse mensem decembrem. Nam ex c. 13. et 17. ejusdem libri demonstrat ille, nonum mensem eundem esse cum Juliano mense duodecimo.

nomine circumferri. Dudum enim a viris doctis planum factum est, eas vix quinti seculi foetum esse. Quis autem scriptori, falso, Apostolorum veluti jubentium, nomine nobis imponenti, de re ab ipsius memoria tam longe remota testimonium denunciabit?

Quod si natalem Christi antiquissimis temporibus ignorarunt, multo magis nescierint necesse est, eum die 25. dec. agendum esse et celebrandum. Imo vero, quo tempore coeptum est inquiri *περιεργότερον* **in diem natalem Christi, omnes, quorum sententias Clemens Alex.*) refert, inclinatioribus ad vernum tempus animis in mensem aprilem vel majum consenserunt.**

Qui si, quum propius abessent ab eorum aetate, quibus natalis Christi notior esse poterat, (nam illa *περιεργία* **seculi est p. Chr. n. II.)**

---

*) *Stromat.* l. l. p. 340. ed. *Colon.* *Εισὶ δὲ, οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες. ἥν φασιν ἔτους κη Αυγούστου, ἐν πέμπτῃ Πάχων καὶ εἰκάδι· οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, προδιανυκτερεύοντες ἀναγνώσεσι. Φασὶ δὲ εἶναι τὸ πεντεκαιδέκατον ἔτος Τιβερίου Καίσαρος, τὴν πεντεκαιδεκάτην τοῦ Τυβὶ μηνός. Τινὲς δὲ αὐτὴν ἑνδεκάτην τοῦ αὐτοῦ μηνός, τότε πάθος αὐτοῦ ἀκριβολογούμενοι φέρουσιν, οἱ μέν τινες, τῷ ἑκκαιδεκάτῳ ἔτει Τιβερίου Καίσαρος, Φαμενὰθ κέ, οἱ δὲ Φαρμουθὶ κέ· ἄλλοι δὲ Φαρμουθὶ ιθ' πεπονθέναι τὸν Σωτῆρα λέγουσιν· ναὶ μὴν τινες αὐτῶν φασι Φαρμουθὶ γεγενῆσθαι κδ', ἢ κέ.* Hoc memorabili loco quum recenset Clemens varias sententias eorum, qui suo tempore *curiosius* in diem Christi natalem inquisiverint, eam primo statim loco commemorat, quae die 25. Pachonis, qui in diem 25. maii incidit, natum Christum statuit. Quam sententiam ait communiorem esse inter Catholicos, etsi neque suum ipse judicium interponit neque ad sententiam cujusquam accedit. Itaque, qui ex antiqua traditione vernum tempus malunt, ii auctoritate ipsius Clementis uti non possunt, quod tamen factum est ab Alphons. de Vignoles diss. *touchant le jour de noel, dans* (*Bibliotheque Germanique*. T. II. p. 30.) ubi ait: sententiam de die 20. maji antiquissima traditione niti adeoque omnibus aliis esse praeferendam. Verum si Alexandrini certi et constantes in eadem sententia fuissent, profecto passi non essent, quo tempore sacris publicis celebrari coepit natalis Christi, alium ejus diem sibi praescribi. Nam principio egerunt illum die 6. jan., quo postea repudiato, et quidem seculo p. Chr. n. V., diem adsumserunt 25. dec. — Verba Clementis nihil habent, ex quo quis argumentari possit pro alterutra sententia aut diei 6. jan. aut diei 25. dec. Nam in enarrandis plurimis veterum conjecturis et traditionibus januarium mensem solis Basilidianis tribuit, minime id facturus aut sententiam saltem in dubio non relicturus, si, ut quidam existimant, opinionem de die 6. jan. certis indiciis Apostolorum auctoritate nixam et fundatam comperisset. De die 25. dec. jam plane silet, quum, si qui Christianorum ipsius tempore in ea sententia fuissent, id nullo modo fugere potuisset hominis litteratissimi studium talia undique conquirendi. Ut adeo, qui natalem Domini hiberno tempore definiunt, auctoritate Clementis non modo non defendantur, sed etiam oppugnentur. Ceterum *praecipuas veterum de die Jesu Christi natali sententias* recensuit b. pater meus, *progr. fest. nativit. Chr.* (Witeb. 1728) quod item factum est a Thoma Ittigio, dissert III. *de ritu festum nativitatis Christi die* 25. *dec. celebrandi ejusque antiquitate*, Append. dissert. de *Haeresiarchis aevi apostolici* p. 386 ss. — Eo loco, qui hanc de die natali Christi disputationem proxime antecedit, dixerat Clemens, a tempore nati Christi usque ad mortem Commodi Imp. annos esse 194, mensem 1, dies 13. Ex quibus verbis eruere diem nati Christi voluerat Sal. v. Til, *diss. de natali Christi* p. 31. Sed ostendit ei Sam. Basnage, *Annal.* T. I. 119., non modo locum in mendo cubare, verum etiam Clementem uti Alexandrina epocha, vel ratione, annum a mense julio numerandi.

de die 25. dec. ne suspicati quidem sunt, seculi credo IV. fuit, judicium ea de re sibi sumere, superiorum opiniones refellere, absconditam rei veritatem patefacere. Nam illa ejus seculi de Zacharia, Johannis baptistae patre, opinio, fuisse eum pontificem maximum, cui anniversario expiationis die sacra facienti angelus apparuerit, unde tempus conceptionis tum Johannis tum Christi colligendum putarunt, longissime a veritate abest *), quum et narrationi Lucae et historiae contraria sit, quam Josephus narrat, successionis pontificum judaicorum **). Pii et ingeniosi patres ecclesiae hoc ita excogitarunt, quo sanctior apud populum haberetur dies 25. dec. ***). Nos etsi eum diem omni observantia colimus, non tamen idcirco eum verum natalem Christi esse aut credi volumus.

Qui e recentioribus in diem natalem Servatoris inquisiverunt, diversis investigandi viis ac rationibus usi, plerique omnes tempus autumnale, multi etiam vernum aut aestivum adeo invenerunt, paucissimis ad brumam et subobscure accedentibus. Nam tanta est et tam secum discrepans multitudo eorum, qui hanc quaestionem pertractarunt, ut nullum anni mensem reperias, pro quo non sententia stet alicujus docti viri †). Quod varia et diversa investigandi ratione accidit ††). Nam alius ex tempore mortis Herodis M. et ex conventu Berytensi †††), alius

---

*) Nam dies expiationis erat X. Tisri, qui nobis hodie kal. octobr. Post quem si ponimus Johannem conceptum fuisse, Christus, qui sex mensibus Johanne minor erat, conceptus erit die 25. dec. In loco quidem Joh. 3, 20. videbantur sibi veteres rationem deprehendisse referendi natalem Johannis ad solstitium, quo tempore incipiunt dies minui, Christi contra ad brumam, quo tempore incipiunt dies crescere. Quod luculente probant Augustini verba in ps. 132. (T. IV. p. 1113.) *Ille*, inquit, Johannem intelligens, *natus est, sicut tradit ecclesia,* 8 *kal. julias, quum jam incipiunt minui dies, Dominus autem natus* 8. *kal. jan., quando jam dies incipiunt crescere. Audi ipsum Johannem confitentem: illum oportet crescere, me autem minui.* Chrysostomus (Hom. 33.) firmiter credit, consuetudinem celebrandi 8, kal. jan. natalem Domini, hoc maxime argumento probari, quare multus et copiosus est in eo explicando atque illustrando Cf. C. A. Heumann *de fictitio Johannis pontificatu maximo* in Primit. Gotting. p. 5.

**) Demonstrarunt hoc inprimis Herm. Witsius *Miscell.* T. I. p. 284. et Frid. Spanhemius *Dub. evang.* P. II. p. 210. Ipse quoque Joh. Alb. Bengelius *Harm. evang.* p. 74. quamvis patrocinetur sententiae de die 25. dec., fatetur tamen, hoc argumentum ad defendendam antiquam consuetudinem sequioribus temporibus adhibitum fuisse.

***) Joh. Nicaenus c. l. orsus longam fabulam pro die 25. dec. hac falsa persuasione veterum inprimis nititur. Quod fecit etiam Theorianus *in Disput. cum Cathol. Armen.* apud Cotelerium, T. I. PP. apost. p. 313.

†) Ostendit hoc Joh. Frid. Mayerus *in Diss. de eo, quod quilibet anni mensis gloriam nati Servatoris ambitiose sibi asserat.* Gryphisw. 1701. 4. ex qua variorum opiniones in tabula exhibet Joh. Alb. Fabricius, *Bibliograph. antiquar.* p. p. 347.

††) Ad octo genera usitatas investigandi natalem Christi rationes redegit easque succincta narratione persequitur Baumgarten *de mense dieque nati Christi.* Halae 1740. 4. Sed excussis momentoque suo ponderatis conjecturarum cujusque rationibus illud pronunciat: *Fecistis probe, incertior sum multo, quam dudum.* Itaque cum Scaligero fatetur, ignorari diem natalem Christi.

†††) Vt Joh. Gottl. Heineccius, *de genuina nativit. J. C. aera.*

ex ephemeriarum sacerdotum judaicorum ordine *), alius ex fastis judaicis et ex ratione typica festorum V. T.**), alius aliunde sibi hausit aliquam notam veri dispiciendi. Ex quibus nobis (audebimus enim judicium nostrum interponere) sententia maxime placet eorum, qui natalem Domini collocant in dies festos tabernaculorum, hodie septembris nostri ***).

Neque enim tantum analogiam, ut inter pascha V. et N. T. et inter festum primitiarum et pentecostes, ita inter festum tabernaculorum et nativitatis Christi deprehendimus †), verum etiam ipsi sacri libri eo nos ducere videntur ††). Neque illud nihil est, quod haec sententia magnos

---

Opp. var. Sylloge. Exerc. II. et Pet. Allix. diatr. *de anno et mense nat. I. C.* p. 151., qui tempus mortis Herodis circa pascha ponunt, an. Jul. 32. et censum per Judaeam actum putant aestivis mensibus anni 40. ante conventum Berytensem secundum, cui Quirinius non interfuit. Sed hi mensem, non etiam diem definiunt. Hinc Nath. Lardnerus *de fid. evang.* 2. p. 342. et Harduinus in *Antirrh.* p. 60. alia nova supputatione mensem septembrem eruunt.

*) Exputavit Scaliger tempus conceptionis Joh. baptistae atque adeo Christi ex ephemeriarum sacerdotum ordine, *de emend. temp. isagog.* l. III. p. 303. Nam, quum 23. illae classes sacerdotum per vices sacra fecerint, Zacharias de classe Abiae vices habuit die 23. jul. Quo computo sequitur, natalem Christi in octobrem incidere. Probabiliorem hunc computum, termino supputationis a destructione templi Hierosolymitani sumto, fecit J. C. Wagenseil *Obs. in cod. Sota* p. 942.

**) Putat. Joh. Lightfoot (*Harm. evang.* in *Luc. II.*17. T. I. p. 280) mense Tisri, nostro septembri, et mundi et peccati origines obtigisse, natales patrum antediluvianorum accidisse, annum jubilaeum initium duxisse, aeram incepisse a creatione ad exitum in Aegypto, instituta eo mense tria festa, tubarum, expiationis, tabernaculorum. Itaque die 25. septembris tabernaculorum festo natum esse Christum, et novam servitutis Romanae periodum apud Judaeos, censu ab Augusto imperato, incepisse. Denique quatuor anni cardines conceptionibus et nativitatibus Johannis bapt. et Christi condecorari.

***) Post Scaligerum primus ex theologis hanc sententiam protulit et festum tabernac. judaic. cum festo nativitatis J. C. contulit J. B. Capzovius, *progr. Lips.* 1698. Rem altius repetiit et planius declaravit Aug. Quir. Rivinus: *Vom wahren Alter der Welt und unsers Heilands.* Lips. 1721. Eandem sententiam confirmat Sigm. Ferd. Weismüller diss. *de festo tabernac. N. T. in festo nativit. Christi celebrando.* Altorfii 1721. 4.

†) Reperierunt viri docti, maxima festa Judaica peperisse maxima festa Christianorum. Vident admirandam inter pascha V. et N. T. analogiam, liberationem illic a vexatione ac crudelitate Pharaonis, hic a tyrannide Satanae, atque a peccato et maledictione legis. Vident in Pentecoste N. T. antitypum veteris illius primitiarum festi, quo ipso festo primitiae Sp. S. in Apostolos effusae largam ecclesiae segetem tulerunt hominum ad tria millia θεηλάτῳ ardore effervescentis in dicendo Petri conversorum *Act.* 2, 41. Ita etiam in festo tabernaculorum typum festi nativitatis J. C. inveniunt, quod pluribus demonstravit Weismüller, l. l.

††) Ait Jesaias c. 8: *populus in tenebris ambulans lucem magnam videt* etc. addens evangelium: *infans nobis natus est.* Quod oraculum ipse Messias, in medio civium constitutus et a paucis agnitus, quum verba faceret ipso die natali suo, i. e. tabernaculorum feriis, in se impletum diserte testatur: ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου, cum particula demonstrativa. Joh. 6, 14; 8, 12; 10, 12. Alio autem, quam festi tabernaculorum tempore, illud τὸ non addidit Joh. 9, 5; 12, 46. Hinc illa tabernaculum in nobis ponentis λόγου cum idea lucis perpetua connexio Joh. 1. Accendebantur nimirum ultimo et magnificentissimo festi tabernaculorum die lucernae, quae in urbe sacra platearum caligi-

viros et chronologos acutissimos auctores nacta est et defensores *). Nam illud plane singulare est, quod, qui diversissima ratione calculos posuerant ad exquirendum natalem Christi, praeter opinionem suam eodem collineaverint **).

Nihil autem facilius fieri potuit, quam ut verum tempus natalis Christi veteres ignorarent, nullo tribus primis seculis festo nativitatis Domini constituto. In qua festorum christianorum velut parsimonia seculo p. Chr. n. IV. ineunte coepta est publice celebrari nativitas Domini, die 6. jan. conjunctim cum trium beneficiorum memoria, manifestationis in baptismo, in adventu magorum et in nuptiis Cananiticis miraculo edito ***). Qui dies propterea, quod ἐφάνη ὁ Θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννή-

---

nem dissipabant, qui ritus Messiae verbis ad antitypum applicatus videtur. Nonne autem Johannes tempus et diem natalem Christi, quem reliqui tres ejus vitae scriptores praetereunt, isto unico verbo satis indicat: ὁ λόγος ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Quo quidem verbo demonstrat, tentoriorum Judaicorum antitypum in Jesu quaerendum esse, in quo habitaret *plenitudo divinitatis corporaliter* Col. I. 2. et qui ipse tabernac. festo in carne apparens maximis gentium plausibus, occasione festi laetissimi, exceptus esset. Innotuerat enim promissus Messias piis V. T. sub titulo tabernaculi, quemadmodum Petrus Allix e reconditis sapientiae judaicae thesauris contra Socinianos ostendit, τὸν λόγον ὑποστατικὸν tabernaculi nomine in V. T. fuisse insignitum. Itaque vult Johannes: eadem trinitatis persona, quae scriptorum popularium testimonio, Verbi nomine patribus nota, ab Abrahamo visa, cum Jacobo conflictata, ab Israelitis adorata fuit, quae hos eosdem ex servitute Aegyptiaca in libertatem vindicavit et in Arabiae desertis, jam nubes jam flamma duxit, quae inter Cherubim resedit et quae tanquam tabernaculum divinitatis in homine stupendum, ipso tabernac. festo tabernaculum suum in nobis posuit, ut ipsius ductu atque auxilio ad aeterna illa tabernacula, infinitis gaudiis nos completura, quam felicissime penetrare possimus. Credo igitur, non quod certo sciam, sed quod rationabilius errabo, si erro, diem 15. Tisri hodie 7. octobr. nostri, qui primus erat festi tabernaculorum (*Num.* 29, 12), esse natalem J. C. aut, ne Quintadecimanus videar, esse ultimum festi diem, qui aeque ac primus maxime sollennis erat. Primo igitur ineuntis anni civilis mense, quo veteres mundum creatum et conditum crediderunt, rex apparuit, qui epocham aeternae salutis inchoaret. V. Lightfooti l. c. sententiam, in qua, licet multa sumat, innixus fallaci traditioni Judaeorum, quaedam tamen insunt ad sententiam nostram confirmandam idonea. Neque enim judicio hac in re acquiesco Baumgartenii progr. cit. contentionem ac comparationem festi tabernaculorum cum incarnatione *Joh.* I. 14. ingeniosiorem, quam veriorem dicentis, quemadmodum nec omnia libelli *Riviniani* placita velim admittere.

*) Erasmum Schmidium ad Joh. III. 30. Joh. Harduinum in *Antirrh.* Lightfootum l. c., quo etiam referendi sunt, qui tabernaculorum festo Christum natum dicunt, etsi sub initium octobris, ut Math. Beroaldus, Jos. Scaliger, Is. Casaubonus, Seth. Calvisius.

**) Ita, qui ex tempore census Quiriniani eruere ac colligere tempus nativitatis J. C. voluerunt, quando posuerunt, Quirinium post conventum Berytensem, ultimis mensibus imperii Saturnini, ante Q. Vari adventum, censum egisse, invenerunt mensem *septembrem*, ut Harduinus, Lardnerus. Ita quoque, qui sumto tempore publici ministerii Christi duorum annorum cum dimidio tertii ex Dan. 9, 27. et fixo ejus baptismo in annum aetatis 30. totam vitam in his terris Christi 32 annis et sex mensibus, quot olim David Hierosolymis regnavit (2. Sam. 5, 4.) definierunt, atque adeo rationibus a morte ejus retro supputatis, diem 15. Septembris effecerunt, ut Lightfootus.

***) Vide Jos. Binghami *Orig. s. antiquit. eccl.* Vol. 9. p. 67. Refert

σεως, *Epiphania* vel etiam *Theophania*, vocabulis ex gentilismo in christianum ductis*), dies *luminarium*, *ἡ ἁγία τῶν φώτων ἡμέρα*, propter *φωτισμὸν*, sive baptismum Domini, et propter *τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὅ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον*, dicebatur**).

Quod festum, si prisci Orientales, ut Johannes Nicaenus***) fabulatur, ab Jacobo apostolo in istum diem 6. jan. fixum et statutum credidissent, nunquam profecto, ecclesiae Occidentalis exemplo commoti, die 25. dec. nativitatem Domini celebrassent. Nam licet illa Orientalium consuetudo tam late se diffuderit†), ut eam sec. IV. in ecclesiis quoque Gallicanis obtinuisse reperiamus††), tamen contraria est rei veritati, quum neque credibile sit, Christum eodem annuo die natali suo et aquis Jordani lustratum esse, et miraculum Cananiticum edidisse, neque magi videantur ipso statim nativitatis ejus die supplicatum venisse. Sed quum nihilo propius ad verum tempus accedat Romana diei 25. dec. ordinatio, quam sibi tandem omnes totius christiani orbis ecclesiae sequendam existimarunt, videamus nunc, qua ratione quibusque auctoribus in eum diem invecta fuerit nativitatis Christi sollennitas.

Brumam sive solstitium brumale peragi die 25. dec. antiquorum astrologorum ratio docuit, quam auctoritate Caesaris Dictatoris veteres Romani secuti sunt, ut ex Servio†††), Plinio†*) et Columella†**) patet. Eum brumae diem non modo ipsum Romani sacrum

---

Montacutius (T. I. *Orig. eccl.* p. 349. et 395.) in Anglicanis ecclesiis hodieque una die beneficii triplicis memoriam celebrari. Legi enim consuevisse ad matutinas lectionem e Luc. 3. de Jesu aquis Jordanis lustrato: ad vespertinas e Joh. 3. historiam de miraculo Christi in nuptiis Canae edito: et ad evangelium historiam de adventu magorum Christum adorantium.

*) Suidas ait: *Ἐπιφάνειά ἐστιν ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία.* Vide Joh. Paul Hebenstreit Diss. *de Epiphania et Epiphaniis apud Christianos et Gentiles sic dictis*. Jenae 1693. Joh. Kindleri *τὰ ἐπιφάνεια*. Witt. 1684. Henr. Blumenbachii *Antiquitates Epiphaniorum*. Lips. 1737. Qua ratione vocabula ex gentilismo in christianismum derivata fuerint, docent Casaubonus *Exercit.* II. p. 166. et Suicerus *Thes. Eccl.* T. I. p. 1196.

**) Gregor. Nazianzenus *Orat.* 38. in *sancta lumina* T. I. p. 624.

***) Moris celebrandi natalem Christi 6. jan. auctorem facit Jacobum apost. Joh. Nicaenus ep. cit.; sed scriptor seculi XI. nihil de re tam antiqua certi pronunciare potuit. Quamquam non sumus nescii, hanc veterum consuetudinem fuisse, ut morem quemcunque paulo antiquiorem a suis quaeque gens primis doctoribus manasse gloriaretur. Ita Alexandrini Marco, Asiatici Johanne, Hierosolymitani Jacobo auctoribus nitebantur ac superbiebant.

†) Caes. Baronius *Appar. Annal. sect.* 105. p. 40 et Pagi ad eum contendunt, Clementem *Alex.* et Eusebium hist. eccl. I. 5. existimasse, 6. jan. Christum natum esse. Cassianus *Collat.* X. c. 2. omnes Aegypti provincias Epiphaniorum nomine intelligere natalem Christi memorat. Cf. Epiphanius *Haeres.* 51, 2.

††) Narrat Ammianus Marcellinus lib. 20, p. 194. *Julianum Apostat.*, quum in Gallia fuisset, *mense januario in epiphania progressum in ecclesiam* fuisse. Cujus rei mentionem faciens Zonaras (*Annal.* T. II. c. 3, 11.) diem illum *τὴν γενέθλιον τοῦ Σωτῆρος ἡμέραν* vocat.

†††) Ad Virg. Georg. I. 211. *Bruma*, inquit, *finitur octavo kal. jan. die.* it. ad. Aeneid. 7, 720. *Proprie sol novus est octavo kal. jan.*

†*) H. n. 18, 25. *Bruma capricorni ad octavum kal. jan. fere.* Cf. et c. 27.

†**) De re rust. l. 8, 14.

habuerunt, sed etiam, qui eum praecedebant, dies non paucos sacris publicis ludisque ac conviviis sollennibus transegerunt. Saturnalia enim a die 17. dec. usque ad brumam effusissimis in omnem laetitiam animis agitabantur*). Ac brumae quidem die natalem celebrarant solis, existimantes, quo tempore dierum spatia augescerent, decrescerent noctium, etiam solem rursus renovari et quodammodo renasci**). Qui dies, quum in ethnicae vetustatis kalendario quodam***) Natalis Invicti †) appelletur: ea res, dici non potest, quantum exercuerit ingenia doctorum, interpretantibus aliis diem natalem Constantini ††), aliis Constantii †††). Sed verior ac rectior sententia est eorum, qui putant, intelligendum esse hunc ipsum solis novi diem apud Romanos variis spectaculorum generibus celebratum †*). Nam ita eum diem a profanis gentibus appellari solitum, auctores sunt ipsi veteres ecclesiae patres †**). Neque nos dubi-

---

*) Macrobius *Saturn.* I. 7. Hinc Catullus 14, 15. *Saturnalibus optimo dierum* Cfr. Ge. Theoph. Boerneri diss. de Saturnalibus et Justi Lipsii *Saturnal. Sermon.* 1, 4—5.

**) *Solem*, quando reflexo ab austro cursu ad septentriones progreditur, nasci dictum, constat ex Macrob. *Saturn.* I, 21, ubi ait: *Tempus, quo angusta lux est, significatur, quum ad minimum diei sol pervenit spatium, quod veteres appellavere brumale solstitium, brumam a brevitate dierum cognominantes, id est, βραχὺ ἦμαρ. Ex quibus latebris vel angustiis emergens, ad aestivum haemisphaerium, tanquam enascens in augmenta porrigitur et tunc ad regnum suum pervenisse jam creditur.* Censorinus *de die natali* c. 21. p. 157. ed. Lindenbrog. Varro *de ling. lat.* l. 5. p. 49. Servius c. l. *novum solem* vocant, quem Macrobius *enascentem*.

***) Vetustissimi hujus kalendarii, quod circa medium seculi p. Chr. n. IV. compositum esse videtur, exemplum primus ex Joh. Ge. Hervarti *ab Hochenbourg* museo protulit Petavius in *Uranolog.* postea Aegid. Bucherius *de doctr. temp.* p. 279. denique Pet. Lambecius *Biblioth. Vindob. Comment.* tom. 4. p. 227. quorum exempla variis ipsorum commentariis illustrata conjunctim exhibuit Henr. Leon. Schurzfleischius, ad calcem *Commentar. de anno Romanor. Juliano* Viteb. 1704. editi p. 266—369. Novissime repetiit Jo. Ge. Graevius *Thes. Antiq. Rom.* Tom. 8 p. 97.

†) Addita d. 25. dec. verba N. Invicti erudite interpretatus est Anonymus quidam in *Progr. fest. nat. J. C. Helmst.* 1733. 4. Pari ratione eundem *natalem invicti vetusto in kalendario Romano obvium.* progr. biga illustravit Jo. Chrstoph. Macher, quae *Gerae* 1753. prodierunt. Vide quoque Ge. Chr. Hambergeri disp. praeside Jo. Matthia Gesnero *Gottingae* 1751. habitam, prodromum majoris operis, cui titulus: *Rituum, quos Rom. ecclesia a majoribus suis gentilibus in sua sacra transtulit enarratio.* Sect. de festo nativit. I. C. p. 29.

††) Ita Steph. Baluzius et Gisb. Cuperus ad Lactant. *de mort. persecut.* p. 193. Occurrunt autem isto in kalendario tres natales Constantini, ubi semper ponitur nomen imperatoris, non vox Invicti, magno sane argumento, natalem invicti ad Constantinum non pertinere.

†††) Lambecius apud *Schurzfl.* p. 318. putat cum Bucherio diem indicari, quo Veteranione a 351. deposito, invictus appellatus sit Constantius, eoque nomine ad Idatii *Fastos Cons.* provocat p. 55. Sirmond. edit.

†*) Ita Graevius in notis ad Lactant. *de mort. persecutor.* p. 185. Macher *progr.* 1. supra cit.

†**) Auctor Homil. in Luc. *de Nativ. Joh. Bapt.*, quae Chrysostomo tribuitur et in ed Venet. Opp. illius T. II. p. 432. reperitur, ait: *Sed et Invicti natalem appellant. Quis utique tam invictus, nisi Dominus noster, qui mortem subactam devicit? Vel quod dicunt* solis esse natalem; *ipse est*

tare sinunt, qui hodie reliqui habentur *) numi et lapides **), qui eadem invicti appellatione solem et ipsi quoque afficiunt. Sane, qui perpendit, solem in conficiendo suo cursu nullis, ut ita dicam, laboribus defatigari, quin semper idem redeat eandemque lucem rebus ministret, ei non ineleganter pro superstitione veterum *sol invictus* dici potuisse videbitur. Ita autem hoc tanquam proprium solis nomen esse voluerunt, ut id nunquam fere aliis diis tributum reperiamus, nisi quos ex eorum opinione illud principale naturae regimen continebat.

Illud memorabile est, doctrina christiana invalescente, quum paganos tot monstrorum, quae pro diis colebant, pudere incepisset, eos hoc colore usos esse, ut omnes fere deos ad solem revocarent ***), cujus varios effectus pro variis censeri numinibus volebant †). Quare, quum etiam Jovi, Herculi, Marti aliisque diis nomen invicti tributum variis in

---

sol justitiae, de quo Malachias propheta dixit. Cf. Augustini Serm. VII. in Nat. Dom. T. V. p. 620. it. Jo. Braunii *Select. Sacr.* l. 4. c. 8. n. 113. p. 461.

*) Vide Jo. Harduinum in *Anthirretico de numis antiquis colon. et municip.* p. 66. Occurrit nomen invicti in numis Impp. Macrini, Aureliani, Gordiani, Constantini: quod, ubi absolute positum legitur, nulla alicujus numinis mentione facta, semper de sole est accipiendum. Qui nuperrime rationem invenisse se putat, notas non anni tantum, sed etiam diei, quo cusi essent, in antiquis numis cognoscendi, Wilh. Stuckley Carausii Imp. numos cum epigraphe: Oriens Aug. nescio quam verisimile faciat cusos esse 25. dec. Mithrae, sive soli invicto sacro, *the medallic history of M. Aur. Valer. Carausius, Emperor in Britain* (Lond. 1757.) p. 102.

**) Inscriptiones veterum apud Gruterum, Reinesium, Sponium extant eam in rem plurimae. Ita Gruterus *Inscript.* T. I. p. 33. n. 9.

ΗΛΙΩι
ΜΙΘΡΑι
ΑΝΙΚΗΤΩι

et n. 6. SOLI INVICTO
ET LUNAE AETERNAE

Ita in REINES. Ep. p. 644. legitur:

SOLI INVICTO
MITHRAE
VESTALIS
CAES. N. SER
ET C. VESTIUS
AUGUSTALIS
D. D.

et ibidem p. 334. C. Julius Caes. Deo Soli Invicto altare ponit. Vid. Ant. V. Dale diss. 8. *ad antiquitatt. et marmora* p. 16.

***) Macrobius *Saturn.* l. I. c. 17. (p. 236. edit. Paris. 1585. 8.) id testatur: *Quod omnes paene Deos duntaxat, qui sub coelo sunt, ad solem referant, non vana superstitio, sed ratio divina commendat. Si enim sol, ut veteribus placuit, dux et moderator est luminum reliquorum et solus stellis errantibus praestat; ipsarum vero stellarum cursus ordinem rerum humanarum, ut quibusdam videtur, pro potestate disponunt: necesse est, ut solem, qui moderatur nostra moderantes, omnium, quae circa nos geruntur, fateamur auctorem — — ita diversae virtutes solis nomina diis dederunt, unde ἓν τὸ πᾶν sapientum principes prodiderunt.*

†) Macrob. c. l.

locis Macrobii reperiamus*), hoc magis intelligitur illud tanquam proprium ad solem pertinuisse.

Itaque invicti hujus natalem quantopere gentes coluerint, illud indicio est, quod pleraeque earum, inprimis septentrionales, annum a bruma inchoarunt et quae eam antegrediebatur noctem singulari quodam elogio et cultu eximiam habuerunt. Graecos quidem et inde ab Numae Pompilii temporibus Romanos itidem annum a bruma incepisse, idonei auctores memorant**). Idem de Germanis Tacitus***), de Anglosaxonibus Beda†), de Gothis Danisque Procopius††) et Wormius†††) testantur. Unde apud septentrionis populos natalis iste solis non ei tantum mensi, in quem incidebat, verum etiam sequenti, quo scilicet solis adpropinquantis reditus magis etiam in sensus incurrebat, peculiaria quaedam nomina peperit†*). Quarum gentium quanta religio fuerit in veneratione solis, tristitiam et asperitatem coeli splendore ac calore suo discutientis, hoc quoque declarat, quod natalem invicti proprio vel perpetuo titulo *Modra nect*, ut Beda habet†**), indicarunt. Est autem nox

---

*) L. I. c. 17. 19. 23. 27. vide Vossium *de orig. et progr. idololat.* l. 2. c. 12. 15.

**) De Graecis ex *Plutarcho* Petavius *Doctr. temp.* l. 1. c. 10. probat: de Romanis autem ex Ovidii *Fast.* I, 163. constat:

Bruma novi prima est, veterisque novissima solis
Principium capiunt Phoebus et annus idem.

***) *De mor. Germ.* c. 26. ubi de anni temporibus loquitur, ab hieme incipit. Cf. Cluverii *Germ. antiq.* 1. 33. Hujus consuetudinis inchoandi annum a natali invicti sive nativitate Christi vestigia crebra in medio, quod vocant, aevo apud Germanos deprehendas. Ita annalium conditores ab hac nativitatis Christi sollennitate martyrologia, kalendaria ordiuntur. Ita et Albericus *Chron.* ed. a. 1145: *hoc anno incipiente in ipsa sacrosancta nativitatis J. C. sollennitate etc.* Ad a. 1146: *Sicque in orbem rediens nativitatem Domini celebravit, ibidemque incipiente anno* 1146. *etc.* Cf. Haltausii *Calend. med. aevi* p. 23.

†) De tempor. ratione c. 15. *Incipiebant annum ab 8. kal. jan. die, ubi nunc natale Domini celebramus.* Cfr. *in antiq. scriptor de ratione paschali observatt.* (Amst. 1734. 4.) p. 274. Eum in modum Annalistas Anglosaxones omnes computare annum, dicit Spelmann Glossar. p. 418.

††) *De bello Goth.* l. 2. p. 441. ubi etiam de incolis insulae *Thule* id non obscure innuit. Cfr. Rudbeck *Atlant.* P. I. c. 5.

†††) *Danic. fastorum.* II. c. 9. In scipionibus runicis annus a festo Juel incipit h. e. 25. dec. s. natali invicti. Vide Petri Elvii *ideam scipionis runici* p. 15. Talem exhibuit Wormius c. l., ubi ait p. 109: *Festum nativit. J. C. initium praebet horum fastorum, tum quod anni civilis Danorum initium ante aliquot secula extiterit, tum quod antiquiores fasti constanter illud retineant; ut taceam solstitium hibernum, quo sol cursum suum ad nos dirigit, in hoc anni tempus olim incidisse, quo potissimum veteres respexisse arbitror.*

†*) Beda *de Rat. temp.* c. 13. Saxones, refert, decembrem *Giuli priorem*, januarii Giuli posteriorem appellasse a *conversione solis in auctum diei, quo unus eorum praecedat, alius subsequatur.* Ipse sol ab Ulphila dictus est Jul, eo, quod instar rotae agitari et circum terram volvi videtur. Nam Giul apud Britones Gothosque rotam significat. Cfr. *Versionem quatuor evangel. Goth. et Anglosax.* ex Fr. Junii edit. ibique notas Thomae Mareschalli p. 520. et Rudbeck. P. I. c. 28. p. 898. Hinc Loccenius *in Antiq. Sueogoth.* c. 5. p. 35. observat in scipione runico diei 25. dec. superimpositum esse rotae signum.

†**) L. c. c. 15. *Modranect.* i. e. *matrem appellabant noctem ob cau-*

matris idem, ac Mithrae sive solis dies. Nam veteres Germani quemadmodum ejus consuetudinis reliquiae in vocabulis *Weihnachten* et *Fastnachten* supersunt*), temporis spatia non dierum appellatione, sed noctium definierunt. Quae illorum erga hunc invicti natalem reverentia effecit illud etiam, ut dies eum proxime insequentes duodecim singulari cura et diligentia observarent ac numerarent**), opinor, non quod efficaciam eis vel sanctitatem aliquam superstitiose attribuerent, sed plane, quia solis in dierum augmentum conversi reditus non nisi a speculantibus per illam dodecaden animadverti potest***).

---

sam, ut suspicamur, ceremoniarum, quas in ea pervigiles agebant. Jos. Scaliger *de emend. temp.* l. 2. p. 170. putat, dictum fuisse νυκτομήτορα, *quasi illa esset parens et princeps omnium reliquarum noctium, utpote a qua caput anni civilis sumeretur.* Sed rectius redditur *nox matris*, idem ut sit, ac matris dies. Vocabulum noctis apud Anglosaxones aliosque populos Germanos semper de die intelligendum est. *Computabant enim non dierum numerum*, (auctore Tacito de mor. Germ. c. 11.) *sed noctium*, ut nox ducere diem videretur, vix alia ratione, ac de Gallis Caesar. de bell. gall. 6, 18: *Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt, et dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Dies autem matris erat dies *Mithrae.* Vox Mithrae est Persicum *Mader*, et Graecum μήτηρ, cui respondet Germanorum *Mutter.* Linguae enim Germanorum cum veteri Persarum convenientiam pridem agnovit Salmasius *de ling. hellenist.* 2, 3, p. 395. Hanc matrem Persarum Germani idololatrae in dearum numero habuerunt; hanc septentrionis populi cum Persis tanquam feminam mirae foecunditatis coluerunt: unde vocabulum *Sol* hodieque apud nos est feminini generis, luna contra masculini: *die Sonne, der Mond.* Vid. Mareschalli *observatt.* ad quatuor Evang. Goth. et Anglosax. p. 512. Quae Mithra-dea, ut ex Herodoto discimus, divino a Persis cultu inde ab antiquissimis temporibus affecta est. Hadr. Relando (*diss. miscell.* p. II. p. 200.) dea Nanaea, quia *Nanae* Persis est mater, eadem, quae Mithra videtur. An vero per *reginam coeli* Jerem. 7, 18; 44, 17, 25. Mithra intelligenda sit, incertum est. Ab aliis coelestis quidem dicitur. Ambrosius c. *Symmach.* I. V. ep. 31. scribit: *Quam coelestem Afri, Mithram Persae plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate.* Caeterum hanc deam Persarum, quum reciperent aliae gentes, quae solem, quem ejus nomine significari credebant, masculam venerabantur, Mithram deam in deum commutarunt. Cfr. Hyde *de relig. Pers.* p. 113.

*) Adde, quod dicimus: *die zwölf Nächte.* Hodie quoque in Anglia *senight* septem dierum spatium s. hebdomadem notat, quasi *sevennight*, septem noctes; *fortnicht* quatuordecim noctes. Cfr. Spelmanni *Glossar.* p. 416. Ditmarum ad *Tacitum* de mor. G. c. 2. p. 70. et Loccenium c. l. c. 4. p. 24. Nec alienum videtur adnotare vocabulum *Weihnachten*, cujus derivationem aliqui longe petitam dederunt inprimis a *vino*, quia olim hoc tempore apud veteres Germanos alius alium vino donavit, etiam fontes vini saporem tempore nati Christi habuisse crediderunt; rectius derivari ἀπὸ τοῦ μυεῖσθαι, ab initiando et consecrando, quia hac *nocte sancta* ob sanctum sanctorum in ea natum sumus Christo initiati et Deo in aeternum consecrati. Apparet hoc quoque ex vocabulo *Kirchweihe.*

**) Ideo hi dies constituebant peculiarem quasi epocham, quos a reliquis anni diebus hac ipsa appellatione *die Zwölften*, quam eis per excellentiam tribuerunt, distinctos volebant. Unde litterae medii aevi cum publicae tum privatae in diebus numerandis eos ad hanc epocham referunt, v. c. *Mittwoch nach dem zwölften Tag; an dem Sammestag vor den Zwölften.* Quod quam frequenter occurrat, docuit multis exemplis Haltausius *Calend. med. aevi* p. 38.

***) Eam ob causam haec duo signa, cancer et capricornus, solstitialia

Transegerunt autem profanae gentes solis novi diem omnis laetitia genere, ludis, epulis ac commissationibus institutis, ut nulla facil praeter hanc natalis invicti sollennitas reperiatur, quae aeque omniun gentium animos occuparit *). De festivitate, quae apud Persas die Mithra obtinuit, et de ludicris eorum hac occasione institutis quaedam in lite ras retulit Thomas Hyde**), Germanos, qui ejusdem originis scythi cae cum Persis existimantur, seculo adhuc p. Chr. n. VIII. per luxun atque lasciviam transegisse solis novi tempus, ex Bonifacii ad Za chariam p. r. epistolis non obscure cognoscimus***). Populos septen trionis axem spectantes suo Jul die sollennes epulas hilarem in modun agitasse †), nisi scriptores commemorarent, notae, quae in scipionibu

---

dicta sunt, quod ubi sol ad ea provectus est, antequam ejus ad septentrionen evectio aut in austrum declinatio manifestior facta sit, stare aliquamdiu creda tur. Auguria, quae per hos dies ex coeli et tempestatis observatione rusticorum natio apud Germanos, Britones aliosque septentrionis populos capere solita est, si superstitio abest, non videntur prorsus rejicienda esse, quum notabilis sit conversio naturae circa brumae tempus. V. Ph. Camerarii *Hor. subces.* Cent. l. c. 95. Quas exercet eo tempore alias superstitiones vulgus hominum, ut v. c. a lanificio abstineant, ne mures domum, et a pisis, ne ulcera corpus infestent, equis venam secent, et ad evertendos aut repellendos bombardae globos Johannis evangelium collo suo adpendunt: eas merito tanquam paganismi reliquias aversamur et detestamur. V. Joh. Paschii *Dodecad. natalit.* (Vit. 1683. 4.) Erot. I.

*) V. Jurieu *Histoire critique des dogmes et des cultes de l'eglise, VII. Traité* du culte du Soleil p. 711. et Joh. Fr. Plessing *vom Ursprung der Abgötterei* 2, 4. c. 6. ubi de Mithra notatu dignissima habet.

**) *De relig. Persar.* c. 19. p. 236. de ludicris in natali solis institutis hunc in modum scribit: *Hac quidem nocte ubique festivales ignes accendunt, et reges ac principes accipientes aves et alia animalia et eorum pedibus alligantes herbas aridas, eas igne accendunt et ignitas reddunt et sic flammantes dimittunt, ut volent et currant per campos et montes et hoc modo omnia accendant. Alius quidem Persa refert, quod ignes festivales ac geniales hac die et nocte accendebant et omnis generis cibos apparabant et quod, ut dictum, reges ipsi solebant feras ac volucres capere et earum pedibus siccarum herbarum fasciculos alligantes, eosdem incendebant et deinde in aerem et per campos dimittebant nocturno tempore, et hoc modo flammae ignis efficiebantur, ita ut totus aër totaque terra accensa videretur et tota regio appareret inflammata, quum dicta animantia per aërem volando et per campestria ac montes discursitando, siccatas herbas, ut et in Oriente, et aridum foenum ubique per totam regionem accenderent. Missis autem ineptis hisce rationibus vera ac primaria hujus noctis celebrandae causa fuit, quia ea erat totius anni nox longissima, hieme ea nocte quodammodo desinente, quum exinde dies inciperent esse longiores et noctes breviores. Ideoque bruma jam abitura, laeti ignes festivales accendebant, tenebricosissimam et longissimam totius anni noctem hoc modo illustrare et pellere satagentes. Eodem fundamento niti videtur consuetudo in Anglia, speciatim in comitatu Salopiae, ut haud procul ab interdicto tempore, scilicet nocte diei Epiphaniae, ignes festivales accendantur in summitatibus collium et aliis locis editioribus, in gaudium propter elapsam saevitiem hiemis et spem adpropinquantis veris.*

***) Othlo Vit. S. Bonif. l. 2. c. 2. ap. Nic. Serarium *Rer. Mogunt.* l. 3. p. 377. exhibet literas Bonifacii ad Zachariam P. R. ubi conqueritur, in illa *nocte vel die eos paganorum consuetudine choros ducere per plateas et acclamationes ritu gentilium et cantiones sacrilegas celebrare et mensas illa die vel nocte dapibus onerare.*

†) De Septentrionalium *Juletag* multa habet Janus Bircherodius in

runicis natali solis additae conspiciuntur, planum id nobis facerent*). Apud Romanos autem celebratum fuisse natalem invicti et anniversariis sacrificiis et magnificentissimis ludis, notissimum est, quum extet luculenta inprimis memoria ejus rei apud Julianum Imp.**) et Corippum***), qui hos ludos auctor est ad principum christianorum honorem deinceps esse translatos †).

Neque vero receptis in Romano imperio Christianorum sacris hi ludi statim exulabant. Nam, ut est hominis animus pravi tenax, etsi didicerant ad auctorem Deum, tanquam ad fontem atque ad originem lucis, beneficium redeuntis cum sole omnium rerum foecunditatis referendum

---

Disquisitionibus Antiquar. (Hafniae 1688). Sueonum morem festum hoc celebrantium recenset ex Rudbeckio Wilh. Ernestus Tenzelius *in den monatl. Unterredungen* m. Mai. a. 1690. p. 458. *Wenn die Sonne wieder kam, empfingen sie selbige mit Opfern, Spielen und andern Festivitäten, welche so tief eingewurzelt, dass sie bei Annehmung des Christenthums nicht gänzlich abgeschafft werden können; sondern so viel ihrer nicht eine öffentliche Abgötterei in sich hielten, auf das Weihnachtsfest transferiret worden, und noch heut zu Tage durch ganz Schweden gebräuchlich sind. Die alten Heiden satzten vor ihre Häuser zweene Tannenbäume kreutzweise über einander, und frassen und soffen* 19 *Tage lang. Die heutigen haben noch den Gebrauch mit den Bäumen und dem neunzehntägigen Schmausen. Die Alten opferten der Sonne einen Eber. — — Sie vermeinten, die Sonne kröche nach vollbrachten jährlichen Lauf in eine Höhle, ruhete darinnen aus und liesse ihre Pferde an der Weide gehen. — — Ueberdiess hatten die Weiber ein Brod gebacken in Gestalt eines Ebers, welches sie Julegalt genannt, das hernach von den Ackerleuten und Pferden verzehret, theils mit dem Saamen aufs Land gestreuet worden. Die Bauern und andere backen auf den Christabend annoch den Julegalt, legen ihn die* 19 *Esstage über auf den Tisch, vom* 25. *Dec. bis* 13. *Jan. und haben ihn auf bis zur Saatzeit. Der Tisch bliebe das ganze Fest über gedeckt, und was sie von der Zeit mit Essen, Trinken, Schlafen nicht passirten, das brächten sie vollends mit Spielen, Julelecker genannt, zu. Sie empfingen die wiederkommende Sonne mit angezündeten Wachskerzen und schickten einander Geschenke zum neuen Jahr, die sie Julegäfwor und Nyärsgäfwor hiessen.*

*) Hic in scipionibus runicis denotatur festum figura cornuum, qualia ad compotandum adhibebant. Epulis autem in commissationibus communem laetitiam significabant. Vide Elvii *Ideam scip. run.* p. 34. inprimis ejus diss. *de festo Juliorum.* Habetur etiam interpretatio ejusmodi Kalendarii Runici c. figg. aen. Vol. III. *der Sammlung der ausgesuchten Stücke der Gesellsch. der fr. K. zu Leipzig*, p. 390 ss.

**) *Orat. in Solis laud.* (Opp. ed Lips. p. 131.) *Φέρε οὖν ὅπως οἷοί τε ὦμεν, ὑμνήσωμεν αὐτοῦ τὴν ἑορτήν. ἣν ἡ βασιλεύουσα πόλις ἐπετησίοις ἀγάλλει θυσίαις.* Et p. 156. *Πρὸ τῆς νεομηνίας, εὐθέως μετὰ τὸν τελευταῖον τοῦ χρόνου μῆνα.* Sed ejicit hanc vocem Petavius, Cuperus *τὴν τελευταίαν τοῦ χρόνου ἡμέραν* legit, *ποιοῦμεν ἡλίῳ τὸν περιφανέστατον ἀγῶνα, τὴν ἑορτὴν ΗΛΙΩι καταφημίσαντες ΑΝΙΚΗΤΩι.*

***) *De laudibus* Justini l. 1. 5. 314.

Solis honore novi grati spectacula circi
Antiqui sanxere patres.

†) L. c. v. 340. p. 50.

Hunc veterum primi ritum non rite colentes,
Esse Deum Solem, recta non mente curantes,
Sed factor solis postquam sub sole videri
Se voluit formamque Deus de virgine sumsit
Humani generis, tunc munere solis adempto
Principibus delatus honor munusque Latinis,
Et jucunda novae Circensia gaudia Romae.

esse, nihilo minus tamen, quasi profano illo more irretiti tenerentur, natalem invicti diu etiam festum ac ludicrum habuerunt. Romae praesertim, ubi gentilis superstitio radices tam altas egerat, ut vel iis temporibus, quibus pridem exstirpata credebatur, intentidem repullularet*). Dimidio sec. p.Chr. n. IV. legimus, natalem hunc *invicti* Romae ab iis quoque celebratum esse, qui Christiani *vel vere erant vel esse dicebantur* **). Quare, quum ejus diei religionem, ipsa vetustate quasi robustam, ex animis hominum evelli non posse judicarent urbis Romae episcopi, necessitatem in rationem vertentes, natalem invicti, retentis ex ejus et Saturnalium celebritate plurimis ritibus, in natalem Christi commutarunt ***), non quod Christo ipsum illo brumae tempore natum crederent †), sed ut, si eodem tempore natalis ejus peragcretur, facilius natalis ille invicti aboleretur ††).

---

*) Exemplo esse possunt certamen Symmachi et Ambrosii de ara Victoriae in curia constituenda, et quod ex Gelasio Baronius *in annal. Eccl.* ad a. 496. recitat, Romae sub finem sec. p. Chr. V. dixisse Christianos, *ideo morbos gigni, quia deo Februario non libetur.* Plura adfert, dum Warburtoni sententiam oppugnat, Hamberger *in enarrat. rit. gentil. in sacra Christ. translat.* pag. 7—8. Quando ad Zachariam p. r. scribit Bonifacius, quosdam in Germania increpatos a se ob ethnicas consuetudines, dixisse: *Romae exemplo se vivere ibique vidisse in nocte, quando kal. januariae intrant, ritu gentilium multa fieri, choros, acclamationes etc.* quando idem rogat, ut haec in Romana urbe prohibeantur, profectus evangelii impeditura: Zacharias respondens, non negat, *paganias et auguria kal. januariis gentili more observari apud Petrum*; illud tantum adfirmat, se, ex quo pontifex factus esset, haec omnia *amputasse*, Apud Nic. Serarium *Rer. Mogunt.* lib. 3. p. 382. Id si Romae factum est sec. p. Chr. VIII., quo tempore formam doctrinae et pietatis Roma petere consueverant, qui praecones evangelii inter gentes agebant; quem non gentilissimum credibile est ibi regnasse, nondum longo usu quasi roborata christiana doctrina?

**) In Constitutione Theodosii II. haec divisio occurrit, non fallaci argumento, sec. V. Romae non omnes fuisse Christianos, aliquos religione abusos. *Cod. Theodos.* lib. XVI. tit. X. l. 24.

***) Primus ab ethnicis profectam J. C. natalis celebritatem statuit Joh. Harduinus in *Antirrhetico* p. 65. et traditionis in romana ecclesia auctoritatem hac ratione infringere conatus est, non cogitans, Hieronymum Vechietti ob apostolicam festorum excepto paschate originem in libro *de sacr. tempor. ratione* (Aug. Vindel. 1621. *in fol.*) negatam, martyra chronologicum factum in carcere vitam finiisse. Ornarunt deinceps hanc sententiam I. G. Graevius ad *Lactanct.* de m. p. p. 185. P. I. Ge. Chr. Hamberger diss. cit. *Gottingae* 1751. hab. I. C. Macher. *Progr. Gerae* 1753. ed. Amplexi sunt eandem sententiam Sam. Basnage *Annal. eccl.* T. I. p. Casp. Calvoerius *Ritual. Eccl.* P. II. p. 165. nec obscure adsensum praebet Baumgartenius *Progr. de mense et die nati I. C.* (Halae 1740.) p. 14.

†) Vechietus, (l. l. 5, 18.) profitetur de nativitatis J. C. die 25. dec. institutione: *Omnino dicendum, ipsam non nobis proponere, ut credamus Christum Dominum vere in illo tempore natum esse, sed ut tempore illo ejus festum peragamus.*

††) Fecerunt hoc romani pontifices, in pluribus festis, ut ea ex paganis in christiana converterent, non paucis ritibus retentis. Quo consilio videntur voluisse obviam ire pertinaci paganismo, quem rei in totum sublatio irritasset. Ita ad profana, quae kal. sextil. fiebant, Augustalia tollenda vel rectius consecranda ordinatum fuit a Pelagio I. p. r. festum Petri ad vincula, ut habet Mich. Ang. Monsacrati diss. *de catenis Petri* (Romae 1750. 4.) p. 32.

Jam enim tranquillatis rebus Christianorum et imperio ad eos devoluto, fasti gentiles ad eorundem usum et rationes accommodabantur. Itaque, qui hanc operam susceperant, annum diei cujusque Christianis festi sollennitate distinguendi, quum natales deorum et principum quadam festivitatis nota insignitos viderent, Servatoris nostri natalem, quem primi Christiani metus causa non celebrabant, simili nota et ipsum insignire voluerunt *). Sed quum partim verum diem ignorarent, partim profana festa, quibus populus adsuetus esset, in christiana reformare vellent, nullum in romano kalendario diem festum natali Christi commodius assignari posse quam natalem invicti crediderunt. Quod circa medium p. Chr. sec. III. auctore Julio I. p. r. forsitan factum est **), ut

---

Ita festum cathedrae Antiochenae istius Apostolorum primi, quod etiam festum epularum Petri apud Durandum (*Ration. div. offic.* 7, 8.) vocatur, ad consuetudinem profanarum epularum, de quibus Ovidius *Fast.* 2 *v.* 443. a gentilibus eo tempore dari solitarum, dissolvendam ac praecidendam institutum fuit, docente Pet. Zornio diss. *de natalitiis cathedrae Petri* T. II. *Opusc. sacr.* Pari ratione festum purificationis Mariae, Υπαπάντη Graecis dictum, sec. p. Chr. VI. Gelasius p. r. ad abroganda Lupercalia, mense februario Romae agi solita, invexit, ut populus a februis sive lustrationibus profanis, quae, mulierum romanarum turba, accensas faces manibus gestante, in memoriam raptae a Plutone Proserpinae publice fiebant, avocaretur. Quibus iisdem Romanorum Februalibus originem debent, quae eo die apud Pontificios instituuntur, processiones hominum cereos gestantium et consecratio candelarum, quae deinceps ei diei nomen festi candelarum (*Lichtmesse*) imposuit. V. Mussard, *les conformités des ceremonies modernes avec les anciennes*, chap. 6. et observatt. versioni germ. p. 75. adjectas. Joh. Moebii diss. de *Hypapante*, I. A. Schmid *Prolus Marian.* VII. p. 116.

*) Si quid videmus, fuit hoc contrarium sapientissimo Dei consilio, reticentis diem nativitatis Christi propterea, ne in regni ejus fraudem sacrosanctus ipsius natalis gentilium principum natalibus par poneretur aut profanis ritibus deformaretur. Praeclare, ut omnia, ostendit, cur primi Christiani natalem Servatoris nostri non celebrarint, Baumgartenius Progr. *de sollennium Christo nato sacrorum originibus* (p. 123. collect. Progr. Bakianae): *Quum principes, penes quos summa rerum erat illo tempore, hac praerogativa gauderent, ut natales ipsorum, quibus in lucem editi et ad imperium evecti fuerunt, publice a civibus celebrarentur annique ab illis numerarentur: primi Christiani, quibus natalis Christi notior esse potuit et certior procul dubio fuit, quam a nobis jam omni adhibita cura exputari potest, non sine sapienti consilio et divina providentia sibi temperarunt ab ejusmodi sollennibus, ne seditionem regnumque peculiare meditari putarentur hostibusque suspicacissimis atrocissimae calumniae rebellionis, quam molirentur, vel levissimam veri speciem conciliarent.* Induebat etiam eo tempore vocabulum *natalis* ethnicum et multo alium significatum, quam antea in ecclesia habuerat. Vocabulo enim in ecclesia vis atque potestas subjecta erat ea, qua notabat diem non, quo natus, sed quo denatus et meliorem ad vitam, quae vera vita est, renatus Christianus fuerat. Cfr. Casp. Sagittarius *de natalitiis martyrum. Natalitia episcoporum* dicebantur illi dies, quibus cathedram acceperant, si sacrum munus auspicati fuerant. *Natalis calicis* appellabatur dies Viridium, quia eo die natus seu institutus calix fuerat. Cfr. J. Hildebrandi Tr. *de natalit. veterum sacr. et profanis.*

**) Huc animum advertat et videat Phil. a Turre, qui in *monumentis vet. Antii* P. II. c. 6. quaerit, an nativitas Christi in natalem Mithrae sit translata? quod negat, factum esse: quumque credat, ab initio civitatis christianae 8. kal. jan. sollenne fuisse nati ex Maria Servatoris, diabolo auctore factum esse, satis immature judicat, ut Mithrae turpissima sacra in diem Christianis sanctum transferrentur.

ex Johannis *Archiepiscopi* Nicaeni*) narratione colligitur. Is enim duobus in locis mentionem facit natalis Christi in diem 25. dec. a Julio patriarcha fixi. Priori loco, ait, illum collatis inter se mensibus Hebraeorum et Romanorum invenisse, Christum natum esse die 25. dec,**); altero commemorat, eundem, suadente Cyrillo quodam Hierosolymitano, conjuncta in 6. jan. diem festa, Christi nati, aquis Jordanis per Johannem lustrati et miraculum Cananiticum edentis, quae tria festa primi Christiani Epiphaniam vocabant, separasse et natalem Christi die 25. dec. agi atque celebrari jussisse***). Quae narratio, etsi scriptoris est multo et recentioris et vanioris, quam ut satis locuples auctor haberi mereatur, non tamen ideo ejus omnia statim rejicienda, sed potius cum judicio et delectu erunt accipienda. Itaque, in quo neque a probis auctoribus

---

*) Tr. *de Nativitate Domini* Gr. et Lat. notis illustratum exhibet Franc. Combefisius *Auctarii novi Biblioth. Patr. Graecolat.* T. II. p. 297. Est ille Tr. *epistola ad Zachariam Catholicum majoris Armeniae*, in qua disquiritur, quando illud festum seorsim ab Epiphania celebrari coeperit. Guil. Caveus, (diss. de *scriptor. eccl. incertae aetatis*, quae est ad calcem *Hist. litter. Scriptor. eccl.*) putat, sec. X. vixisse Nicaenum. Cfr. Jos. Sim. Assemann, *Biblioth. Orient. Clement. Vatic.* T. II. p. 164.

**) Affirmat nimirum *hunc in modum Julium Rom. patriarcham menses Hebr. et Rom. composuisse: a quo tempore coeperit Romana ecclesia laetis gaudiis celebrare natalem Salvatoris diem* 25. *dec. tradidisseque celebrandum universis ecclesiis.* Jam vero scimus, Julium I. pium fuisse episcopum; novimus ejus de *incarnatione* epistolam *ad Prosdocium*, quam Joh. Gottl. Ehrlich ex Cod. Oxon. edidit Lips. 1750. prodere acumen Julii theologicum, sed astrologum et chronologum eum haud scimus. Quando *Pontificale Rom.* quod ex *Vatic. Romae* 1724. in 3. edidit Joh. Vignolius, p. 112. Julii constituta narrat, non memorat, eum calculos subduxisse in definienda Christi nativitate. Addit deinde Nicaenus, Basilium M. in suis moralibus non modo signasse optimi Servatoris natalem diem 25. dec. sed etiam Gregorio Naz. in mandatis dedisse, ut in Synodo Constantinopolitana dies 25. dec. declararetur ac celebraretur, sed quosdam non assensisse.

***) Fabula est, quam narrat l. c., extare constitutionem apostolicam Jacobi, quae nativitatem et baptismum Christi die 6. jan. conjunctim celebrari praecipiat. Quum Cyrillus quidam Julium per litteras rogasset, ut omnia Judaeorum scripta, quae Titus Hierosolymis Romam adportasset, evolvi et nati Jesu diem investigandum curaret; romanum episcopum Josephi Chronographi libellum invenisse, in quo dies consignata fuerit, qua angelus Zachariae sacra facienti apparuerit. Itaque calculos subduxisse Julium et invenisse, Christum die 25. martii conceptum esse. Convenit cum hac narratione Joh. Nicaeni, quod est apud *auctorem Legationis* Manuelis Comneni ad *Armenos*, S. Theoriani *Disputatione cum Cathol.* gr. et lat. a Leunclavio edita p. 134. *Λέγουσι γὰρ, ὅτι ὁ θεῖος Επιφάνιος, ὅτε ἐξ Εβραίων ὢν ἐκ τῆς τῶν Εβραίων γραφῆς καὶ Ιωσήππου τοῦ Χρονογράφου ἐβεβαίωσεν Δεκεμβρίῳ κέ τὴν γέννησιν ἑορτάζεσθαι τοῦ Σωτῆρος. Τούτῳ φασὶ συμφωνεῖν καὶ τὰς ὑπὸ τοῦ Τίτου ἀπὸ Ιερουσαλὴμ εἰς Ρώμην ἀχθήσας γραφὰς, ὅτε ταύτην αυτὸς ἠχμαλώτευσεν.* Nihilo minus tamen commentis mire deformata sunt, quae Nicaenus profert, ut vitio vertendum non sit Th. Ittigio, si Johannem explodat eique Josephum suum Chronographum aliaque Hebr. monumenta, quae a Tito Romam deportata et sequentibus temporibus a papa Julio inventa fingit, cum aliis ipsius somniis censeat relinquenda. *Append. de haeresiarchis aevi apostol.* diss. III. p. 390. Quae etiam causa est, cur Moshemius scribat: *quae de Julio I. p. r. feruntur, nascentis Christi memoriam ex die* 6. *Jan. ad d.* 25. *dec. transferente, ea mihi parum certae fidei videntur esse.* Institution. hist. eccl. p. 177. (ed. 1755. 4.)

neque adeo a verisimilitudine recedit, in eo citra credulitatis ludibrium fidem illi tribuamus, ut Julio I. p. r. auctore factum esse dicamus, ut natalis invicti transferretur in natalem Christi *) ac commutaretur.

Neque illud fide caret, si ab anili, quam admiscuit, fabula abeamus, quod ait, diem 25. dec. ab Orientalibus, quibus, ut intelligitur, fucum fecit et calculis suis imposuit Julius p. r., Occidentalium exemplo receptum fuisse**). Nam id probatur testimonio Joh. Chrysostomi***): Postquam enim Romana consuetudo sic invaluisset, ut omnibus ἀπὸ Θρᾴκης μέχρι Γαδείρων οἰκοῦσιν esset communis †), Orientales, quasi non melius diem natalem Christi scire potuissent ††), eo libentius illam

---

*) Hunc in modum judicat Fr. Pagi in *Vitis Pontif. Rom.* T. I. in vita Julii I. et multus est in discutiendo, quid veri in ista insit Johannis narratione (pag. 50. *ed. Lucc.* 1729. *fol.*). Combefisius (*in Notis* ad Nicaenum p. 310) *vix aliquid ex antiquioribus monumentis opponi posse* judicat: et, quod ad fundamentum narrationis attinet, suo adsensu illud judicium comprobat Alph. des Vignoles Diss. *touchant le jour de noël*, (*dans la Bibliothèque Germanique* T. II. p. 29). Interim ipse tam Latinorum, quam Graecorum sententiam rejicit, et *natalem Christi* esse vult die 20. Maji, qui dies antiquissima traditione nitatur.

**) Ostendit hoc ex nonnullis Patrum ecclesiae locis Pagius c. l. Ut ex Gregorii Nyss. *Orat. funebri in Basilium*, ubi ille ait, memoriam Basilii diebus aliquot, post Christi nativitatem, incidere. Hic Pagius demonstrat, diem Basilii fuisse kal. jan. atque inde concludit, Greg. Nyss. temporibus Asiaticos Christianos d. 25. dec. nativitatem Domini credidisse, et quae alia loca adfert.

***) Memorat Nicaenus c. l., Honorium imp., quum aliquando Byzantum venisset, fratri suo Arcadio narrasse, Romanos festum nativitatis et baptismi Christi non celebrare amplius conjunctim, sed separatim. Arcadium, simul quum haec audivisset, eam rem Johanni Chrysostomo indicasse, qui quidem hanc consuetudinem festum nativitatis proprio die celebrandi cum gaudio recepisset. Accersitum ex Cypro Epiphanium eandem ex Hebraeorum scriptis et ex Josephi Chronographia confirmasse. Itaque scriptas litteras fuisse ad Theophilum Alexandrinum, Johannem Hierosolymit. et Flavianum Antiochenum et reliquos Patriarchas, qui omnes adeo in Romanae ecclesiae sententia adquievissent. Quae fabula ita manifestis erroribus scatet, ut confutatione non egeat. Interim tamen delatam ad Orientales Christianos hanc esse consuetudinem, ex Chrysostomo cognoscitur. Is *Homil.* 33. T. V. vix decennium esse ait, ex quo dies 25. tanquam natalis Christi Orientalibus certo innotuisset. Οὔπω δέκατόν ἐστιν ἔτος, ἐξ οὗ δήλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται. Et paucis interjectis, ait, eum diem esse οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν ἄθρόον.

†) Ita Chrysostomus l. c.

††) Qui *Thesaurum sacrorum rituum* Barth. Gavanti cum novis observatt. et additionibus edidit Cajetanus Maria Merati *Romae* 1736. in 4. negat, Orientales melius scire potuisse I. C. natalem, imo contra T. II. Part. IV. p. 846. Romanis ejus rei gloriam tribuit. Postquam enim multa de Julii I. studio eruendi natalem Christi ex Pagi *Vitis P. Rom.* maxime repetiit: *Sic infertur*, inquit, *Julio Papae adscribi non posse hujus sollennitatis institutionem, quum eo antiquior fuerit; sed tantum dicto Pontifici tribui posse, quod in ecclesia occidentali, et etiam in orientali die 25. dec. inceperit celebrari. Romana autem ecclesia rectius natalem I. C. rescire potuit eaque de re ceteras ecclesias docere, ex quo, quod natalis Domini dies ineunte censu Augusti Caesaris in Judaea evenerit, actaque ista magna cura Romae servata fuerint. Atque hinc est, cur Romae quis fuerit natalis I. C. dies, melius, quam alibi, resciri potuerit et cur ibi primum fuerit celebratus.* Sed monuimus jam, fieri non potuisse, ut vel tale quid tabulis census Augustei comprehensum fuerit, vel ipsae tabulae servatae, nedum a quoquam inspectae fuerint.

admiserunt, quo magis tum interesse religionis judicabant, multiplicari numerum festorum christianorum*). Neque enim memoriam tantum nativitatis Christi, verum etiam eorum beneficiorum omnium, quorum memoria conjunctim uno *Epiphaniae* festo celebrabatur, separatim peculiaribus festis recolendam statuerunt**). Recepta est autem Romana ista consuetudo primum a Constantinopolitanis sec. IV.***), deinde ab ecclesiis Aegyptiacis †) et Hierosolymitanis sec. V. ††). Denique sec. VI. Asiaticorum morem de 8. id. jan. de loco penitus movisse videtur.

Sed ritus illi, qui circa tempus nativitatis Christi et olim et hodie quoque apud superstitiosos obtinent, satis indicant, hoc festum natalis Christi in locum successisse natalis invicti, unde quasi residuae illae gentlilismi maculae in animis vulgi haeserunt. Quamquam et ex saturnalibus, quae natalem invicti, ut saepius dictum est, proxime antecedebant, non paucas ceremonias prava aut misera hominum superstitio sumsit atque ad ferias nativitatis Christi accomodavit †††).

Saturnalium diebus exaequato omnium jure domini servos magnifice ac comiter excipiebant, servis interim libere atque impune fabulan-

---

*) Erant initio praeter *pascha et natalitia martyrum* vix festa quaedam in ecclesia, sed temporibus Constantini M. ad consuetudinem gentilium accomodabantur multa. Itaque, quia magnus apud illos erat numerus festorum, etiam apud Christianos eorum numerus accrescebat. Historiam, quo modo multiplicata fuerint in ecclesia, ordine temporis persecutus est Hospinianus *de Orig. fest. Christ.* c. 4. Hinc querela Polyd. Vergilii. *de rer. inventor*. 6, 8. p. 396: *Dies alii aliis, festi festis ex parvis quandoque causis accumulati sunt. Atque belle ethnicos perinde in hac re, ut in nimis multis aliis, aemulamur; quod tantum abfuit ut majores nostri fecerint, ut etiam illud ipsum audacter ethnicis vitio dederint; testis Tertullianus in apologet. — — Faxit Deus, ut Pontifices nostri tandem aliquando istos dies festos utiles reddant.* Nondum huic voto satisfactum est, quamvis rem tentante ante aliquot annos Benedicto XIV. Nondum apud Italos sublatae sunt profanationes festorum, quas memorat auctor libri *Cérémonies et coûtumes religieuses de tous les peuples du monde T.* 2. Quasdam, inquit, in honorem amicarum suarum diebus festis divarum, quarum illae forte nomina gerunt, missas recitari jubent vestirique templa iis ornamentis, quae non minus ad amatoris dominam, quam ad ecclesiae referri possunt Sanctam.

**) Vid. Jos. Bingham Vol. 8. p. 67.

***) Joh. Chrysostomus l. c. ad Gades usque habitantibus hanc consuetudinem tribuit: et Gregorius Naz. homil. 38. in *Θεοφαν.*, quae Constantinopoli die natali Christi habita fuit, dicit, festum Epiphanias diebus aliquot post secuturum.

†) Id planum est ex titulo *Homiliae* Pauli Emiseni, quae est in *Actis Concil. Ephesini* P. 3. c. 31. tom. 3. Concil. p. 1096. *Homilia Pauli ep. Emis. habita* 28. *mens. Choiac in magna ecclesia Alexandr. praesente Cyrillo de nativitate Domini I. C.* Est autem d. 29. Choiac d. 25. dec. Isidorus Pelus. 3. ep. 110. Theophaniam et Epiphaniam tanquam duo diversa festa commemorat.

††) Juvenalis sec. V. consuetudinem celebrandi 25. dec. *Hierosolymis* introduxisse dicitur in *narratione antiqua*, quam ex cod. mscr. exhibet Cotelerius *Pat. Apost.* T. I. p. 313. sive observatione 21. ad *Constit. Apost.* I. V.

†††) Docuerunt hoc Hospinianus *Opp.* T. 2. l. 2. p. 171. Chr. Wildvogel *Chronoscop. leg.* exercit. VI. *de eo quod justum est circa festum nativitatis I. C.* p. 307. et Joh. Praetorius lib.: *Weihnachtsfratzen.* (Lips. 1663. 8.)

tibus, et jocosa dicta in dominos jactantibus*). Quem eundem morem in vigiliis nativitatis Christi apud Anglos suos obtinere testatur **Polydorus Vergilius****). Ingeniosa est **Casp. Calvoerii** in eam consuetudinem veterum Christianorum meditatio, eorum in hac re consilium exponentis***). Similem plane morem narrat **Wilh. Durandus**†) in monasteriis die natali Christi obtinere, quippe majoris ordinis clericis et praelatis cum minoribus Clericis ad ludum pilae, dignitatis discrimine sublato, descendentibus.

Praecipua celebritatis saturnalium pars epulis absolvebatur, quibus non servi tantum a dominis, verum etiam amici atque familiares mutuo excipiebantur, quos mutitare, h. e. mutuas inter se coenas agitare dicebant††). Id antiquitus die festo nativitatis Christi apud Christianos obtinuisse, ex adhortatione **Gregorii Naz.** intelligitur†††), serio monentis auditores suos, ne fores coronent, ne compita viarum exornent,

---

*) Id ex **Athenaeo** lib. 14., inprimis ex **Macrobio** constat, qui l. c. 7. (p. 193. *ed. Paris.*) ubi de Graecorum saturnalibus loquitur, hos **L. Accii** ex ejus Annalibus recitat versus:

Exercent epulis laeti famulosque procurant
Quisque suos, nostrique itidem et nos traditus illinc.

**) *De rer. inventor.* 5, 2. p. 333. tradit, unde ortus sit mos, die natali Christi regem creandi ex domesticis. *Est et illud ab iisdem*; (nimirum a Romanis gentilibus) *ad posteros profectum, quam ob rem per dominica natalitia nostri ministri potestatem in dominos habeant atque unus eorum dominus creetur, cui cuncti domestici simul lascivi et hilares pareant una cum ipsis dominis, h. e. patribus familias. Siquidem hanc libertatem servi apud Romanos, uti in Justini epitome est, Saturnalibus habebant.*

***) Ritual. Eccl. P. II. p. 266.: *Quidni pia antiquitas, pro more illo recepto, sollennitates has gentiles christiano habitu, atque id, quo gentilitas ad Christum pertraheretur, fideles vero a pagana lascivia ad Christianis dignam laetitiam ducerentur, induerit, traducendo eas in celebritatem pueri nobis nati, nobis dati, cujus nomen Mirabilis, Fortis, Aeternus Pater, formam servi tamen induens, nobisque ministrans.* Jes. 9, 6. Phil. 2, 7. Quae verba repetens **Hambergerus** *cit. disp.* hoc amplius scribit: *Addi potest, quod regni Saturnini tempora felicissima feruntur, quum propter rerum copiam, tum etiam, quod nondum quisquam servitio vel libertate discriminabatur.* **Macrobius** I. 7. *Ita cum Christo faustum tempus illuxit, ipse nos servos a peccati jugo liberavit, sumus Christiani, membra unius corporis, omnes ejusdem honoris, ejusdem felicitatis participes.*

†) Ration. div. offic. I. 6. c. 86. p. 372. *In quibusdam locis die natali J. C. in aleis praelati cum suis clericis ludunt, vel in claustris vel domibus episcopalibus, ita ut etiam descendant ad lusum pilae, vel etiam ad choreas et cantus; quod vocatur libertas decembrica, quia antiquitus consuetudo fuit apud gentiles, quod servi eo tempore libertate fruerentur et cum dominis suis dominarentur et cum eis facerent festa et convivia.*

††) **Macrobius** c. l.

†††) *Orat.* 38. in *Theophaniam* sive natalem Christi (p. 614. *edit. Col.*): *Τοιγαροῦν ἑορτάζωμεν, μὴ πανηγυρικῶς, ἀλλὰ θεϊκῶς, μὴ κοσμικῶς, ἀλλ' ὑπερκοσμίως. Μὴ τὰ ἡμέτερα, ἀλλὰ τὰ τοῦ ἡμετέρου, μᾶλλον δὲ τὰ τοῦ δεσπότου· μὴ τὰ τῆς ἀσθενείας, ἀλλὰ τὰ τῆς ἰατρείας· μὴ τὰ τῆς πλάσεως, ἀλλὰ τὰ τῆς ἀναπλάσεως· ἔσται δὲ τοῦτο πῶς; μὴ πρόθυρα στεφανώσωμεν, μὴ χοροὺς συστησώμεθα, μὴ κοσμήσωμεν ἀγυίας, μὴ ὀφθαλμὸν ἑστιάσωμεν, μὴ ἀκοὴν καταυλήσωμεν, μὴ ἔσφρησιν ἐκθηλύνωμεν, μὴ γεῦσιν καταπορνεύσωμεν, μὴ ἁφῇ χαρισώμεθα ταῖς προχείροις εἰς κακίαν ὁδοῖς, καὶ εἰσόδοις τῆς ἁμαρτίας· μὴ ἐσθῆτι μαλακισθῶμεν, ἁπαλῇ τε καὶ περιῤῥεούσῃ, καὶ ἧς τὸ κάλλιστον*

ne choros instaurent, ne commissationibus et ebrietatibus se tradant. Quae omnia, qui vetare potuisset Gregorius, nisi diem natalem Domini, tanquam diem saturnalium a Christianis agi et ludicrum haberi vidisset? Nam ista quidem omnia diebus saturnalibus apud gentiles moris fuerunt. Sed gravis ista admonitio Gregorii de natali Christi non saturnalium more celebrando, parum effecit apud Constantinopolitanos, quos sec. adhuc p. Chr. X. ejusmodi luxum et convivia, profana saturnalium consuetudinem redolentia, amasse, ex Luitprando*) cognoscimus. Neque hodie nostri homines tempus nativitatis Christi alio transigunt, quam eo more, quem apud suos notat ac reprehendit Nazianzenus**). Sed haec a gentilibus tradita servat ecclesia. Convivia et ipsa celebrat, quo inprimis pertinet publica illa et sollennis compotatio, quam romani pontifices ipso natalis Christi die vel in ejus vesperis celebrare solent, ab Augustino Patricio Picolominaeo***) memorata.

Celebrata sunt saturnalia non tantum conviviis, sed etiam ludis, qui simili ratione in natalitia Jesu Christi sunt translati. Est enim in quibusdam Germaniae provinciis inveteratus mos, ut in vigiliis nativitatis dominicae homines quidam larvati, nescio quem sanctum Christum mendaci specie referentes, per vias oberrent, pueris metum incutiant, et pietatis larva comicos, fanaticos, immo flagitiosos etiam lusus exerceant, quos pontificia ecclesia ab istis gentilium saturnalibus acceptos ad nos transmisit†). Nec desunt eo tempore in coetu pontificio comoediae na-

---

ἀχρηστία· μὴ λίθων διαυγείαις, μὴ χρυσοῦ περιλάμψεσι, μὴ χρωμάτων σοφίσμασι, ψευδομένων τὸ φυσικὸν κάλλος, καὶ κατὰ τῆς εἰκόνος ἐξευρημένων· μὴ κόμοις καὶ μέθαις, οἷς κοίτας καὶ ἀσελγείας οἶδα συνεζευγμένας ἐπειδὰν κακῶν διδασκάλων κακὰ τὰ μαθήματα· μᾶλλον δὲ ποοηρῶν σπερμάτων πονερὰ τὰ γεώργια· μὴ στιβάδας ὑψηλὰς πηξώμεθα σκηνοποιοῦντες τῇ γαστρὶ τὰ τῆς θρύψεως· μὴ τιμήσωμεν οἴνων τοὺς ἀνθοσμίας, ὀψοποιῶν μαγγανείας, μύρων πολυτελείας. — — Ἀλλά ταῦτα μὲν Ἕλλησι παρῶμεν, καὶ ἑλληνικοῖς κόμποις καὶ πανηγυρέσιν· Οἳ καὶ θεοὺς ὀνομάζουσι κνίσσαις χαίροντας, καὶ ἀκολούθως τὸ θεῖον τῇ γαστρὶ θεραπέυουσι· πονηροὶ πονηρῶν δαιμόνων καὶ πλάσται καὶ μυσταγωγοὶ καὶ μύσται τυγχάνοντες· ἡμεῖς δὲ, οἷς λόγος τὸ προσκυνούμενον, κἂν τι δέῃ τρυφᾶν, ἐν λόγῳ τρυφήσωμεν, καὶ θείῳ νόμῳ καὶ διηγήμασι τοῖς τε ἄλλοις καὶ ἐξ ὧν ἡ παροῦσα πανήγυρις. Ita intelligitur, Constantinopolitanos in feriis natalis Christi spectacula, choros, commissationes, compotationes, muliebrem ornatum et omne luxus genus, quod in saturnalibus veterum regnabat, amasse.

*) *Histor.* 6, 3. ait: *Est Constantinopoli domus, quae Decaennea cubita vocatur, quia ibi undeviginti mensae in ea, quae secundum carnem est, Domini nostri Jesu Christi nativitate apponuntur, in quibus imperator et convivae recumbendo epulantur.* Addit, tunc non argenteis, sed aureis vasis ministrari; memorat etiam ludos in hac nativitate Domini habitos et unum ob admirationem describit. c. 4. Cfr. Joh. Jac. Rhode *de conviviis natalitiis.* (Regiom. 1716.) p. 19.

**) Improbat hoc et indignatur C. Wildvogel c. l. sect. 8. II. *de eo quod justum est c. fest. nativit. J. C.*

***) Perraro in libro suo *sacrarum ceremoniarum Rom. Eccl.* quem Christo. Marcellus edidit, sed ob publicata ibidem aulae pontificiae arcana, quae satis demonstrant, nihil humani a Tibernio praeside alienum esse, non magnam apud suos gratiam iniit. L. II. p. 119. *edit. Venet. in fol.*

†) Venire hunc ritum a saturnalibus ethnicorum, putat Joach. Hilde-

talitiae, ubi infantulus Jesus, mater ejus, Josephus, magi, pastores spectandi exhibentur. Maximeque in monasteriis conservati sunt ejusmodi ludi scenici, agentibus pueris ac monachis per hos dies fabulas, quibus, memoriam nativitatis Christi, indigna tanto mysterio ratione, instaurant *).

Qui puerorum lusus ortum traxerunt ex juvenalibus **) veterum, quae pagana Roma primo die post natalem invicti finitis saturnalibus celebrabat. Eosdem ritus obtinuisse quondam *festo ss. Puerorum* seu *Innocentum*, finitis feriis natalis Christi, in multis Occidentis ecclesiis, et hodieque obtinere in Lugdunensi, prodidit Edmundus Martene***).

---

brandus, *de Natat. vet. sac. et prof.* c. XII. Sunt hi lusus, hae larvae natalitiae, quando alii, partim facie foedi, partim invenili forma conspicui, partim veneranda canitie graves, Christum, apostolos, angelos, diabolos specie prae se ferentes, indomita lascivia comitante nequissimorum puerorum colluvie, nescio quas processiones faciunt, splendida pompa et veneratione ad fallendos pueros puellasque aedes intrant eisdemque donaria distribuunt — hae, inquam, larvae satis ineptae sunt, publicis edictis, aliquibus in locis prohibitae, etiam in *Jure Canon.* c. XII. *Extravag.* Tit. I. Cfr. J. A. Schmidii *Hist. festor.* p. 48. Calamum contra hos ludos strinxerunt Ge. Grabow *in der: Entdeckung des Werks der Finsterniss, welches unter dem sogenannten heil. Christ verborgen.* Lips. 1683. Joh. Gabr. Drechsler *de Christianor. larvis natalit.* ibid. 1677. Viderunt enim, per ejusmodi ceremoniam crassos et impios de Deo conceptus cererae pusionum indoli imprimi eorumque animis instillari venenum idololatriae. Has res ethnicismum imitari intelligent, qui meminerint, viguisse apud gentiles opinionem, deos humana specie se quandoque hominibus exhibere, quales ἐπιφανείας Lycaoniae populi crediderunt Act. 13, 12. Ad has larvas natalitias pertinet quoque terribilis ille Rupertus, ad coercendos pueros puellasque excogitatus, apud quos is tantum valet, quantum olim apud Romanos Hannibal. Quem ritum hac occasione dicam natum videri, non ex fabula de Ruperto, sacerdote in tractu Halberstad. saltantes nocte natalitia diris devovente, quam Trithemius *Chron. Hirsaug.* T. I. pag. 157. et Cranzius *in Saxon.* 4, 3. habent: sed ex spirituum quodam genere, στοιχείων dicto, quod Rupertus ille repraesentat, quem dicunt, in caveis domesticis hominem veluti nigerrimi coloris, noctu saepe, raro interdiu apparere. Cfr. Leon. Allatius *de Graecor. Opinatt.* l. XX. 200. Car. Frid. Pezoldus diss. *de Sancti, ut vocant, Christi larvis et munusculis* Lips. 1699. recenset mortes et damna, quae meticulosi et innocentes pueri ex horrendo Ruperti aspectu et ad saccum suum raptu passi sunt.

*) Habent ejusmodi repraesentationes multa saepe, quae plane falsa et erronea sunt. Ut, verbi causa, ne quid desit ineptiarum, tanto autem splendidior atque elegantior ejusmodi celebritas, asinus et bos rudore et boatu actui adplaudere jubentur. Sed vana est haec brutinae praesentiae in nativitate Christi traditio, quam defendens Caes. Baronius *Annal. Eccl.* P. I. 3. a Casaubono *Exercit. II.* p. 123. jure ideo est reprehensus. Nata est, ex corrupta translatione LXX. loci Habac. 3, 2. *in medio annorum vivificas eum* quod: ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ reddiderunt, quam corruptionem deinceps Pontificii, ex absurdo parallelo Jesaiae 1, 3. et cantilenae verbis: *laudavit bos et asinus*, confirmasse studuerunt. Falso etiam locus, in quo Jesus a magis adoratus fuit, stabulum fingitur, quum tamen magi dicantur intrasse εἰς τὴν οἰκίαν Math. 2, 11. Cfr. Paul. Chr. Hilscher *Errores pictorum circa nativitatem Christi.* Lips. 1689. 4.

**) *Juvenalia*, pro salute juvenum celebrata, instituit Caligula imp. quem Suetonius narrat adjecisse saturnalibus diem eumque *juvenalem* appellasse. Describit ea Alexander ab Alexandro *Genial. dier.* l. 6. c. 18.

***) *Antiq. Eccl. Rit. T. III.* pag. 110. ed. in fol. Pariter Joh. Franc.

Celebrabatur illud festum a pueris, qui praecipuam partem in divinis officiis habebant, occupantibus illis superiores in choro sedes et episcopellum quendam creantibus, qui vestibus quasi pontificalibus indutus ludibrio benedictiones faciebat, reliquis in templo larvales et theatrales jocos facientibus*).

Per saturnalium dies munuscula alteri ab altero mitti solita ex Suetonio**) et Martiale***) discimus. Similiter sub tempore nativitatis Christi ultro citroque mittuntur hodie munera sancti Christi pueruli nomine, ut loquuntur. Praecipue a parentibus parvi liberi expectant

---

Bernh. Maria de Rubeis, qui dissertt. II. (Venetiis 1754. 4.) edidit, quarum prima *de Rufino*, altera *de vetustis liturgicis aliisque sacris ritibus, qui vigebant olim in aliquibus Foroiulensis provinciae ecclesiis*, agit, in hac secunda *diss.* pag. 295. 299. varias *rubricas* exhibet, de electione episcopi pueri, fatui, innocentum. Ait quidem: *simplices, pueriles parumque serios majorum nostrorum mores illustrare non pigeat.* Sed rectius fecisset, si se ab ejusmodi illustratione abstinuisset, quae insaniam, ludibria dignitatis episcopalis, absurda tripudia, crimina denique impune in templo perpetrata ad posteros transmittit. Vocabatur illud festum Stultorum, Fatuorum, Innocentum, Hypodiaconorum. Vide: *Memoires pour servir à l'histoire de la fête des foux, qui se faisoit autre fois dans plusieures eglises. Par Mr. du* Tilliot. *Geneve* 1741. 4. Appellabantur haec festa communi vocabulo *Decembria*, ipsa autem insania: *libertas Decembrica.* Describit ejusmodi festum stultorum ex quadam Petri Blesensis *epistola* Frider. Nitschius T. III. *Ephemerid. Erudit.* VIII. Cfr. du Fresne *Glossar. med et inf. latinit.* vocab. *Kalendae.*

*) Quia suborta sunt ex ejusmodi in templo lusibus in diebus nativ. Dom. damna et caedes, recte vetuit eos concilium Basileense, de qua re Jacques Lenfant, *Histoire du Conc. de Basle* T. II. l. XVIII. p. 39. ad an. 1435: *Dans la session XXI. on fit un decret contre certains spectacles, qui se donnoient dans les eglises pendant quelques fêtes sous le nom de fêtes des foux. Je rapporterai la chose dans les termes du continuateur de l'Abbé Fleury: „Les spectacles, dit-il, se faisoient en certaines fêtes, où l'on habilloit des enfans en evêques avec la mitre, la crosse et les habits pontificaux. D'autres etoient habillés en rois, et c'est ce que le concile dit qu'on appelloit la fête des foux ou des innocens. On y parle aussi des danses et de mascarades d'hommes et de femmes, que le concile defend aux ordinaires, aux doyens, recteurs et curés de souffrir, sous peine d'être privés de leur revenu pendant trois mois.“ On apprend du P. Pagi, que sur la fin du* 12. *siècle Odon evêque de Paris, par ordre de Pierre Cardinal de Capoue, Legat en France, avoit defendu ces sortes des jeux et que la pragmatique Sanction avoit confirmé la defense du concile de Basle à cet égard. Cependant ce même auteur nous apprend, qu'on faisoit encore la fête des foux en quelques endroits de France, sous pretexte que la pragmatique Sanction avoit été abolie. Cette fête duroit encore à Rheims en* 1509.

**) In *Augusto* 75. de hoc imperatore scriptum reliquit hoc: *Saturnalibus modo munera dividebat, vestem et aurum et argentum, modo numos omnis notae, etiam veteres regios ac peregrinos, interdum nihil, praeter cilicia et spongias et rutabula et forcipes atque alia id genus, titulis obscuris et ambiguis.* Idem etiam Vespasianum memorat *saturnalibus apophoreta dedisse.*

***) Epigr. 5, 18.

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappae
Gracilesque ligulae cereique chartaeque
Et acuta senibus testa cum Damascenis,
Praeter libellos vernulos nihil misi etc.

Haec munuscula Tertullianus, *saturnalitia* vocat; Hieronymus autem *saturnalium sportulam.*

in ipsis vigiliis natalitiorum varia dona, ejusdem Christi nomine, quem per tegulas atque fenestras clausas curru onusto ingredi narrantibus credunt *). Ea causa est, cur per istos dies instituantur mercatus, qui quidem videri possunt referre speciem *sigillariorum* **), quae apud gentiles Romanos pars saturnaliorum fuerunt. Cernimus enim in vigiliis nativitatis Christi venum exposita sigillaria sive parva signa et simulacra, ex aere et fictili materia conflata, non secus atque olim in vico Romae, qui sigillarium vocabatur, talia venalia erant, quum parentes *lusum*, ut ait Macrobius ***), *reptanti adhuc infantiae oscillis fictilibus praebebant.* Neque ipse adeo pontifex romanus eo tempore cessat muneribus prosequi suos, peragens in nocte nativitatis Christi benedictionem gladii et pilei, quae tamquam munera ad viros principes, de ecclesia pontificia bene meritos, honoris ac benevolentiae causa mittere consuevit.

Neque tamen contenderim superstitiones, quas multi adhuc in vigiliis nativitatis Christi exercent, omnes et singulas ex saturnalibus veterum derivandas esse. Nam quod vulgo homines, nescio, quae abominanda omnia de futuris nuptiis et statu ac conditione sua, tum corporis tum fortunae, vanissimis et scelestissimis artibus capiunt, in eo mihi et ipse residuam veterum Germaniae populorum superstitionem †) videor deprehendere. Hujuscemodi superstitiosas sortes, jam suo tempore notavit Discipulus Augustini ††). Nata est his rebus occasio duplici ex causa, tum, quod veteres solstitium brumale in diem 25. dec. fixerunt adeoque istam noctem singulari observandam cura duxerunt, tum etiam, quod antiquo vigiliarum ritu abrogato, *pervigilium nativitatis Christi* solum retentum fuit †††).

---

*) Quomodo haec adversentur praeceptis divinis, quia tribuunt Christo, quae ejus persona plane indigna sunt, et quomodo iniquos de Deo conceptus pueris creent, docuit Pezoldus diss. cit. it. Matth. Dresserus de *festis christian.* p. 312.; ethnicam autem originem Hospinianus 2, p. 171. ostendit.

**) *Sigillaria*, a parvis sigillis s. genere muneris, quod plerumque ex fictili materia. Hinc Martialis 14; 178. *Sum fragilis, sed tu moneo ne sperne sigillum.*

***) *Saturnal.* l. I. c. XI. pag. 202.

†) Similia apud Gothos obtinuerunt. Vid. Joh. Ludov. Hannemann de *superstitione veter. Gothorum.* Kil. 1706. p. 26.

††) Serm. XI. de tempore. *Sunt, qui debent esse contristati, quod istam noctem in ludo consumserunt, qui in crapula et ebrietate vixerunt, qui infidelibus suis sortilegiis et in ceteris incredulitatibus suis tempus illud sacratissimum consumunt, qui in his duodecim noctibus vanitates exercent, qui cumulos salis ponunt, per hoc futura praenosticant, qui calceos per caput jactant, qui arbores cingunt, qui cum micis et fragmentis, quae tolluntur de mensa, in vigilia nativitatis Christi sua sortilegia exercent. Omnes tales merito, sicut nocluae, excoecati et maledicti incedunt hodie in tam clara hujus diei luce.* Multo magis autem arguendi sunt, qui nocte hac salutis ad execrandas magicas artes abutuntur, diaboli implorantes opem eoque auctore illicita perpetrantes opera, per indusium necessitatis, quo ab omni armorum injuria tutos se esse credunt, quale se vidisse scribit Wierius *de Praestig. daemon.* 4, 15.

†††) Id observatum a Benedicto XIV. *Commentar. de festis Jesu Chr.* pag. 246. lat. vers. Postquam enim vigiliae, ob scelera, quae sub obtentu orationis committebantur, abrogatae fuerant, substitutis in earum locum jejuniis

Denique crebrae Patrum ecclesiae allusiones ad solem novum et enascentem, eorumque comparationes nativitatis Christi cum reditu solis planum faciunt et evidens, natalem invicti festo-natalis Christi ad diem 25. dec. ortum et incunabula dedisse. Nam alii ex iis nativitatem Christi cum sole enascente contendunt, ut Gregorius Nyss.*), Prudentius**), Auctor *Homiliae*, quae Ambrosio tribuitur***) et Augustinus†), alii graviter admonent et cohortantur suos, ne eo die, qui Christo nato sacer habeatur, cultum aut honorem soli exhibeant, sed unice in Christum mentis et oculorum aciem intendant, qui soli quoque imperare didicerit. Habentur ejusmodi loca apud Leonem M. p. r.††)

---

unum mansit pervigilium nativit. Christi, in quo antiquus mos servatus est; sed quia nox sceleri solet esse occasio, non est, quod Joh. Steph. Durantus optet, vigilias universim instaurari *de ritibus eccl. cath.* l. III. pag. 451. *edit. Paris.* in 4.

*) *Orat. in diem natalem Christi* T. III. *Opp.* (pag. 340. *edit. Paris.* 1638.) ubi de die nati Christi dicit, non casu in eo fieri, ut splendore dierum aucto, noctis termini contrahantur. *Ἐν ᾗ μειοῦσθαι τὸ σκότος ἄρχεται καὶ τὰ τῆς νυκτὸς μέτρα τῷ πλεονάζοντι τῆς ἀκτῖνος συνωθεῖται πρὸς ἔκλειψιν. οὐ συντυχικὴ τις, ἀδελφοί, γέγονε κατὰ τὸ αὐτόματον ἡ τοιαύτη περὶ τὴν ἑορτὴν οἰκονομία, τὸ νῦν ἐπιφανῆναι τῇ ἀνθρωπίνῃ ζωῇ τὴν θείαν ζωήν. Ἀλλά τι μυστήριον διὰ τῶν φαινομένων τοῖς διορατικωτέροις διηγεῖται ἡ κτίσις. μονονουχὶ φωνὴν ἀφιεῖσα καὶ διδάσκουσα τὸν ἀκούειν δυνάμενον, τί βούλεται ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ δεσπότου ἡμέρα προσαυξανομένη καὶ νὺξ κολοβουμένη.*

**) *Cathemer.* Hymn. XI.

Quid est, quod artum circulum
Sol jam decurrens deserit?
Christusne terris nascitur
Qui lucis auget tramitem?

***) Serm. X. de *Nativit. Dom.* ab initio. (*Append.* T. II. edit. *Opp.* Ambrosii *Benedict.*) *Bene quodammodo sanctum hunc diem natalis Domini solem novum vulgus appellat et tanta sui auctoritate confirmat, ut Judaei etiam atque Gentiles in hanc vocem consentiant. Quod libenter amplectendum nobis est, quia oriente Salvatore non solum humani generis salus, sed etiam solis ipsius claritas innovatur.* Ita intelligitur, natalem invicti sive 25. dec. orta jam doctrinae salutaris luce, non solum, quod *natalis Christi* existimaretur, sed etiam ob solem enascentem in magna fuisse dignitate.

†) *Serm.* 92. t. V. p. 625. *Atque inde est, quod hodie natus est, quo die, minor dies nullus, in terris, a quo tamen incrementa dies sumunt.* Et Serm. 186. ejusdem tomi p. 616. *Nam et ipse dies, a quo deinceps incrementum lucis accipit dies, opus Christi significat, a quo interior homo noster renovatur de die in diem, aeterno quippe creatori, in tempore creato ille dies debuit esse natalis, cui natura congrueret temporalis.*

††) Serm. II. de nativit. Dom. p. 15. (edit. *Lugd.* 1617.) Theoph. Rainaudi *Hept. praes. Christ. In fide, qua fundati estis, permanete, ne idem ille tentator, cujus jam a vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidiis, et haec ipsa praesentis diei gaudia suae fallaciae arte corrumpat, illudens simplicibus animis de quorundam persuasione pestifera, quibus dies sollennitatis nostrae, non tam de nativitate Christi, quam de novo, ut dicunt, solis ortu honorabilis videtur.* Reprehendit quoque Leo morem adorandi solem die nativit. *Serm.* 7. *Opp.* p. 19. memoratque *impietatem*, qua *sol inchoatione diurnae lucis exsurgens, a quibusdam insipientioribus*, (Manichaeos intelligit, quibus tum ipse, tum Augustinus l. II. *de mor. Manich.* T. I. Opp. solis cultum exprobavit) adoretur, *qui in basilica Petri superatis gradibus, quibus ad suggestum arae ascenditur, ad nascentem se solem reflectant et curvatis cervicibus inclinent. Quod fieri partim ignorantiae vitio, partim paga-*

et **Augustinum** *), magno sane argumento, in locum **natalis invicti natalem Christi** successisse.

---

nitatis spiritu dolet. Joh. Ciampinus, qui *Commentar. de vocis correctione* in Serm. VII. Leonis 1693. *Romae* edidit, pro *ara* legi debere *area* observat, et fideles, antequam Vaticanam basilicam ingrederentur, *nascentem solem* adorasse idque in festo nativitatis J. C. praecipue fecisse narrat. Quem solis cultum, ex Manichaeismo Leonis temporibus fluentem, pluribus persequitur Joh. Bapt. Casalius *de vet. sacr. christ. rit.* pag. 25 *edit. Rom. in fol.* Vide Joach. Hildebrandi *Rituale Orant*. p. 7. Jac. Thomasii diss. *de ritu vet. Christianor. precandi versus orientem*. it. Joh. Fr. Treiberii disp. *de situ altarium nostrorum versus orientem*, Jenae hab.

*) Serm. VII. in *Nat. Dom.* (T. V. p. 620. edit. *Benedict*): *Habeamus ergo, fratres, sollennem istum diem, non, sicut infideles propter hunc solem, sed propter eum, qui fecit hunc solem. Quod enim verbum erat, caro factum est, ut propter nos posset esse sub sole. Carne quippe sum sole, majestate autem super universum mundum, in quo condidit solem. Nunc vero et carne super istum solem, quem pro Deo colunt, qui mente caeci verum justitiae non vident solem.* Cum quo loco omnino conferri debet is, quem ex *antiqua Homilia de Nativit. Johannis baptistae*, quae Chrysostomo in quibusdam ejus editt. tribuitur, jam supra excitavimus.

VIII.

Joh. Ludov. Schulze de festo sanctorum luminum*).

Morem celebrandi diem Salvatoris nostri natalem jam inde a sec. IV. inter eos, qui Christi nomen et sacra profitebantur, obtinuisse constat, ne jam de illis dicamus, qui sollennitatis illius vestigia, sed minus certa, sec. III. vel II., imo etiam primo deprehendi putant. Non eodem quidem nomine venit nec eodem ubique locorum tempore celebratus est dies iste natalis Christi, omnes tamen nobis, qui Jesum Christum salutis nostrae unicum reparatorem veneramur, diem illum carissimum esse debere, intellexerunt, etsi neque de nomine, neque de ipso sollennium die primis ecclesiae temporibus inter omnes conveniret.

Aptissimum huic Christianorum sollennitati videtur esse nomen, quo Chrysostomus et Gregorius Naz. passim in homiliis suis utuntur, qui festum nativitatis Christi appellant *γενέθλιον ἡμέραν* aut *γενέθλια τοῦ Σωτῆρος*. Idem dicit notissimum illud nomen *Ἐπιφάνεια*, quod tamen, qui subtilius loquuntur, distinguunt a plurali nomine *Ἐπιφάνια*. Scilicet *ἐπιφάνεια*, si Suidae interpretationem sequi velimus, non de tempore memoriae Christi nati sacro dicitur, sed est *ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία***), h. e. manifestatio Christi in carne. Recte quidem, si accuratius loquimur. *Ἐπιφάνια* enim dicuntur dies illi laetitia pleni, quibus natalium Christi obeunda est memoria. Ita esse nos docet Epiphanius, qui haeresi 51, 16. vim nominis illius exprimit per *ἡμέρα τῆς αὐτοῦ (Κυρίου) γεννήσεως κατὰ σάρκα****)

---

*) Prodiit, Univ. Hal. progr. ad fest. Chr. nat., Halae 1778. 4.

**) *Οἰκονομίας* nomen frequens est Patribus graecis, quum de nativitate, seu, ut hoc jam utamur termino, incarnatione Christi loquuntur. - Multis omnino locis solo isto nomine utitur Theodoretus, si de mysterio conjunctionis naturae Christi divinae cum humana loquitur. Quam *ἐνανθρώπησιν* vocat, eam saepius dicit *μυστήριον οἰκονομίας*, nec non *οἰκονομίαν μετὰ σαρκὸς* vel *κατὰ σάρκα*. (Edit. Hal. t. I. 966. T. III. p. 55. 59. 551. 683. T. IV. p. 423. T. V. p. 13. et 22.) Eodem sensu nomine *οἰκονομία* utitur Joh. Damasc. (de fide orthod. l. 3, c. 1—2.) Idem significatur phrasibus in libris Patrum frequentissimis *οἰκονομία τῆς ἐνανθρωπήσεως* et *ἡ κατὰ τὸν ἄνθρωπον οἰκονομία*. Nec aliud quid innuit Eusebius, quum in limine historiae suae ecclesiasticae ait, se initium esse facturum *ἀπὸ πρώτης τῆς κατὰ τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τοῦ θεοῦ οἰκονομίας*. Incarnationem Christi dicit *πρώτην οἰκονομίαν*, eodem sensu, quo in vita Constantini 3, 41. *πρώτης τοῦ Σωτῆρος θεοφανίας* meminit, scilicet ut ista ab *οἰκονομία τοῦ πάθους* distinguatur.

***) Non accurate omnes istam *ἐπιφανείας* et *ἐπιφανίων* diversitatem ob-

Haec praemittenda erant, ne quem falleret ambiguitas vocis *ἐπιφάνεια*, quae, si significationem ecclesiasticam nostro tempore receptam sequimur, de festo dici solet, quod jam olim ad recolendam memoriam adventus magorum institutum fuit. Primis vero ecclesiae seculis aliam fuisse hujus festi rationem in ipso limine hujus dissertationis monere visum est. Scilicet si de natali Salvatoris nostri loquimur, Epiphaniorum nomine veniunt sacri dies in memoriam nativitatis Domini nostri celebrandi, qui etiam *θεοφάνια* in ecclesia graeca dicti sunt, et quidem, ut Gregorius Naz. (or. 38.) *) dicit, *ὅτι Θεὸς ἐφάνη ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως*. Isto nomine per aliquot secula natalis Domini in ecclesia graeca die sexto januarii celebratus est, donec Graeci Latinos imitati festum illud ad diem 25. dec. transferrent; qua facta mutatione nomen *ἐπιφανίων* cessit festo, quod adhuc nostro tempore occupat diem sextum januarii. Et quidem non immerito ad hoc festum solum, quod primitiva ecclesia praeter adventum magorum, etiam memoriae Christi in Jordane baptizati sacrum esse voluit, nomen illud transiit, ob manifestationem personarum divinarum, quae, cum Jesus a Johanne baptizaretur, contigit **).

Reliquum est, ut unum adhuc commemoremus nomen, quod, cum rarius sit et aliquid obscuritatis habere videatur, hac disputatione illustrare constituimus. Nimirum natalis Domini nostri Jesu Christi a scriptoribus ecclesiasticis dicitur etiam *festum luminum*, seu, ut Rufinus habet, *sancta lumina Epiphaniorum*; Graecis *τὰ ἅγια φωτὰ*, seu *ἁγία τῶν*

---

servant scriptores ecclesiastici. Haud raro ipsam incarnationem Domini vocant *τὰ ἐπιφάνια*. Hujus autem postremae vocis haec solet esse apud scriptores profanos vis, ut diem festum memoriae cujusdam sacrum innuat. Ita esse ex Athenaeo intelligimus, qui Deipnos. 12, 11. narrat, Demetrium Phalereum memoriam occisi fratris sui, Himeraei, sacrificiis coluisse, quasi *τὰ ἐπιφάνεια τοῦ ἀδελφοῦ θύοντα*. Scilicet Gentiles *ἐπιφάνειαν* dicebant cujusvis numinis apparitionem.

*) Inscribitur ista oratio: *εἰς τὰ ἐπιφάνεια εἴτ' οὖν γενέθλια τοῦ Σωτῆρος λόγος*. In ipso exordio vocibus *θεοφάνια* et *γενέθλια* usus sacer orator, subjicit: *λέγεται γαρ ἀμφότερα· δύο κειμένων προσηγοριῶν ἐνὶ πράγματι. ἐφάνη γαρ Θεὸς κτλ.* Illud *ἐφάνη* proxime accedit ad Paulinum illud *ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ*. I. Tim. 3, 16.

**) Tempore Imperatoris Juliani adhuc natalem Domini nostri *Ἐπιφανίων* nomine venisse, probat fide dignum Ammiani Marcellini testimonium (lib. 21.) „Ut omnes, inquit, nullo impediente ad sui favorem illiceret, adhaerere cultui christiano fingebat, a quo jam pridem occulte desciverat, aruspicinae auguriisque intentus et ceteris, quae deorum semper fecere cultores. Et ut haec interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum ecclesiam, sollenniter numine orato discessit.“ Locum istum, etsi ad festum, quod mense januario celebrabatur, pertineat, tamen non de alio, quam de natali Christi, intelligendum esse, satis probari potest, tum ex iis quae Socrates (hist. eccl. 6, 18.) et Sozomenus (hist. eccl. l. 6. c. 16.) referunt, tum ex loco fere gemino Zonarae (Annal. T. III.) Ejus enim de Juliano imperatore haec sunt verba: *Αὐτὸς δὲ τῆς γενεθλίου τοῦ Σωτῆρος ἡμέρας ἐφεστηκυίας εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναὸν, καὶ προσκυνήσας, ἵν' ὁμόδοξος τοῖς στρατιώταις δοχῇ, ἀπῆλθε.* Ad simulatam istam Juliani in Jesum, Dominum nostrum, pietatem alludere etiam videtur Gregorius Naz. Orat. 9. ubi tecte illum alloquitur, et his inter reliqua utitur verbis: *αἰδεσθεὶς, εἰ μή τι ἄλλο, ἢ τὸν καιρὸν αὐτὸν*; tempus scilicet imperati post Christum natum a Caesare Augusto census.

φωτιῶν ἡμέρα. Hoc nomine usus est Gregorius Naz. in titulo orationis trigesimae nonae, quae quidem, si argumentum spectemus, ad baptismum Christi pertinet, recitata autem est diebus Christo nato sacris, ut ex ipso orationis illius initio intelligi potest. De festo itaque, cui hoc impositum sit nomen, quaestio nulla fere est, operae autem erit pretium, inquirere, cur nomine isto veniat? Triplici modo ad quaestionem illam responderi potest. Sive enim natalis Domini nostri ideo festum sanctorum luminum dictus est, quia Christus salutari luce sua collustravit totum terrarum orbem, sive quod ad festum encaeniorum Judaeis olim sollenne, sive quod ad baptismum ritusque baptismales respiciatur. Hae quidem sunt, quae cum aliqua veri specie proferri possent, sententiae; quarum quae sit praecipua, lustratione facta apparebit.

Primo itaque nomen illud natali Domini nostri datum esse potest, propterea quod Christus in sacris oraculis V. et N. T. saepissime cum lumine comparatur, universum orbem collustraturo, ut Jes., 49, 6; 60, 1 sequ. Luc. 2, 32. Joh. 1, 4. 5. 9. Act. 13, 47. Hanc nominis rationem suppeditat Gregorius, qui ab initio orationis sacrae jam commemoratae his utitur verbis: ἡ γὰρ ἁγία τῶν φωτῶν ἡμέρα, εἰς ἣν ἀφίγμεθα, καὶ ἣν ἑορτάζειν ἠξιώμεθα σήμερον, ἀρχὴν μὲν τὸ τοῦ ἐμοῦ Χριστοῦ βάπτισμα λαμβάνει, τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς, τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Ἐνεργεῖ δὲ τὴν ἐμὴν κάθαρσιν, καὶ βοηθεῖ τῷ φωτὶ, ὃ παρ᾽ αὐτοῦ λαβόντες ἄνωθεν ἀπ᾽ ἀρχῆς ἐκ τῆς ἁμαρτίας ἐζοφώσαμέν τε καὶ συνεχέαμεν. Fatemur, hanc interpretandi rationem facilitate quadam commendari, imo ad usum loquendi istorum temporum satis accommodatam videri. Tamen, si ex natura tropi, qui est in voce φῶς, rem aestimemus, explicatio ista non quidem vitio laborare, manca autem esse videtur. Etenim dies nativitatis Christi vocandus esset φωτισμὸς seu ἡμέρα φωτισμοῦ, non ἡμέρα φωτῶν. Obscurum esse non potest ex ipso hoc nomine, aliquam simul in eo inesse allegoriam, quam prodit plurale nomen φωτά, quod, si non fallimur, ad frequentem luminum vel cereorum in sacris tum Judaeorum tum gentilium usum alludit.

Alteram jam ingrediamur viam, ut symbolici illius nominis probabiliorem si fieri possit, causam investigemus. Videamus, an ex antiquitatibus Hebraeorum apta peti possit ratio allusionis ad frequentiam luminarium vel cereorum? Et hoc quidem respectu non contemnenda videtur conjectura, in quam dudum inciderunt eruditi, primam originem sollennitatis natalibus Salvatoris nostri sacrae petendam esse ab encaeniis olim a Judaeis maxima cum laetitia celebratis. Jam itaque de encaeniorum origine ac sollennitate paucis disputabimus.

Ex primo Maccabaeorum libro ejusque quarto capite intelligimus, Judam Maccabaeum hostibus profligatis repurgasse templum, novum exstruxisse altare totumque adeo cultum sacrum Judaeorum restaurasse. Die vigesimo quinto mensis noni seu Chisleu, quem ex parte decembri nostro respondere putant, denuo coeperunt Judaei sacris suis maxima cum laetitia vacare et per octo dies festum restaurati cultus sacri celebrare. Mandatum quoque est a Juda Maccabaeo, ut dies illi festi quot-

annis a Judaeis per octiduum celebrarentur*). Ab eo tempore sollennia ista quovis anno celebrata esse suaque adhuc aetate obtinuisse, testis est Josephus (Antiq. jud. 12, 7.), qui etiam refert, nomen huic festo datum esse *φωτά*, vel ut alii scribunt, *φῶτα***). Haec sunt *ἐγκαίνια*, quae Christus Hierosolymis celebravit, ut Joh. 10, 22. 23.***) legimus, ad quem locum Lightfootus (in Horis Hebr. et Talmud. ad Johannem) multa ex Talmudicis scriptoribus congessit, quae hic non repetimus. Unus ille, quem ex Maimonide attulit, locus dignus est, quem adscribamus. Ita vero ille (in Hilchot Megillah et Chanuchah): „Propter hoc instituerunt sapientes, qui erant in ista generatione, ut octo isti dies a 25. Chisleu sint dies laetitiae, et Hallel, utque in iis accendant lucernas vespere ad ostia domorum, unaquaque nocte istarum octo ad declarandum et manifestandum illud miraculum. Et dies isti vocantur חנוכה, hoc est, dedicatio, et prohibetur in iis lugere et jejunare."

Haec de origine encaeniorum monuisse sufficiat. Multa autem impediunt, quo minus nobis persuadeamus, festo illi Judaeorum originem debere sollennitatem memoriae Christi nati sacram. Novimus quidem, non paucos cum Vitringa et Steph. le Moyne in hanc propendere sententiam, Christianorum dies festos praecipuos a sacris Judaeorum, imo etiam gentilium feriis originem suam derivare. At vero quae in hanc rem dicta sunt plurima speciem quidem aliquam prae se ferunt, sed inter conjecturae limites subsistunt. Verum quidem est, primos in Christianorum coetu sacrorum antistites ipsosque adeo Apostolos hos illosque synagogae ritus sub initium nascentis ecclesiae abrogare noluisse multaque in istos ritus *συγκαταβάσει* esse usos, sed isto argumento in hac causa multi abutuntur. Cum non liceat nobis in historiam omnium, quae Christianis sollennia sunt, festorum excurrere, justis nos continemus limitibus. Qui sacra natalitia Jesu Christi ab encaeniis originem habuisse existimant, nituntur praecipue tum nominis, quod supra posuimus, similitudine, tum mensis, in quem utrumque festum incidit, aequalitate. Ad

---

*) Mandatum illud 1. Macc. 4, 59. his exprimitur verbis: *Καὶ ἔστησεν Ἰούδας καὶ πᾶσα ἐκκλησία Ἰσραὴλ, ἵνα ἄγωνται αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτὸν ἡμέρας ὀκτὼ ἀπὸ τῆς πέμπτης καὶ εἰκάδος τοῦ μηνὸς χασελεῦ, μετ' εὐφροσύνης καὶ χαρᾶς.* His gemina sunt, quae habet Josephus (Ant. jud. l. c.) qui bene observat, hanc sacrorum sollennium restaurationem factam esse eodem post elapsos tres annos die, quo templum ab Antiocho M. destructum fuerat.

**) Dignus qui adponatur locus hic est: *Καὶ ἐξ ἐκείνου μέχρι δεῦρο τὴν ἑορτὴν ἄγομεν καλοῦντες αὐτὴν φωτά.* Nominis rationem hanc adjungit: *ἐκ τοῦ παρ' ἐλπίδας οἶμαι ταύτην ἡμῖν φανῆναι τὴν ἐξουσίαν, τὴν προσηγορίαν θέμενοι τῇ ἑορτῇ.* In hac quidem nominis *φωτὰ* interpretatione recessit Josephus a gentis suae magistris, qui lucernarum tempore hoc sollenni accensarum multitudinem nomini illi occasionem dedisse fere omnes perhibent. Facilius tamen hanc admitteremus etymologiam, quam lepidam illam a Maimonide l. c. narratam fabulam, scilicet unicam modo olei puri lenticulam fuisse in templo repertam, quae vix uni suffecisset diei, miraculo autem factum esse, ut per totum octiduum arserint lucernae, donec aliud oleum purum comparari potuerit. Hinc et *φωτῶν* et *λυχνοκαΐας* nomen sumtum putarunt creduli.

***) Fallitur Nonnus, qui in paraphrasi metrica Johannis locum illum de festo in memoriam inaugurati templi Salomonei celebrato interpretatur.

prius autem quod attinet, nimis jejunum illud est et maxima ex parte Talmudicorum parum firmae autoritati superstructum. Si vel millenis Judaei dies encaeniales collustrassent luminibus, ut fere Talmudici jactitant, imo si vel maxime Josepho credimus, *luminum* nomen istis sacris fuisse impositum, tamen credulitate superiores esse deberemus ipsis Judaeis, si festum nativitatis Jesu Christi propterea quod simili quidem, sed forte ab alia causa derivando nomine insignitur, ab encaeniis ortum et nomine φωτῶν ornatum statueremus. Non magis firmo stat talo argumentum alterum, etsi multum illi tribuunt, qui huic sententiae favent. Chronologiae sacrae apprime ignarus debet esse, quem fallere possit aequalitas mensis, quem forte sibi vindicat utrumque festum. Ne jam de vario Judaeorum menses cum nostris componendi modo dicamus, liberaliter concedemus, quod sumunt illius sententiae patroni, scilicet mensem Judaeorum Chisleu decembri nostro, saltem ex parte respondere. An vero inde sequitur, dies sacros, quibus nos memoriam Christi nati celebramus, ortum suum debere festo, cui eodem fere tempore Judaei vacabant? Major est difficultas, quae ad ipsum nativitatis Christi mensem attinet, de quo post multas eruditorum nostro etiam tempore repetitas disputationes adhuc sub judice lis est. Quid? si ponamus, veram esse sententiam Scaligeri*), qui probare aggressus est, natalem Salvatoris nostri esse ad mensem septembrem referendum, quae tunc hypothesi, quam impugnamus, reliqua esset species?**) Augetur difficultas inaequalitate, quae ex vario annos mensesque computandi modo non potuit non oriri, quaeque tanta est, ut multorum annorum spatio vix semel potuerit natalis Domini nostri in eundem cum Judaeorum encaeniis diem incidere. Sed his non immorabimur amplius.

Ad tertiam progredimur nominis, de quo disputamus, explicandi rationem, a baptismo ejusque ritibus sumtam, quam quidem duabus aliis praestare arbitramur. Scilicet *sanctorum luminum* nomine dies natalis Salvatoris nostri insignitus esse videtur ideo, quod ecclesia orientalis per aliquot secula natalem istum die sexto januarii celebraverit adeoque eodem die, quo memoriam baptismi Jesu Christi solebat recolere***). Nihil

*) Ab ista Scaligeri sententia non omnino alienus est Wagenseil. Sota, p. 946 s.

**) Habent fere, qui sententiae illi patrocinantur, quod doleant, autoritate inter nos non valere Canones, quos *apostolicos* dicunt, qui quidem generalius tantum de nono mense loquuntur, Judaeorum autem sine dubio intelligi volunt menses. Ita vero habet locus iste ex Constitutionibus Apostolicis l. V. c. 13. ineunte: *Τὰς ἡμέρας τῶν ἑορτῶν φυλάσσητε, ἀδελφοὶ, καὶ πρώτην γε τὴν γενέθλιον, ἥτις ὑμῖν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ ἐνάτου μηνός· μεθ' ἣν ἡ ἐπιφάνιος ὑμῖν ἔστω τιμιωτάτη, καθ' ἣν ὁ Κύριος ἀνάδειξιν ἡμῖν τῆς οἰκείας θεότητος ἐποιήσατο· γινέσθω δὲ καὶ αὐτὴ ἕκτῃ τοῦ δεκάτου μηνός.* Ad haec postrema verba vide, quae Cotelerius notavit, in Opp. SS. Patrum apostolic. T. I. p. 312.

***) In ecclesiis quibusdam memoriam Christi nati et baptizati conjunctam seu uno eodemque die, scilicet sexto januarii, olim celebratam fuisse, donec natalis Jesu Christi ad diem 25. dec. transferretur, jam supra monuimus. Nec dubitationi locum relinquit Gregorii Naz. or. 39. quae cum praecedente tam arcte cohaeret, ut satis appareat, eam, quae trigesima octava est numero et de nativitate Christi agit, prae-

itaque obstat, quo minus ad utrumque festum referatur nomen τῶν φώτων, etsi non negemus, illud proxime ad festum diem baptismi Domini nostri spectare. Huic enim sollennitati nomen illud *luminum* apprime aptum erat, sive effectus baptismi salutares sive ritus, quos baptismales dicunt, spectemus. Sacro enim illi lavacro non immerito vis illuminandi animum (*φωτισμὸς* Graecis, ut ipse baptismus *φώτισμα*, dici solet) tribuitur. Recte Theodoretus ad Psal. 33, 9. (edit. Hal. T. I. p. 815.) scribit: *διὰ τοῦ παναγίου βαπτίσματος ὁ ἀληθὴς φωτισμὸς τοῖς προσιοῦσι προσγίνεται.* Et Gregorius Naz. (orat. 40. ab initio) *τὸ φώτισμα,* ait, *λαμπρότης ἐστὶ ψυχῶν, βίου μετάθεσις, ἐπερώτημα τῆς εἰς θεὸν συνειδήσεως. Τὸ φώτισμα βοήθεια τῆς ἀσθενείας τῆς ἡμετέρας. Τὸ φώτισμα σαρκὸς ἀπόθεσις, πνεύματος ἀκολούθησις, Λόγου κοινωνία, πλάσματος ἐπανόρθωσις, κατακλυσμὸς ἁμαρτίας, φωτὸς μετουσία, σκότους κατάλυσις· τὸ φώτισμα ὄχημα πρὸς Θεὸν, συνεκδημία Χριστοῦ, ἔρεισμα πίστεως, νοῦ τελείωσις, κλεῖς οὐρανῶν βασιλείας, ζωῆς ἄμειψις, δουλείας ἀναίρεσις, δεσμῶν ἔκλυσις, συνθέσεος μεταποίησις.*

Hos salutares baptismi effectus symbolicis quibusdam ritibus significavit primitiva ecclesia. De his quidem, quos copiose recenset Gregorius (in fine orationis 40.) jam non disputamus. Hoc unicum autem attingendum est brevissime, inter hos ritus baptismales fuisse etiam usum cereorum accensorum, quos illi porrigebant, qui sacro initiatus erat lavacro. De his Gregorius (l. c.) *αἱ λαμπάδες,* inquit, *ἅσπερ ἀνάψεις, τῆς ἐκεῖθεν φωταγωγίας μυστήριον, μεθ' ἧς ἀπαντήσομεν τῷ νυμφίῳ, φαιδραὶ καὶ παρθένοι ψυχαὶ φαιδραῖς ταῖς λαμπάσι τῆς πίστεως, μήτε καθεύδουσαι διὰ ῥαθυμίαν, ἵνα μὴ λάθῃ παρὼν ἀδοκήτως ὁ προσδοκώμενος, μήτε ἄτροφοι καὶ ἀνέλαιοι καὶ καλῶν ἔργων ἐπιδεεῖς, ἵνα μὴ τοῦ νυμφῶνος ἐκπέσωμεν.*

---

cessisse, istam vero eodem die excepisse alteram, quae est numero trigesima nona et de baptismo Christi exponit. In prooemio homiliae 38. rhetor deflectit orationem ab iis omnibus, quae non proxime ad nativitatem Salvatoris nostri attinent. *Ταῦτα μὲν,* inquit, *ὕστερον. τὰ δὲ νῦν θεοφάνια ἡ πανήγυρις.* Orationem vero 39. orditur a verbis: *Πάλιν Ἰησοῦς ὁ ἐμὸς, καὶ πάλιν μυστήριον.* Et in media ejus parte (edit. Paris. T. I. p. 632.) his utitur verbis: *τῇ μὲν οὖν γεννήσει τὰ εἰκότα προεορτάσαμεν κτλ.* Post aliqua interposita sic pergit: *νυνὶ δὲ πρᾶξις ἄλλη Χριστοῦ καὶ ἄλλο μυστήριον,* scilicet baptismus Christi, cujus salutarem ad nos rationem prolixe exponit.

IX.

G. Jac. Planck variarum de origine festi Christi natalitii sententiarum epicrisis *).

Diem nativitatis Jesu Christi sacrum non a primis inde ecclesiae temporibus, sed praeterlapsis demum aliquot seculis in festorum societatis christianae numerum fuisse relatum, omnis quidem antiquitas tam luculento atque unanimi testimonio declarat, ut celari atque occultari serior illa sollennitatis nostrae origo non potuisset, si vel ratio occultandi, quae quidem inter nos certe nulla cogitari potest, adfuisset. Illud autem incommodius videri aliquantum posset, quod circa hanc ipsam festi seriorem originem nihil certi nobis reliquit antiquitas, nisi illud ipsum sagacitatem atque solertiam eruditissimorum virorum **), qui in illustrandis antiquitatibus sacris versabantur, ita acuisset, ut in rimandis illorum temporum, in quibus origo festi quaeri poterat, monumentis nihil intactum aut imperscrutatum relinquerent, ex quo, quod fortuna non raro ita tulit, non tam causae, de qua quaerebatur, quam universae illius aevi historiae non parum variae lucis affusum est. Id quidem confirmari facili opera posse confidimus, si, quae magno istorum virorum labore eruta sunt et conquisita, in pauca quaedam capita redacta jam nunc colligamus, quo certe, quod tempori et scopo nostro magis accommodatum sit, nihil fieri a nobis posse existimamus.

Pro certo itaque et explorato illud primum haberi poterit, nulla sollennitatis religiosae in memoriam nati Servatoris institutae vestigia in sacris christianis duorum primorum seculorum reperiri. Si quidem ulla Constitutionibus Apostolicis, quae sub Clementis nomine circumferuntur, tribui posset auctoritas, ipsos Apostolos festi nostri auctores esse facile constaret, neque dubio locus esset, quin a prima jam ecclesia idem ille dies, quem nos sacrum agimus, recordationi nativitatis Christi fuerit

---

*) Prodiit, Univ. Gotting. progr. ad fest. Chr. nat., Gotting. 1796. 4.

**) Vid. Hospiniani Tractatus de festis Christianorum p. 168. Jac. Gretseri L. II. de festis Christianorum p. 126. Joh. Andr. Schmidius Hist. festorum et dominicar. p. 51. Joach. Hildebrandi Enchiridion de sacris publicis, templis, festis priscae et primitivae ecclesiae. Helmstad. 1735. in 4. Sig. Jac. Baumgartem Progr. de solennium Christo nato sacrorum originibus. Halae 1738. Id. de mense dieque memoriae Christi nati antiquitus consecrato. Ib. 1740. Id. de solennibus quibus memoria Christi nati antiquitus celebrata est. Ib. 1743. Gottlieb Wernsdorff Progr. quo potiores sententiae de die natali J. C. recensentur. Witteb. 1738. plures scriptores collegit Joh. Alb. Fabricius Bibliograph. antiquar. ed. 3. p. 479 ss.

consecratus. At si nulla alia essentiam ficti auctoris aetatem proderent indicia, ex hoc ipso loco manifeste deprehendi posset; festo enim nativitatis Christi statim ita adjungit festum epiphaniae, ut distinctam illi sollemnitatem adsignet*), quam non nisi sec. V. obtinuisse, plurimis ac certissimis documentis evictum est.

Certiorem vero testem celebrati saltem sec. III. festi Servatoris natalitii produxisse videtur Hospinianus**), Theophilum nempe illum, qui sub finem ejusdem seculi Caesareae Episcopus, quod ex Hieronymo constat atque Eusebio, floruit. Hunc enim in epistola paschali, ab iisdem etiam Patribus laudata, asserentem profert, quod inter Gallos usu receptum sit, memoriam nati Servatoris die 8. kal. januar. quovis anno celebrare. Testem etiam approbarunt Caveus et Hildebrandus***), neque adeo obstare quidquam videtur, quominus hoc ipso teste recte etiam uti potuissent illi, qui propiorem Apostolorum aevo festi originem defendunt†). Ecqui vero non rectius et prudentius ignorasse illum videbuntur, ut primum cognoverit, non de eo solum posse ambigi, num vere testimonium illud Theophilus dixerit? sed hoc etiam: num omnino dixerit? in magno adhuc dubio positum esse. Epistolam, quam Theophilo tribuit Hospinianus, non eam esse, quam Eusebius et Hieronymus commemorant, plurima ostendunt argumenta. Alium prorsus auctorem in suis codicibus inscriptum invenit Bucherius††), sed ignotum eum, quem omnis ignorat antiquitas; at nec ipsum illum locum, quem ex suis protulit Hospinianus, inveniri in aliis posse testatur Bucherius, Labbeus, Binghamus†††). Quod igitur hujus epistolae fide ac auctoritate affirmare licuerit?

At ex sec. III. utique et IV. certa prostant documenta, ex quibus apparet, ecclesiam hujus aevi memoriae nati Servatoris non proprium modo diem consecrasse, sed consecratum jam ab antiquiore accepisse. Tristis illa Nicephori†*) relatio, fide etiam vetustorum Martyrologiorum confirmata†**), de coetu Christianorum Nicomediae inter persecutionem Diocletianam cum ipso templo, in quo diem natalem Christi concelebraturi convenerant, igne injecto concremato, diem istam non hac demum

*) Constit. Apostol. V. 13.

**) Vid. Hospin. de fest. Christianor. p. 169.

***) Vid. Cave prim. christ. P. I. chap. 7. Hilderbrand l. c. p. 13.

†) Vid. Petavius de doctr. tempor. T. II. L. XII. c. 7. Eman. Schelstraten in Antiq. eccl. illustr. T. I. diss. s. pag. 39. Gretser l. c. pag. 217.

††) Philippi ejusdem nomine inscriptam invenit Bucherius in Commentar. in Victorii Canon. Paschal.; sed quisnam fuerit iste Philippus, prorsus ignotum sibi esse profitetur. Nec vero sine omni causa conjicit Caveus Hist. lit. T. I. p. 87. mendum forte hic cubasse in codice Bucheriano et pro: *Epistola Philippi*, legendum: Epistola *Theophili*, cum in MS. codice Oxoniensi nomen Theophili inscriptum sit.

†††) Vid. Labbé Concil. T. I. p. 696. Bingham Orig. Sacr. Vol. VIII. pag. 73.

†*) Vid. Nicephori L. VII. c. 6.

†**) Vid. Baron. ad ann. 301. num. 41—48.

aetate in honore haberi coeptum, sed longo jam tempore habitum evincit. Quis enim sibi persuaserit, novam ac ignotam antea sollennitatem acerbissimo tempore in christianis coetibus fuisse institutam, cum vero longe similius sit, eos usitatam etiam at periculi plenam in isto rerum statu ac discrimine fuisse omissuros, nisi antiqnitus traditam nimis sancte coluissent? Id vero magis etiam et clarius a Chrysostomo confirmatur, qui disertis verbis diem istum natalem Christi antiquum admodum et vetustum, et jam inde a primordio omnibus Christianorum coetibus ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus manifestum et celebrem fuisse asserit*). Ponamus enim et concedamus etiam, Chrysostomo in hoc loco sollennitatem hujus diei ideo tantum perantiquam fuisse visam, quoniam, quo tempore instituta esset, ignorabat; at si credamus saltem, quod credi certe fas est, eam Chrysostomi aevo omnibus Christianorum coetibus fuisse communem, antiquitus etiam institutam credamus necesse est, quia recens introducta religio vix intra unius seculi spatium in locis adeo dissitis et remotis recipi poterat ac stabiliri. Quamvis autem ex istis testimoniis recte concludi possit, non sub tertii demum seculi finem institutum in ecclesia fuisse, ut memoria nati Servatoris stato die celebraretur, vix tamen sine vi aliqua adhibita illud efficient, ut originem instituti intra sec. II. fines liceat retrahere. Sunt adeo nonnulla, quae argumenti, quod ex illis colligitur, nervum non parum videntur labefactare. Habemus locum Augustini**), ex quo magnus dubio locus oritur, num in ipso sec. V. dies natalis Servatoris per omnem ecclesiam fuerit celebratus? Habemus alium Nicephori non levem indicem, diem istum Justini demum imperatoris aevo inter universalia ecclesiae festa fuisse relatum***). Omnes praeterea temporis, omnes status, in quo Christiani per sec. II. degebant, rationes minime permittunt, ut illis novae sollennitatis religio conjectura utcunque verosimili possit adscribi, cum ex altera parte eaedem non suadeant solum sed persuadeant etiam, ut isti potius, quae in sec. III. incidit, aetati assignetur, quae per integros et fere quinquaginta annos nullis persecutionibus turbata, in tranquillo rerum suarum statu vacare sacris suis et de novis etiam addendis curare poterat. Eccui igitur iniquus videbitur judex, qui perpensis istis omnibus atque repensis ita pronunciaverit, originem festi memoriae nati Servatoris consecrati non ultra initium sec. III. retrahendam videri?

Haec fere sunt, quae circa originem festi et veram ejus epocham ex omnibus aevi hujus documentis erui potuerunt atque conquiri. At in alio adhuc loco alia hic haeret difficultas, in ipso nimirum die, quem sacrum esse huic recordationi primi auctores institui voluerint.

Omnes omnium partium scriptores uno ore consentiunt, festum nati

---

*) Vid. Chrysostom. Hom. 31. — *παλαιὰ καὶ ἀρχαία ἐστὶ καὶ ἄνωθεν τοῖς ἀπὸ Θράκης μέχρι Γαδείρων οἰκοῦσι κατάδηλος καὶ ἐπίσημος γέγονε.*

**) In Ep. ad Januar. Opp. T. II. ed. Benedict. p. 93. Hic enim festa enumerans, quae ab universa, quacunque se diffundit, ecclesia celebrantur, natalem Christi silentio transmittit.

***) Vid. Niceph. L. 17. cap. 28.

Servatoris non semper uno eodemque die per universam ecclesiam fuisse celebratum. Extorserunt omnino consensum istum clarissima indicia, quae de ipsis etiam diebus, inter quos divisa aliquando fuit festi religio, nihil incerti reliquerunt. Nihil certius est atque exploratius, quam Occidentis ecclesias, aut Romanam saltem ecclesiam eodem semper, quem adhuc festum agimus, die 25. sc. mensis decembris, memoriam nati Servatoris recoluisse *), nec vero paucioribus nec infirmioribus testimoniis constat, in ecclesiis Aegyptiacis et Cypriis, in Antiochena, Hierosolymitana, Constantinopolitana aliisque ad dioeceses Ponti et Orientis pertinentibus per aliquot secula diem 6. jan. tanquam natalem Domini fuisse celebratum. Etsi enim ultimum hunc diem, festi epiphanias vel epiphaniorum nomine insignitum, memoriae plurium gloriae divinae manifestationum per Christum et propter Christum factarum, uti memoriae illius apparitionis, quae baptismum Christi illustrem, memoriae prodigii in coelo visi, quod magis gentilibus natum orbis Servatorem cognitum, et primi etiam miraculi, per quod ipse divinam suam virtutem conspicuam reddidit, consecratum fuisse referant Gregorius Naz., Epiphanius, Cassianus aliique, iidem tamen diserte etiam affirmant, maximam festo sanctitatem et sollennitatem ex eo accrevisse, quod Christus etiam ipso illo die, tam multis aliis divinae gloriae ac amoris in genus humanum pignoribus insigni, natus credebatur **). Istam autem diversitatem in figendo et celebrando die Servatoris natali non diu ultra sec. IV. obtinuisse, ex aliis documentis aeque nobis compertum est, nam in ecclesia Constantinopolitana illo ipso tempore, quo a Chrysostomo antitiste regebatur, diem antiquitus observatum cum die Romano permutatum adeoque festum a die 6. jan. ad diem 25. dec. retractum idemque mox etiam reliquis Aegypti ac Orientis ecclesiis fuisse comprobatum, ipse Chrysostomus et plures ejusdem aevi scriptores testantur ***).

Jam vero si in causas et rationes investigemus, quae efficere aliquando potuerunt, ut diversi dies celebrando huic festo figerentur, statim quocunque oculos vertamus, incertam, dubiam et obscuram faciem omnia iterum induunt.

Quod quidem conjiciendo proxime hic apprehendi potest, vero non valde videtur absimile, diversitatem scilicet istam ex nullo alio fonte ortam fuisse, quam ex diversitate traditionis, quae in Orientis partibus alium ac in Occidente nativitati Servatoris diem assignaverat. Illud certe accidere potuisse, nemo dubitavit, neque accidisse valde quisquam mirabitur, cum multo magis mirandum esset, si traditionem in hac causa nun-

*) Conf. Thom. Ittigius Diss. III. de ritu, festum nativitatis Christi die 25. dec. celebrandi ejusque antiquitate. In Append. ad libr. de Haeresiarchis sec. apostol. pag. 386 ss.

**) Vid. Gregor. Naz. Opp. T. I. p. 642. (ed. Paris. 1630.) Cassian. Collat. X. cap. II. sub initium. Epiphanius Haeres. LI. n. 24. Cf. Suiceri Thes. eccles. voce ἐπιφανεία T. I. p. 1199. et Frid. Blumenbachii Antiquitates Epiphaniorum. Lipsiae 1737. 4.

***) Vid. Chrysost. Opp. T. II. p. 354. ed. Benedict. Pauli Emisen. Homil. in act. Conc. Ephes. P. III. c. XXXI. T. III. Conc. Labb. pag. 1096.

quam variasse et eundem semper diem ac ubique retinuisse constaret. At sunt tamen aliqua in hac dierum diversitate, quae hujus unius conjecturae auxilio vix expediri posse videntur.

Ad finem usque sec. II. nulla ullius traditionis de vero die Christi natali vestigia inveniuntur. Ex hoc quidem si colligere statim liceret, nullam prorsus hanc primam aetatem habuisse, sed diem aliquem certum omnino ignorasse nec multum etiam de eo curasse, facilius utique explicari posset traditionis tam sero et post ducentos demum annos effictae varietas; sed prima traditionis hujus, quae in certo scriptore occurrunt, vestigia miro modo evertunt omnia atque confundunt, quaecunque ulterius inde concludi possent. Refert nimirum Clemens Alex., sua jam aetate de tempore nativitatis Christi, nec de anno solum, sed de die etiam accuratius et curiosius investigari coeptum esse *). Eodem ille loco varias recenset traditiones, quas secuti diversarum partium et sectarum homines in diversos valde dies inciderint; at in haud brevi et satis accurata, ut videtur, recensione frustra quaeritur illa, quae sola diei 25. dec. sanctitatem et solennitatem suam conciliare potuit, si traditioni tantum illam debuit. Hic vero, quis non dubius et incertus aliquantum haereat? Ignotam fuisse viro aetatis suae literatissimo et in conquirendis aliorum opionionibus studiosissimo unam illam, quae hunc diem designaverat, traditionem, quis tam facile sibi persuaserit? Quod si autem ex hoc ipso vero videatur similius, Clementis aevo neminem adhuc in hunc diem incidisse adeoque opinionem, quam ille ignorabat, insequenti demum aetate originem suam debere, quo tandem casu quave fortuna fieri potuit, ut recentior traditio sive opinio tam brevi temporis spatio interposito tantum fidei et auctoritatis prae omnibus antiquioribus sibi arriperet, quantum certe requirebatur ad permovendas Occidentis ecclesias, ut secundum unam illam neglectis ceteris, jam sec. II. pervulgatis, ipsum festi honorum decernerent? Hoc quidem ita perturbavit nonnullos antiquitatum sacrarum scriptores eosque eruditissimos et acutissimos, ut ab hac sententia prorsus recederent aliamque extricandis istis difficultatibus aptiorem et magis idoneam quaererent. Suspicabantur illi, ecclesiam istam, quae celebrandae nativitatis Servatoris memoriae certum prima diem assignaverat, nihil ex traditione sive ullius traditionis auctoritate inductam, instituisse, quam scilicet incertissimam et maxime dubiam ipsa cognoverit, sed aliis causis permotam diem hunc elegisse. Ejusmodi vero causas aliquas omnibus temporum et locorum rationibus tam commode respondentes et convenientes invenerunt ac protulerunt, ut mira quaedam veritatis species opinioni illorum accresceret. Haec quidem eo fere redit, Christianos sub finem sec. III. eo potissimum consilio diem 25. dec. et 6. jan. celebraendae nati Servatoris memoriae destinasse, ut ex suis aliquid sacris in dies istos transferrent, quos more antiquissimo omnes imperii Romani cives religiosa saturnalium hilaritate et kalendarum januarii officiis festos agere consueverant nec suae etiam sectae

*) Vid. Clemens Alex. Strom. L. I. p. 407. ed. Potter.

homines adhuc desueverant. Istam vero conjecturam, quae post Hospinianum Graevio etiam, Basnagio, Calvoerio*) multisque aliis arrisit, doctissimus praesertim Wernsdorfius**) ita exornavit et confirmavit, ut ab eo fere, quoad istas saltem causas, quae in diem 25. dec. honorem festi transtulerunt, ad legitimam certae sententiae veritatem evecta videri possit: nec tamen, quod inviti adjungimus, ita confirmare potuit, ut nulla amplius dubitandi materia relicta sit.

*) Vid. Graevius ad Lactant. de mort. persec. P. I. p. 185. Sam. Basnage Annal. pol. eccles. T. I. p. 63. Casp. Calvoer. Ritual. eccles. P. II. p. 165. Assensit etiam ex Pontificiis Harduinus in Antirrhetico p. 65.

**) Vid. Ern. Wernsdorfii de originibus sollennium natalis Christi ex festivitate natalis invicti. Witteb. 1757. 4.

X.

Henr. Blumenbach antiquitates Epiphaniorum*).

Cap. I. De nominibus festi graecis latinis ceteris. §. 1. Facilius puto de genuino vocis Epiphania judicatum iri significatu, postquam vocum ἐπὶ atque φαίνομαι ideas curate posuero ob oculos. Ἐπὶ in compositione adverbium referre judico; cujus vice positum seorsum etiam et extra compositionem *desuper* ac *superne* significat. Consentit Apollonius Rhodius Argon. 2, 1070. ἐπὶ δὲ, scribens, λόφοι ἐσσείοντο. Tantum abest, ut auctoritate, quae in his talibus jure fit maximi, destituar. Φαίνω interpretor permissive et curative: apparentem reddo vel ostendo. Illud sane de pluribus neutris dicendum, quandoquidem passiva terminatione actionem designant non reciprocam. Ab illo φαίνομαι, i. e. apparens fio, ostendor, luceo et appareo, descendit: qui idem significatus activo φαίνω saepiuscule inhaerere suevit. Substantivum φανίαν et φανείαν dixisse Graeci minime videntur, φαναῖον autem Ζῆνα Euripides in Rheso, et φαναῖον Ἀπόλλωνα, eumque Chiensem, Hesychius vocaverunt. Ἔρως etiam φανὴς, e chao primum apparens, dicitur in Orphicis. Ἐπιφαίνω idem est ac: desuper ostendo, unde passivum ἐπιφαίνομαι ostendor, appareo; quod et de neutro, medium vocamus, ut in simplici, ita in hoc composito est intelligendum. Loca infra annotabuntur. — §. 2. Ἐπιφανεῖς vocabantur homines, genere ac virtute conspicui, nobiles atque illustres. Syriae regibus, successoribus Alexandri M. non unis hoc familiare fuisse agnomen, paucos fugit, qui veterum versarunt monumenta. Tacemus Parthorum, Persarum, Armeniorum, Bithyniorum principes nonnullos. Ἐπιφανέστατοι vocabantur principes, qui Romanis audiebant nobilissimi**). Auctor nobis hujus

---

*) Prod. Lips. 1737. 4. (Praeviam de fontibus antiquitatum Christian. dissertationem omisimus.)

**) Optimus Trajanus, seculi quod Augustus auspicatus est princeps novissimus, dicitur nobilissimus in epigraphe lapidis, quem p. 246. n. 3. inscriptionum ed. Graevianae exhibuit Janus Gruterus. Et Commodus, tum Caesar, pontifex nobilissimus dictus in marmore p. 260. n. 6. Gruteriani thesauri offenditur, cujus etiam numus, nobilitatem Augusti prae se ferens, reperitur. Denique Maximini quoque filius, C. Julius Verus Maximus, Nobilissimus Caesar Princeps juventutis inscriptione antiqua salutatur. Neque tamen ante Philippi junioris aevum in usu fuisse illud deprehendimus, quod postmodum invaluit et in monumentis Romanarum rerum videtur frequentius, ut, qui successor dandus foret regundae Romanorum rei, ultra principis juventutis nomen epitheton nobilissimi adoptaret. Quum deinceps mores imperatorum novi, cum sacris Christianorum novis illati imperio, efficerent, ut vago concubitu neglecto conjugi unicae major daretur opera, principum juventutis atque Caesarum numerus crescebat; quorum ut ratio distincta haberetur singulorum, major natu Caesar,

sententiae exstitit Philostorgius, cujus in *epitome**) ἀπὸ φωνῆς Φωτίου πατριάρχου, l. VIII. c. 8., narratur, ὅτι Ἰωβιανὸς, ὁ βασιλεὺς, πρὸς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἀπαίρων, καὶ γεγονὼς ἐν Ἀγκύρᾳ, θάτερον τῶν ἑαυτοῦ παίδων, Οὐαρρωνιανὸν, κομιδῆ νέον ὄντα, ἐπιφανέστατον, ὃ παρὰ Ῥωμαίοις τὸν νωβελίσσιμον δύναται, ἀναγορεύει. *Scriptorum hist. eccl.* Valesio-Readingianorum *tomo III. p.* 523, *ed. Cantabr.* 1720, *f. mai.* Dignitas illa ἡ τοῦ ἐπιφανεστάτου ἀξία conceptis verbis vocatur ab eodem Philostorgio, *epit. l. XII, cap.* 12, p. 250. Factum illud post anni 863. diem 14. octobris, Jacobus Gothofredus in chronologia codicis Theodosiani, splendide nuper recusa, demonstravit. Καίσαρα ἀναστήσας αὐτὸν Ἰωβαινός, addit Socrates hist. eccl. 7, 24. Quae cum Olympiodori eclogis, typis Andreae Wechelii a Frid. Sylburgio editis, conferenti, patet, illa aetate Caesaris, nobilissimi et ἐπιφανεστάτου titulo idem omnino significasse. Ad aetatem provectam ut respexerint in conferenda dignitate Augusti imperatores, tantum abest, ut etiam Varronianum, eumque vel impuberem et valde puerum, illo nomine dignum judicarit Jovianus. Certe vix quinque annos natum tunc fuisse dictum juventutis principem, in critica Baroniana demonstratum ivit Antonius Pagi. — §. 3. Etiam *Deos*, quum in mysteriis sacris se vel conspiciendos praeberent, vel alia quadam ratione suam testarentur praesentiam, ἐπιφανεῖς compellabant. Fide numorum et aliis sententiam confirmat argumentis Spanhemius *de usu et praestantia numismatum*, tom. I. pag. 386—391. Inde substantivum nomen *ΕΠΙΦΑΝΕΙΑ* aeque ac *ΘΕΟΦΑΝΕΙΑ* auctores non ecclesiastici de adparente numine benigno usurparunt. Numinis praesentiam in Tulli Hostilii sacrificiis fuisse desideratam indicaturus Livius (1, 31.) *nullam*, ait, *ei oblatam coelestium speciem*. Illud etiam, quod ad epiphaniorum nomen attinet, probe tenendum, haud ita vage nominibus dictis uti scriptores non ecclesiasticos, quin τὴν ἐπιφανείαν atque τὴν θεοφανείαν ad ipsum numinum retulerint adventum; quum contra τὰ ἐπιφάνια et τὰ θεοφάνια dies appellarent festos, quibus illustris Dei praesentiam memori recolebant mente. Haec inde ἄγειν ac θύειν dicebantur pagani. Cfr. Diodorus Sic. bibl. 1., ubi de Iside facit verba; Dionys. Halic. lib. 12 *antiquit. Rom.*; Photius μυριοβίβλ. p. 616. ed. Hoeschel. Addantur, qui adhuc dicta amplius tradunt, Jac. Gothofredus *exerc. sacra II.* de mysterio pietatis; Jo. Kindler *de epiphaniis*. Vitemb. 1684, 4; Jo. Paul. Hebenstreit *de epiphania et epiphaniis apud gentiles et Christianos sic dictis*. Jen. 1693; (*in pentad. diss. academicarum* Jen. 1694, 8. recusa) et Jo. Gottl. Nimtsch *de apparationibus Deorum*, ad illustranda novi foederis loca. Lipsiae 1720. 4. — §. 4. Ecclesiastici auctores verbis ἐπιφαίνειν et ἐπιφάνεια praesentiam θεανθρώπου indicabant, de qua

---

nobilissimi minores dicebantur; quae dignitas, Augustis conniventibus, in agnatos etiam deinceps fuit propagata.

*) Male haec verba interpretatus est Casp. Sagittarius *introd. in hist. eccl. tomo I. p.* 14. *ed.* 1718, 4.: quod reprehendit et emendat Thom. Ittigius *p.* 12. *praefationis ad selecta capita historiae eccl. seculi Christianor. secundi*, ed. post fata Ittigii Lips. 1711. 4.

Paulus ad Tit. 2, 11; 3, 4. Luc. 1, 79. Quae sicut singula loca de Christo ἐνσαρκωθέντι agere palam est, ita ἡ ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας αὐτοῦ, (II. Thess. 2, 8.) et nude ἡ ἐπ. τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ (I. Tim. 6, 14; II, 4, 1. 8.) nec non ἡ ἐπ. τῆς δόξης αὐτοῦ (Tit. 2, 13.) praesentiam ejusdem novissimam indicat, futuram die illo, quem τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ vocat Lucas (Act. 2, 20.) Num vero Paulus ad revocatum ex erebo Christum, an, quod mihi se probat, ad eundem natum, respiciat II. Tim. 1, 10., sub judice lis est. Suidas ἐπιφάνειαν vocat τὴν τοῦ Σωτῆρος ἔνσαρκον οἰκονομίαν, ducem secutus Eusebium ac Theodoretum. In utramque, priorem soteris et posteriorem judicis, praesentiam digitum intendit Chrysostomus hom. in ep. ad Tit. ἐπιφανείας ajens εἶναι δύο, προτέραν χάριτος, δευτέραν ἀνταποδόσεως καὶ δικαίου, cujus ut solet, vestigia premit Theophylactus. Δύο, scribit, ἐπιφανείας λέγει (sc. apostolus) καὶ ἡ μὲν πρώτη χάριν ἔχει καὶ ἄφεσιν — ἡ δὲ δευτέρα ἀνταπόδοσιν μετὰ δόξης δεικνυμένη. Orationem περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ inscripsit Athanasius. Eodem epitheto utuntur Eusebius demonstr. libro 8. p. 226. ed. Vigeri; Idem hist. eccl. I, 5, p. 5 ed. Cantabr. Isidorus Pelusiotes lib. I. ep. 436, p. 111. ed. Paris. et ep. 229, p. 552. Non procul abit Ge. Pachymeres, τὴν κατὰ σάρκα ἐπ. commemorans in Dion. Areop. de cael. hierarch. c. 4, p. 58, ed. Par. 1644. Eadem σωματικὴ ἐπ. audit Athanasio p. 72. (or. II) quae, εἰς τὴν διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἡμᾶς ἐπ. inscripta, primo operum tomo exhibetur. Nonnunquam τὴν εἰς ἀνθρώπους ἐπ. offendimus, qua construendi ratione delectari Eusebium fidem faciunt demonstr. III. p. 57, V. p. 151. et VI. p. 162. ed. laudatae. Denique epiphaniam theanthropi θείαν vocat Athanasius oratione II. laudata. Singuli quos jam excitavimus testes ita voce ἐπιφανείας utuntur, ut rem gestam, praesentiam salvatoris indigitent: a qua paullulum regula deflectit Autor Constitutionum Apostolicarum 8, c. 33, p. 1033. ed. Gr. Lat. Paris. 1618; f. Eundem locum exhibet Typicum Sabae, Venetiis 1615, f. pag. 135; ubi, διατάξεως Παύλου καὶ Πέτρου nomine laudari Constitutiones, ὡς ἐν παρόδῳ, notandum. Θεοφάνειαν vocant alii, quam θείαν ἐπιφάνειαν dixisse Athanasium modo monuimus. Incerti aevi lexicographus aureus, Suidas, theophaniam θηλυκὴν seu feminini generis esse monens, τὴν τοῦ Θεοῦ φανέρωσιν involvere docet. Theophaniam unigeniti filii celebrat Gregorius Nyss. oratione Basilio M. sacra, tom. opp. 3. Nyss. p. 479. ed. Lutet. 1638, olivia. Diversa ab utero Virginis via potuisse Deum ποιήσασθαι τὴν ἑαυτοῦ θεοφ. si quidem fuisset lubitum, scribit Athanasius de Λόγῳ incarnato, tom. I. p. 60. Porro τῆς τοῦ Χριστοῦ θεοφ. mentionem injicit Nyssae antistes laudatus λόγ. κατηχ, cap. 18., tom. III. p. 75, qui τὴν διὰ σαρκὸς γενομένην ἡμῖν θεοφ. commemorat hom. XIII. in cant. tom. I. p. 664. Θεοφανίαν scripsisse autorem, qui Areopagitae venerabili nomine emendicato fallere conatus est, asserit, locum omittens, more Stephani magistri, Jo. Scapula. — §. 5. Diem, epiphaniae sacrum, τὰ ἐπιφάνια, τὰ θεοφάνεια, τὰ ἐπιφάνεια et τὰς

θεοφάνεια vocabant veteres Graeci. De gentilibus quod sufficeret, supra monuimus: quibus Herodoti *θεοφανία* libro I. et Julii Pollucis *τὰ θεοφάνεια* ονomast. lib. I. junguntur. Inter ecclesiasticos Suidas *τὰ θεοφάνεια* festum notare innuit, quum sit positum, *οὐδετέρως, πληθυντικόν*. *Ἐπιφανείων ἡμέραν* vocat Epiphanius, *panar.* lib. III. p. 466. ed. Graec. Hervag. *Γενέθλιον αὐτοῦ ἡμέραν, τοῦτ' ἐστὶν ἐπιφανίων*, idem Salaminius antistes exponit haeresi LI, quae est *κατὰ ἀνοήτων*, pag. 196; *Θεοφανείων ἑορτὴν* commemorat Philostorgius, eclogarum Photii lib. VII c. 2: *Παρ' ἡμῖν ἑορτὴ πρώτη τὰ ἐπιφάνεια*, ait Chrysostomus homil. 89, tom. V. p. 602. ed. Savilianae. *Εἰς τὰ θεοφάνεια εἴτ' οὖν γενέθλια τοῦ σωτῆρος* orationem 38 dixit Gregorius Naz., qui eadem concione *τὴν πανήγυριν τὰ νῦν θεοφάνεια* appellat et paucis interjectis, *ὄνομα δὲ*, ait, *τῷ φανῆναι μὲν θεοφάνεια*, nomen ab apparendo sortita. Basilius *ὄνομα*, scribit, *θώμεθα τῇ ἑορτῇ ἡμῶν θεοφάνεια*, oratione 25 in sanctam Christi genesin, operum tom. I. p. 593. ed. Paris. 1618. *Θεοφάνεια* ideo dicta ait Chrysostomus, quod Christus tunc quum baptizatus fuerit, hominibus sit manifestatus, qui antea inde a nativitate latuerit obscurus, de bapt. Christi, hom. XXIII tom. II. p. 278. *Ἡ ἐπιφάνεια* i. e. apparitio veteribus ecclesiasticis nominata foret, si fides habenda Dressero p. 11. libelli de festis Christianor. Et *ἡ τοῦ θεοῦ ἐπιφάνεια* vocatur dies ille festus a Menandro in eclogis legationum, nisi memoria labor; nunc enim prae manibus non sunt. Illud etiam hoc non observare loco nequeo, obtulisse se mihi auctores ultra duodecim, quibus *θεοφανίων* et *θεοφανείων* voces ipsum Salvatoris adventum denotant; tantum abest, ut pro festo semper die haec vox usurpetur. Denique adjectae etiam voces laudatae occurrunt nominibus *ἡμέρα*, *ἑορτή* etc. Sic *ἐπιφανείας ἡμέρα· ἡμῖν ἔστω τιμιωτάτη*, praecipiunt Constit. Apost., 5, 12.

Nova quoque effinxit festi nomina Graecia, quae a gestis ejus divi vel a ritibus tum sollennibus derivavit. *Νήστιμον ἡμέραν* dictam a Theophilo Alexandrino, citante Epiphanio in panario, frustra contendit Dion. Petav. Ea contra per vigilias epiphaniorum eandem interpretatur locum Claud. Salmasius, libro Simplicii Verini contra Grotium titulo insigni, p. 136. sqq. *Ἡμέραν τῶν φώτων*, imo *τὰ φῶτα* unde dictum fuisse epiphaniorum diem, ne miremur. Etenim baptismus ab effectis illuminantibus, qui ipsi tribuuntur, antiquitus *φωτισμός* et *φῶτα* appellabatur. Abeit certe, ut a luce stellae magorum vocis illius usum derivemus. Dicto suppetias ferent exempla. Legimus Nysseni orationem de Christi baptismo dictam: *εἰς τὴν ἡμέραν τῶν φώτων, ἐν ᾗ ἐβαπτίσθη ὁ Κύριος ἡμῶν*, tom. III. p. 366. Nazianzenus homilia undequadragesima, *εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν ἐπιφανίων λόγος* inscripta, tom. II p. 624. ed. Lips. 1690. Idem inter cetera, *ἡ ἁγία*, inquit, *τῶν φώτων ἡμέρα — ἀρχὴν μὲν τὸ τοῦ ἐμοῦ Χριστοῦ βάπτισμα λαμβάνει κτλ.* Asterius Amasenus in festum kalendarum, *φῶτα*, scribit, *πανήγυριν ἄγομεν, ἐπειδὰν τῷ τῶν ἁμαρτημάτων ἀφέσει — πρὸς τὸν φωτεινὸν βίον ἀναγόμεθα*. auctarii Combefis. tom. I. p. 67. Gregorius Alex. in vita

Chrysostomi τῆς ἑορτῆς τῶν ἁγίων ἐπιφανειῶν, τῆς ἐπιλεγομένης φώτων, καταλαβούσης, et Cedrenus *epitome hist.* in *vita Romani Lecapeni*, Ῥωμανὸς ταινιωθεὶς τῷ βασιλικῷ διαδήματι στέφει κατ' αὐτὴν ἡμέραν τῶν ἁγίων φώτων καὶ τὴν ἑαυτοῦ σύζυγον Θεοδώραν, scribunt, teste Beveregio, *synodici tom. II*, p. 213, *ad paraphr. arab. canonis V. Niceni.* — §. 6. Arabes hanc vocem: Fota. retinuerunt, vocantes alias nostrum diem Festum Epiphaniorum. Utrumque est Josephi Aegyptii, *paraphrasi arabica quatuor concilior. general. priorum*, synodici Beveregiani tomo I, p. 681—727 legenda. Festum luculentum vocat Eutychius Alexandriae patriarcha *annalium tom. I, p.* 522 *ed. Oxon.* Iidem Arabes festum sacramenti aquae, item unde sacramentum aquae appellant, teste, ad l. c. Josephi, Beveregio voluminis II parte III, p. 213—214; qui Syros epiphania nostra vocare Denhho, quasi dicerent orientem; Aegyptiis autem festum Thermarum esse in ore. Latina epiphaniorum nomina ut Latium sapiant, equidem vereor. Epiphania Graecis debentur; sed epiphaniae, quae in calendariis medii aevi passim occurrunt, hominibus, quibus Priscianus vapulabat continuo, grates referent decentes. Bethphania, hybrida vox, ab Ebraeorum בית derivata, praesentiam Christi, domi illustrem, quum Canae celebrarentur nuptiae, respicit. Regalia laudantur Dressero de fe festis p. 11. Phagophania ad quinque millia hominum, panibus quinque satiatorum, pertinent. Secunda epiphania dicebantur aetate illa, qua baptismi, magorum, ceterorum mirandorum seorsum recolebatur memoria. Rufinus, dictam Nazianzeni *or.* 39. interpretatus, *de secundis epiphaniis* inscripsit; Isidorus Hisp. *orig.* 6, 18: duae sunt, ait, epiphaniae — secunda, in qua ex gentium populis, stella indice praesepis cunabula adoraturos, magos exhibuit Christus. Alterum Christi natalem fuisse dictum evincit Cotelerius *ad Constitution. Apostolic.* 5, 13. Denique festum magorum, festum *diem* regum Romano ore extulerunt alii.

Cap. II. De rebus gestis, quarum memoriae sacra sunt epiphania. §. 1. Natum octavo idus januarias Christum, tantum non omnis Graecia, imo Oriens tenuit atque adeo natalem illo die festivitatem celebravit. Stridonensis Hieronymus *Ezechielis* cap. I. expositurus „apud Orienteles, ait, (Ebraeos puta) october erat primus mensis et januarius quartus. Quintam autem diem mensis (quarti) adjungit (Ezechiel), ut significet baptisma, in quo aperti sunt Christo coeli, et epiphaniorum dies hucusque venerabilis est: non, *ut quidam putant, natalis in carne.*" Insequentibus refutatur haec Orientalium opinio, Hieronymi aetate sensim abroganda. Origenes, vel quisquis alius est autor *homiliae in diem epiphaniae*: sive hodie, scribit, natus est Jesus, sive baptizatus, diversa quippe opinio fertur in mundo. Ubi observes velim, mundum hic utramvis ecclesiam, tunc dissidentem in hujus festivitatis termino ac die, denotare; si quidem Origenis nomen rite prae se ferat opusculum. Idem dogma seu opinio in Antiochena atque adeo in omnibus Syriae, cujus caput Antiochia, ecclesiis per plura duravit secula, abrogata demum aetate Chrysostomi, ipso teste *hom.* εἰς

τὴν γενέθλιον ἡμέραν τοῦ Σωτῆρος: οὔπω, scribit, δέκατόν ἐστιν ἔτος, ἐξ οὗ δήλη καὶ γνώριμος ἡμῖν αὕτη ἡ ἡμέρα γεγένηται. Idem, paucis interjectis, παρὰ μὲν, ait, τοῖς τὴν ἑσπέραν οἰκοῦσιν ἄνωθεν γνωριζομένη, πρὸς ἡμᾶς δὲ κομισθεῖσα νῦν, καὶ οὐ πρὸ πολλῶν ἐτῶν ἄθροον οὕτως ἀνέδραμε. *hom.* 33. Hierosolymitana ecclesia Servatoris natalem itidem pro objecto suae celebritatis habere non detrectavit. Testes hujus adserti Clementem *Alex. strom. libr. I*, et Eusebium *hist. eccl. l. V*, excitat Caesar Baronius *apparatus annalium sectione CV*, *p. n.* 40, nec non Antonius Pagi *apparatus criticae sectione XCV*. Uterque, ait Pagius, Christum die 6. jan., epiphaniae sacra, natum existimavit, *pag.* 22 (*ed. Paris.* 1689); unde, quod ad Clementem, recedit *sect.* 146, p. 37. Confer Cotelerium ad *Constitut. Apostolic.* 5, 13. De Cypri ecclesiis, cujus primariam Salaminem, Constantia demum dictam, inde ab anno sexagesimo octavo sec. IV regebat Epiphanius, hic antistes rem conficit. Quotiescunque enim de festo epiph. verba facit, natalem Christi innuit, quem januarii idus octavo adsignat. Baptizatum v. c. sexagesimo die scribit ante ἡμέραν ἐπιφανίων, ἡ ἐστιν ἡμέρα τῆς αὐτοῦ γεννήσεως κατὰ σάρκα; *contra haeres.* 2, 51. 16. Porro ἡμέραν τῶν ἐπιφανίων illam vocat, ὅτι ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ ὁ Κύριος. (ἀγκορ. 22.) Idem natum Servatorem scribit περὶ τὸν ἰαννουάριον μῆνα, τοῦτ' ἐστὶ, pergit, πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν ἰαννουαρίων κτλ. (de haeres. alogor. 24.) De Armenis non dissimilia adserit Joannes Citri *episcopus*, sec. XIII clarus: ἤγουν, ait, τὸν εὐαγγελισμὸν καὶ τὴν γέννησιν καὶ τὰ θεοφάνια συνάπτως ἐκτελοῦσι κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν τῶν θεοφανίων, (*responsis ad Cabasilam p.* 323 *s. libri V. juris Graeco-Romani Joannis Leonclavii*). Cum his omnibus bene convenisse Aegyptios, persuadet nobis Joh. Cassianus, intra Aegypti, scribens, regionem mos iste antiqua traditione servatur, ut peracto epiphaniorum die, quem provinciae illius sacerdotes vel dominici baptismi vel secundum carnem nativitatis esse definiunt et idcirco utriusque sacramenti sollennitatem, non bifarie, ut in occiduis provinciis, sed sub una hujus diei festivitate concelebrant, (*de institut. mon. coll.* X, 2. *p.* 345, *ed. Antverp.* 1578). Mutatum hunc morem orientalium forte ante annum 431, quo Ephesina habebatur synodus, colligimus ex homilia Pauli *Emiseni*, actis concilii, inserta, (*conc. ed. Labb. tom. III*, *p.* 1096.) Ita vero illa inscribitur: ὁμιλία Παύλου ἐπισκόπου Ἐμίσης, λεχθεῖσα κθ' χοιὰκ (hic dies cum 25. dec. optime convenit) ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ Ἀλεξανδρείας, καθημένου τοῦ μακαρίου Κυρίλλου, εἰς τὴν γέννησιν τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. — §. 2. Eodem die, qui epiphaniis sacer est, adventasse magos ἐξ ἀνατολῶν, haud ita constanter, ac viri docti sibi nobisque persuadere conati sunt, statuerunt quatuor priorum seculorum Christiani. Magorum hoc die advenientium mentionem injiciunt quidem scriptores; sed noviores illi, nec ad primam Christianorum aetatem absque haesitatione referendi, *Auctor sermonum de tempore*, qui Augustini praeferunt nomen, hodie, fatur, illud sacramentum colimus, quod in hac die — in coelo ortus sui nuncium praebuit. *Serm* 29. tom. V, ed. *Bened.*) Petrus Chrysologus *sermone* 157, *de epiphania et*

magis inscripto; per epiphaniam, dicit, magi Christum dominum muneribus mysticis confitentur; (*Bibl. Patrum noviss. tom. VII*, *p.* 964.) Eucherius, *Lugd. episc.* eandem inter alias affert rationem, unde epiphaniorum sollennitas sit derivanda (*hom. in S. Andreae vigilia* Antverp. 1602, 8.) Denique Leo M. *octo concionibus*, in praesentem quam tractamus sollennitatem habitis, adventum magorum adeoque astri epiphaniam non praecipue, sed quasi sola et unica omnino sit epiphaniorum causa, allegavit. Exstant in *Bibliotheca PP. Lugd. tom. VII p.* 1004 *ss.* Sicco fere transeundus est pede Isidorus *Hisp. de officiis ecclesiast. I.* 26., epiphaniorum autumans diem festa sollennitate viros apostolicos signasse; quia in eo per stellam sit Salvator ostensus, quando invenerint magi Christum in praesepio jacentem et adorarint eum. Sane ad priora quod attinet loca, Augustino non tuto satis tribuitur sermo laudatus, quod si vel maxime auctor sit praesul Hipponensis, sec. tamen V. foret testis, cujus quartam partem moriens superarat noster Aurelius. Petrus Chrysologus anno demum 433 sacrum munus obire coepit. Anno sequenti praesulatui admotus est Eucherius. Et quadragesimo ejusdem sec. anno Romae sedem occupavit Leo M. Anterioris aevi auctores silent hac die magos, imo diversissimas festi allegant origines. Ceterum magolatria cum epiphania in carne s. nativitate in *menologio* hodierne conjungitur: quamvis diei 25. dec. adscriptae sint *ἐπιφάνειαι*, quod quando factum sit quum ignoretur, rationem annotationis praeposterae quis reddet? Cf. tamen Florentinium ad martyrol. rom. d. 8. jan. — §. 3. Baptismus illustrissimus, quo Salvator, Zachariae sacerdotis (non P. M.) filio Johanne ministro aquis Jordanis tingebatur, itidem epiphaniis ansam praebuisse videtur. Aderant cives omnium ordinum, Pharisaei, milites, vulgus, Judaei, Graeci, Romani fisci et census curatores cum exactoribus. His audientibus vox sonuit divina docens: hunc Christum esse Dei filium, cui sit obediendum. Iisdem oblata est coelestis species, videntibus spiritum Dei, *πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστεράν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ᾽ αὐτόν.* Hanc esse genuinam epiphaniam, unde epiphaniorum derivandus sit dies festus, constans veteris ecclesiae est traditio. Chrysostomus (*hom.* 24. *de Christi baptismo*) non diem, qua natus, sed qua baptizatus sit Servator epiphaneia dici asserit; mentem suam uberius, non sine praegnantibus ratiociniis, exponens; *tom. I. p.* 276, *ed. Ducaei*: ad quem locum, quod obiter notemus, observat Isaacus Casaubonus, hoc etymon etsi verum non putet, esse tamen probabilius eo, quod adferat Isidorus et amplectatur Baronius. Nazianzenus *oratione in sancta lumina*, *ἡ ἁγία*, scribit, *τῶν φώτων ἡμέρα ἀρχὴν μὲν τὸ τοῦ ἐμοῦ Χριστοῦ βάπτισμα λαμβάνει* (*tom. I. p.* 642. *ed. Lutet.* 1630.) Quodsi Gregorius Nyss. orationem, *in diem luminum qua baptizatus sit Christus*, inscribere non dubitavit, Christi baptizati memoriam hac die celebrandam tum fuisse rem pervulgatam colligimus; exstat oratio illa *operum tom. III. p.* 366. *ed. Par.* 1638. Porro in memoriam regenerationis, quae sit baptizmus Christi, *φωτὰ πανήγυριν* actam sua aetate docet *Amaseae* episcopus Asterius *hom.* 4. *in fest. candelarum* (*auctar. bibl. PP. Combefisiani tom. I. p.* 67.) Cum illis Graecis

amice conspirat Latinus, at in Oriente multum diuque versatus, Hieronymus *Stridonensis Dalmata*, epiphaniorum diem eum esse confirmans, quo aperti sint Christo coeli, unde epiphaniorum dies hucusque sit venerabilis (*Comm. in Ezechiel. cap. I*, §. 1). Idem, injecta eorum mentione, qui *natalis* in carne festum tunc celebrari autumarint, in nativitate obtendit absonditum esse, non apparuisse, quod (ἐπιφαίνεσθαι) huic tempori congruat, quando dictum sit: hic est filius meus dilectus etc. Forte mentione denuo dignus Origenes, (aut si maris interpres *hom.* 8. *de diversis*), addubitans an hoc die sive natus sit Dominus sive baptizatus; diversa quippe opinio fertur in mundo. Haec sane postrema mores, altera orbis christiani parte receptos, verbis disertis designant. Nec denique festi luminum appellatio hinc longius recedit; de qua jam supra actum abunde. Displicet quidem haec baptismatis in epiphaniis memoria Is. Casaubono, patrum graecorum loca, qui epiphaniam per gennesin exponere maluerint, alleganti et urgenti (*in Baron. exerc. II. p.* 168 s.). Utrumque, natale et baptismatis tempus junxisse Graecos, innumera, quae laudavimus, loca evincunt. Idem porro epiphaniam nunquam significare baptisma, frustra contendit; non a baptismate, sed facta simul ϑεία ἐπιφάνεια nomen festi repetimus. Denique verba eo Lucae 3, 23: καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ita exposuisse veteres videntur, ut eodem die aquis Jordanis tinctum existimarint, quo ante undetriginta annos, quos jam compleverat vivendo, fuerit natus. — §. 4. Ad quartum capitis praesentis monumentum transeamus. Opus stupendum potius quam mirandum ac vere divinum accidisse illa die, aquam in vini praestantissimi substantiam abiisse, quum nuptiae celebrarentur Canae Galilaeae, existimarunt majores. Rediisse Servatorem εἰς Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, ὅπου ἐποίησε τὸ ὕδωρ οἶνον, testatur Joh. 4, 46. Idem 2, 11. rem gestam exponit; et testatus, Christum fecisse ταύτην ἀρχὴν τῶν σημείων, addit: καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ. Inde φανέρωσιν appellat epiphania Athanasius περὶ τῆς σαρκώσεως τοῦ Θεοῦ Λόγου, *tom. II, p.* 30. *ed. Lips.* 1686. Et in *glossario veteri graecolatino* legi: ἐπιφάνεια, τὸ φαινόμενον, *revelatio*, testatur D. Petavius *dogm. tom. II. de incarn. lib. II. cap. I. extr. ed. Paris.* Quid ergo miremur, fuisse, qui hanc divinitatis Christi revelationem pro genuino haberent epiphaniorum objecto. Graecis Arabibus atque Aegyptiis eam fuisse mentem, testatur Epiphanius *haer.* 51; ubi simul ritus in rei hujus memoriam quotannis repetitos exponit. Augustini nomen ferens autor *sermonis* 29 *de tempore*, epiphania idcirco celebrari scribit, quod in Cana Galilaeae in convivio nuptiali aquam in vinum converterit Salvator. Ejusdem convivii ἐπιφανέστατον mentionem facit Eucherius *Lugd.*, *homilia in s. Andreae vigilias*. Neque Petrus Chrysol. hanc epiphaniorum memoriam silet, per epiphaniam (epiphaniorum diem interpretor) Christum in nuptiis saporasse vinum, disertis verbis asserens. — §. 5. Denique in memoriam quinque millium, quos quinque panibus sub dio in deserto saturatos dimisit Servator, instituta epiphania, putant nonnulli. Auctor *sermonis* 31., Augustino tributi, festum epiphaniorum diem coli vult, quod de quinque panibus

quinque millia hominum satiaverit Christus, in quo salutis nostrae contineantur mysteria et gaudia. Ineptum auctorem prodant verba novissima, quamquam vel Augustino talia non omnino sint indigna. Novam, qua non egebant, epiphaniis celebritatem parare fictione conatus est auctor, in ambone contradictionis experte constitutus. Erat forte ex illis, quibus, suo tempore et loco, quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Beda Venerabilis ejusdem rei fecit mentionem; nec omittitur hoc epiphaniorum miraculum in hymno: *illuminans altissimus* olim decantato. Imo Jacobus de Voragine *aurea* sua *legenda*, Dresserus, Hospinianus, Quenstedius, Joannes Casp. Calvoer et Josephus Bingham uno ore ad hanc antiquitatem provocant. Sed quum in originali Bedae talia expressa non sint, et Joh. 6., ubi res gesta traditur, *fuisse in propinquo pascha,* dicatur, ambigendum sibi putat Rod. Hospinianus *de orig. festor. Christian. ed. II*, 1612. Certe, quum in omnibus Graecorum, Latinorum et Syrorum primaevorum sermonibus, quos epiphaniis in concione dixerant, istorum quinque millium nec volam viderim nec vestigium, ut epiphaniis istorum causa feriati veteres fuerint, jure meritoque veremur.

XI.

Joh. Friedr. Mayer, de hebdomade magna *).

Hebdomadis magnae nomen ejusque nominis ratio. §. 1—3. Veterum pietatem pariter atque religionem et profanae Papaeorum gentis superstitiones impiosque cultus circa *hebdomadem magnam* edisserere animus est. Quemadmodum autem dominicam diem, gloriosa Christi resurrectione insignem, *ἡμέραν μεγάλην* pia vocavit antiquitas, utpote *ἑορτὴν ἑορτῶν* et dierum magnorum **) longe maximum et praestantissimum ***) et Sabbatum proxime antecedens *Σάββατον μέγα* †) : ita hebdomadem quoque, quae resurrectionis antecedit festos dies et dominicam palmarum excipit, *μεγάλην ἑβδομάδα* dixit. Liquet id abunde ex Const. Apost. 8, 33; ex Chrysostomi hom. 30. in cap. 10. Genes. (Tom. II. Opp. edit. Front. Ducaei f. 328 sq.) et *Theodori Studitae* titulo Serm. 72—73. (Tom. 14. Maximae bibliothecae Patrum f. m. 866.) *Anastasio Niceno* q. 77. in Scripturam. Unde et Latinis denominatio majoris septimanae fluxit. Cf. *Jo. Filesacium*, *de quadragesima christiana* cap. 15. in Op. Var. p. m. 485. — Magni hujus nominis rationem felicissime expressit Chrysostomus, cujus verba audire juvat. Ita vero ille l. c.: *Μεγάλην δὲ καλοῦμεν τὴν ἑβδομάδα, οὐκ ἐπειδὴ πλέον ἔχει τὸ μῆκος τῶν ὡρῶν, (καὶ γάρ εἰσιν ἕτεραι πολλῷ μείζους ὥρας ἔχουσαι) οὐδὲ ἐπειδὴ πλείους ἡμέρας ἔχει, καὶ γὰρ ὁ αὐτὸς ἀριθμὸς καὶ ταύτῃ καὶ ταῖς ἄλλαις πάσαις. Τίνος οὖν ἕνεκεν μεγάλην ταύτην καλοῦμεν; ἐπειδὴ μεγάλα τινὰ καὶ ἀπόῤῥητα τυγχάνει τὰ ὑπάρξαντα ἡμῖν ἐν αὐτῇ ἀγαθά. Ἐν γὰρ ταύτῃ ὁ χρόνιος ἐλύθη πόλεμος, θάνατος ἐσβέσθη, κατάρα ἀνῃρέθη, τοῦ διαβόλου ἡ τυραννὶς κατελύθη, τὰ σκεύη αὐτοῦ διηρπάγη, Θεοῦ καταλλαγὴ πρὸς ἀνθρώπους γέγονεν, οὐρανὸς βάσιμος γέγονεν, ἄνθρωποι τοῖς ἀγγέλοις συνεμίγησαν, τὰ διεστῶτα συνήφθη, ὁ φραγμὸς περιῃρέθη, τὸ κλεῖθρον*

---

*) Prodiit Gryphiswaldiae. 1706. 4.

**) I. e. festorum; vid. Baronium ad A. C. 34, n. 35.

***) Teste Conc. Ancyr. Can. VI. ubi: *ἔδοξε μέχρι τῆς μεγάλης ἡμέρας εἰς ἀκρόασιν δεχθῆναι, καὶ μετὰ τὴν μεγάλην ἡμέραν ὑποπεσεῖν τρία ἔτη.* In quem locum et *Balsamon*: *μέχρι τῆς μεγάλης ἡμέρας ἤτοι τοῦ πάσχα.* Et *Zonaras*: *μεγάλην ἡμέραν τὸ ἅγιον πάσχα ὠνόμασε τὴν τοῦ Κυρίου δηλονότι ἀνάστασιν.*

†) Balsamon ad Can. Apostolic. LXVI. *Κατὰ δὲ μόνον τὸ μέγα Σάββατον καθ' ὃ τὸ κυριακὸν σῶμα ἐν τῷ τάφῳ ἄπνουν ἔκειτο, νηστεύειν κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου φωνὴν τὴν λέγουσαν ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε νηστεύσουσιν, προσετάχθημεν.* Vid. Beveregium ad dictum Canonem p. m. 33.

ἀνηρέθη, ὁ τῆς εἰρήνης Θεὸς εἰρηνοποίησε τὰ ἄνω καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Διὰ τοῦτο μεγάλην τὴν ἑβδομάδα καλοῦμεν, ἐπειδὴ τοσοῦτον πλῆθος δωρεῶν ἡμῖν ἐν αὐτῇ κεχάρισται ὁ δεσπότης. Διὰ τοῦτο πολλοὶ καὶ τὴν νηστείαν ἐπιτείνουσι καὶ ἀγρυπνίας καὶ παννυχίδας ἱερὰς καὶ ἐλεημοσύνας ἐπιδείκνυνται, δεικνύντες δι᾽ ὧν πράττουσι τὴν τιμὴν, ἣν περὶ ἑβδομάδα ἔχουσιν. Εἰ γὰρ ὁ δεσπότης τοσαῦτα ἐν αὐτῇ ἡμῖν ἀγαθὰ ἐδωρήσατο, πῶς οὐχὶ καὶ ἡμᾶς προσήκει, δι᾽ ὧν δυνάμεθα, τὴν αἰδῶ καὶ τὴν τιμὴν ἐπιδείκνυσθαι;

Magna scilicet haec septimana, quod huic similem ab urbe condito nulla viderit aetas nec ulla iterum visura sit, *quae miraculorum miracula* suo complectitur ambitu et miraculorum omnium, quae unquam futura, compendium est. Quis enim nisi sortis humanae penitus ignarus aut cui propria temeritate se deludi volupe sit, audeat haec stupenda vel digne apprehendere vel eloqui, *Deum agonizantem, Deum Dei judicis extimescentem sententiam, condemnatum Deum a Deo, Deum a Deo derelictum, Omnipotens Numen animam agere, in imagine immortalis Patris pallidam mortis deprehendi imaginem, Auctorem Conservatorem vitae Deum mortuum, Funus in Sacrosancta Trinitate esse* *).

Magnam hanc hebdomadem jure diximus ob maxima affectûs intensissimi summi numinis erga hostes suos, genus humanum volo, specimina illis diebus exhibita, quid majus unigenito Filio dare poterat Pater? Rom. 8, 32. Quid hostium causa Joh. 15, 13. 5, 7—8. vita majus Filius? Quid crucifixo redemtore terroribus conscientiae infelicissime agitatis et de aeterna haereditate desperantibus Sanctus Dei Spiritus? Rom. 8, 15—16. Laudo ingeniosam brevitatem, quae meum munit affectum, doctissimi poëtae *Sidronii Hosschii*, Alex. VII. Pontif. Max. perquam cari, in Christo patiente p. 189:

Quis patitur? Rerum Dominus de Numine Numen.
Quid patitur? Lacero corpore mille neces.
Pro quibus? Ingrata pro turba et gente rebelli.
Cur? Nos carnifices servet ut ipse suos.
Quis locus? Infamis poenis et morte notatum.
Quando? Cum poterant facta probare Deum.
A quibus? A notis et avito sanguine junctis.
Quomodo? Non servans ullum in amore modum.

Habes *maximum in minimo*, ἀνάριθμα et inenarrabilia *in septiduo*. Alias hujus nominis causas *Alcuinus* allegat: *Ideo haec hebdomada major dicitur, quia in ea maxima est adhibenda diligentia, sive quod majus officium recolitur in ea. Vide Speelmanni* Glossar. archaeolog. p. 277. Consentit *Beleth.* divin. offic. explicat. c. 88. p. 529. *Ultima septimana quadragesimae vel ob id major dicitur, quod major et prolixius habet officium.* Addunt *Macri* fratres hierolexici f. 303: *Major dicitur ex pluribus causis: majus seu longius officium in hac hebdomada celebratur et arctius jejunabatur.* Sed has magnitudinem superius dictam prorsum non attingere, nemo non videt et aliarum virtutem infra sub examen vocabimus.

*) Verba *Dorschaei* in: *Admirandis Mortis Dn. nostri Jesu Christi Dei Salvatoris orbis.*

Jam sufficiat adnotasse, singulas quoque ferias hujus hebdomadis *sancti et magni* cognomine venire apud Graecos, recentiores praecipue, uti *Leo Allatius in diss. de Dominicis et hebdomadibus Graecorum p.* 1446. *et Thom. Smithus in Epistola de Ecclesiae Graecae hodiernae statu p.* 31 *ss.* observarunt. Itaque ad distinguendas hujus septimanae dies a diebus aliarum in anno septimanarum prima feria, quae post τὴν κυριακὴν τῶν βαΐων sequitur, illis audit ἡ ἁγία καὶ μεγάλη δευτέρα ἡμέρα, quam excipit ἡ ἁγία καὶ μεγάλη τρίτη, istam vero ἡ ἁγία καὶ μεγάλη τετάρτη, ἡ ἁγία καὶ μεγάλη πέμπτη, ἡ ἁγία καὶ μεγάλη παρασκευὴ ac denique τὸ ἅγιον καὶ μέγα σάββατον. — Non abludit ab illa *magni* vel *majoris* compellatione, quod eadem hebdomas, si credimus *Filesaco*, hebdomas κατ᾽ ἐξοχὴν vel per antonomasiam dicta est interdum a veteribus, quasi aliae per annum hebdomadae cum hac comparatae longe minus observandae ac vix nomine illo dignae esse videantur. Ad illam vero rem probandam mallem quidem virum doctum alio testimonio usum fuisse quam *canone quadragesimo sexto concilii Laodiceni*. Nam quam parum ille ad rem faciat, manifestum est ex hoc *Zonarae* Scholio ad canonem septuagesimum septimum Trullanum: οὗτος ὁ κανὼν τῆς ἐν Λαοδικείᾳ συνόδου ἐστὶ τεσσαρακοστὸς τρίτος, αὐτοῖς γὰρ ῥήμασι τοῖς ἄλλοις κανόσι τῆς συνόδου ἐγκατέστρωται. Κελεύει δὲ τοὺς φωτιζομένους ἤγουν τοὺς πρὸς τὸ φώτισμα ἑτοιμαζομένους καὶ κατηχουμένους τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐκμανθάνειν, καὶ τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ ἑκάστης ἑβδομάδος ἀπαγγέλλειν ἃ διὰ τῆς ἑβδομάδος ἔμαθον τῷ ἐπισκόπῳ ἢ τοῖς πρεσβυτέροις. Hisce gemina ante *Zonaram Theodorus* quoque *Balsamon* scripserat, neque utrique adversatur adnotatio *Alexii Aristeni*, quia non modo octodialibus paschatis, sed pentecostes etiam baptismus in veteri ecclesia frequentabatur, imo interdum aliis quoque anni hebdomadis, uti ex testimoniis a *Ger. Joh. Vossio* p. 207. libri de *baptismo* collectis videri potest. Adde *Josephum Vice-Comitem* de antiqu. bapt. rit. ac cerimon. 1, 14. p. m. 99 ss.

Alia nomina hebdomadis magnae cum apud Graecos et Latinos, tam apud Germanos. §. 4 — 5. Minus controversum est, hebdomadem illam in Officio Mediolanensis ecclesiae, quod ad Ambrosium auctorem communiter referunt, *authenticam* appellari, quod nomen ea notione impositum non absurde conjicimus, qua *authenticas* personas pro *insignibus* et optimatibus, vel *authenticatas* pro canonizatis accipi docuit *Fraxinetus*. Eadem septimana alias quoque sortita est denominationes non a Latinis modo, sed et a Graecis, quarum pleraeque vel a passionibus, quas in ea sustinuit Christus, vel a luctu, quem in ea singularem testati sunt Christiani et a jejuniis, pars etiam aliunde originem duxit. *Ambrosius* epist. 33. *ultimam* vocavit, eadem ratione, qua hebdomadam quadragesimae quartam, Graeci μέσην τῶν νηστειῶν, in latina Ecclesia *medianam* dixere Gelasius et alii. Eadem aliquibus appellata quoque *hebdomada indulgentiae*, quia in ea poenitentes olim sollenni ritu absolvebantur, ut infra dicemus et monet *Honorius Augustodunensis* (de officio Missae 3, 72). Quod hebdomadam *sanctam et poenosam* vocant *Durandus*, *Beletus* aliique, convenit eis cum Graecis, quibus

ea passim ἁγίας compellatione venit et ἑβδομὰς τοῦ πάθους dicitur a *Pseudo-Ignatio* ad Philippenses. *Poenalem* et *laboriosam* vocari a latinis Patribus, notatum *Fraxineto* est, qui addit *Hebdomadam passionis* dici illam quoque, quae dominicam palmarum antecedit, quod docet etiam *Leo Allatius* (p. 1440. de hebdomadis Graecorum). Magnam vero hebdomadam σταυρωσίμους ἡμέρας dixit *Psellus* apud eundem *Allatium* p. 1445. *Nicetas* eodem sensu ἡμέρας παθημάτων, alii ἑβδομάδα τῶν ἁγίων παθῶν vel ἑβδομάδα σωτηρίου πάθους, quibus nominibus adde, quod Germanico idiomate septimanam illam Jus Saxonicum vocat die Kreuzwoche, monente Wildvogelio in diss. *de eo quod justum est circa tempus quadragesimale* p. 49. Communis vero loquendi usus die Marterwoche et die Karwoche nuncupat, ex quibus duabus appellationibus cum prior in aperto sit, de altera dubium esse potest, utrum a *carendo* sive jejunando sit petita, quomodo Graeci eam vocant ἑβδομάδα ξηροφαγίας, an *a carena* sive quadragesima, quam illa claudit, vel potius *a caritate pretii*, quod pro nobis hac hebdomade exsolvit Christus, vel quod nulli, ut ait *Dresserus*, *cariores*, pretiosiores s. selectiores *dies* inde ab initio mundi illuxerint; vel *a mirifica caritate*, quam in nos libertos suos orcinos hac potissimum hebdomade Servator noster demonstravit, vel denique, uti videtur *Hospiniano*, *Thummio et Hildebrando*, quod hac septimana *poenas* pro nobis dederit Christus mulctarique se nostro loco passus fuerit, quam mulctam satisfactoriam Germani veteri vocabulo Kar sive *Carrinam* soliti sunt appellare. Triduum posterius hujus hebdomadis *Macri* fratres ex decretalibus observarunt dictos esse *dies lamentationis*, sive quod per illos in ecclesia threni publice praelegerentur, (cf. *Gavantum* ad rubricas breviarii Rom. p. 110.) sive quod id tempus in luctu et lacrymis transigerent Christiani, non Christum deflentes Deum immortalem et in omne aevum regnaturum, sed peccata plangentes sua, quibus auctores fuissent Servatori suo ad sustinendam tantam vim incredibilium acerbissimorumque dolorum. — Unum adhuc restat appellationis genus, qua hebdomadem istam apud Graecos τὴν τοῦ πάσχα dictam accepimus, et apud Epiphanium T. 1. p. 908. ἡμέρας τοῦ πάσχα, unde de illa etiam intelligunt viri docti hoc Tertuliani lib. 2. ad uxorem: *Quis solennibus paschae abnoctantem uxorem securus sustinebit?* Scilicet constat, Latinis communiter hebdomades a die incipere dominico, et a primo illo die nomen accipere; quare illis hebdomas paschalis est, quae festum paschatis subsequitur extenditurque usque ad dominicum in albis, quem διακαινήσιμον vocant Graeci, quibus contra dies dominicus ultimus est hebdomadis, ab illo ultimo die repetentes denominationem. Qua de re *Valesius ad Eusebium p.* 108. *Allatius l. c. p.* 1410. *et Beveregius ad can.* 52. *Trullanum* legi possunt. Hinc Graecis et iis, qui Graecos imitantur, paschatis hebdomas dicitur non illa, quae festum ἀναστάσιμον sequitur, sed quae praecedit. Cum vero Latinorum quoque simul invaluisset consuetudo, hebdomades denominandi a praecedente die dominico, facile usu venit, ut utraque septimana tam antecedens paschatos festum quam subsequens paschalis diceretur et utraque dies crederetur complecti paschales. Unde post alios Durandus lib. 6. c. 86. docet: Pascha *ipsam diem resurrectionis, et etiam*

tempus a dominica in ramis palmarum usque ad octavam paschae desolare.

Origo sollennitatis hebd. magnae. §. 6. Initia dedicandi hanc septimanam prae aliis memoriae, meditationibus ac cultui cruciatuum atque mortis sanctissimi Salvatoris ab ipsis Apostolorum temporibus arcesso. Non me, ut id affirmem, vulgo dictarum *Apostolicarum Constitutionum* movet auctoritas, quae 5, 14. haec Salvatori Christo adscribunt: *Itaque praecepit nobis jejunare his sex diebus propter impietatem et scelus Judaeorum, hortatus deflendum et lamentandum interitum eorum, siquidem et ipse illacrymatus est illis, quod ignorassent tempus visitationis. Quarta vero feria et sexta jussit nobis jejunare, illa quidem propter proditionem, hac vero propter passionem.* Et 8, 33. Sub nomine Petri et Pauli: Ego Petrus et ego Paulus constituimus: *Tota magna hebdomada et proxima sequenti vacent servi, quia illa passionis est, haec resurrectionis etc.* Neque enim Constitutiones istae vel Apostolos vel Clementem Romanum auctorem agnoscunt, neque tamen post quinque demum secula a Christo nato scriptas esse ut credam a me impetrare possum, quae *Pearsonii* ad Act. Apost. p. 46. sententia est, cui praeluserat *Dallaeus* Libro I. et II. de *Pseudepigraphis apostolicis.* Praestat etenim cum *Blondello, Beveregio, Albaspinaeo, Hallosio, Schelstratenio* eas sec. III. vergentis scriptori asserere, et cum *Salmasio* aliisque interpolatas agnoscere, quam pro tam recentibus habere, in quibus praeter auctoris imperfecti et epiphaniarum citationum vestigia mille alia antiquitatis signa occurrant. Saltem ex antiquissimis ecclesiae formulis scriptisque aliis vetustissimis collectas fuisse non ab re judicat *Dodwellus* Diss. I. Cyprianica, et *de Jure Sacerdotali Laicorum* p. 382. Cui adde *Jac. Usserium* Prolegom. in Ignat. cap. 7 ss. *Pearsonii* Vindic. Ignatii P. I. p. 61 ss. *Steph. le Moyne* Notis ad varia sacra p. 1072. Sed de his satis. Alias omnino piae suspicionis meae in promtu causas habeo. Quod appropinquante paschatos festo necesse haberent ex conscientiae praecepto erudire populum, qua ratione pascha a Christianis rite coli possit: typos scil. omnes impletos, agnum paschalem, redemtorem designantem, cessare, redemtore Christo jam mactato, eumque hujus ad paschatos sollennitates his ipsis temporibus fuisse occisum. Vide liturgiam Apostoli 1. Cor. 5, 7—8. Quod nullam crucifixionis Christi docendae occasionem praetermitterent Christi discipuli 1. Cor. 2, 2; Gal. 6, 14. Quae autem magis commoda et corda hominum vehementius pungens, quam illi dies, qui angustiis, doloribus, cruore et morte Christi quasi calebant atque erant signati? Judaeis etiam sollenne erat, quoties annus rediisset in circulum, emortualem diem valde dilectorum aut bene meritorum illorum destinare luctui et memoriae. Exempla habes Jud. 11, 40. 2. Paral. 35, 25. ad quem locum *R. Sal. Jarchi*: *Quoties accidit ipsis ulla angustia et res deploranda, quoties lamentabantur ac deflebant casus sibi evenientes, toties hujus quoque angustiae injecerunt mentionem. Quemadmodum nos die Augusti nono (qui Judaeis multis de causis funestus est) instituere lamentationes consuevimus propter occisos per fata, quae nostro contigerunt aevo: sic ipsi deflere solebant diem emortualem Josiae. Non secus ac Jud.*

II, 39 *dicitur: Et fuit ritus inter Israelitas etc., scil. ut deflerent filiam Jephthae quatuor diebus quotannis.* Bene in rem nostram *Guil. Beveregius* in Cod. Canonum eccl. primit. vindicato ac illustrato 3, 9 de jejunio quadragesimali p. m. 414—415: *Primo quidem Apostolos istum, quo cruci affixus est Christus, diem jejunos quotannis transegisse, nemo, ut opinor, inficiari potest. Cum omnibus enim, ut notum est, Judaeis sollenne esset, ut quisque diem, quo pater ipsius mortuus est, in singulis postea vitae suae annis jejunio consecraret, nihil rationi fideique magis absonum videtur, quam ut Apostoli diem illum, quo unicus humani generis Servator, quo aeternus Dei filius gravissimos pro ipsorum aliorumque peccatis cruciatus ipsamque mortem pati dignatus est, quotannis non jejunarent. Quis ex infimis ejus discipulis hoc non faceret? Quis anniversario isto redeunte die secum non reputaret: Hoc die unigenitus Dei filius pro meis ipsius peccatis ludibrio habitus est, verberibus laceratus est, spinea corona redimitus est, in crucem, infandum! a suis ipsius creaturis actus est meique loco ignominiosissimo isto asperrimoque mortis genere sublatus est. Ipseque hunc diem laetus carnique indulgens transigam? Hoc saltem die jejuniis lacrymisque ob ista, quae Dominum meum cruci affixerunt peccata, me non affligam? Absit longe longeque absit. Sane si quis nostrum vel illorum etiam, qui stata ecclesiae jejunia tantopere oppugnant, ineffabiles istas, quas nostri loco suscepit Dominus, passiones animo maturo agitaret, non difficile dico, sed impossibile esset, ut istum saltem, quo passus est, diem jejunare dedignaretur. Quanto magis impossibile fuit, ut sanctissimi illius discipuli, qui aliquot cum eo annos conversati fuerant, qui miracula ejus viderant, qui doctrinam audierant, qui divina ejus praesentia ac favore tam diu beati fuerant, summo animi angore non afficerentur, quoties anniversarius ille rediret dies, quo dilectissimus ipsorum Dominus impia Judaeorum manu iis ablatus est? Quonam autem modo hunc suum ob Domini passiones dolorem manifestum reddere, vel etiam exercere potuerunt, si istum saltem diem, quo eas pertulit, jejunio fletibusque non devoverent? hoc est, si illud pro Christo facere recusarent, quod alios pro patribus amiculisque suis mortuis quotannis peragentes videbant? Qui sinceram profecto Apostolorum pietatem summumque in Christum amorem contemplatur, dubitare nequit, quin istum quotannis strictissime jejunarint diem, quo crucifixus est Christus; imo vero atque proximum etiam, quo in sepulcro jacuit, idque non eo tantum, quod per istum etiam diem divina ejus, ut in mortuorum statu adhuc manentis, praesentia privati fuerunt, verum eo praesertim, quod ipse Dominus de illis praedixerat:* venient dies, cum auferetur ab iis sponsus et tunc jejunabunt ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. *Ex his enim verbis Apostoli intellexisse videntur, Domini mandatum ac voluntatem esse, ut ipsi omnesque alii postea Christiani duos illos quotannis dies, parasceven scilicet et sabbatum magnum, quibus sponsus sive Dominus ipsis sublatus est, jejuniis consecrarent. Hoc enim, quem optime ferent, sensu verba ista proximo post Apostolos seculo ab ecclesia Catholica intellecta fuisse, ex Tertulliano constat, dicente:* Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant Catholici, in quibus ablatus est sponsus. *Tertull. de jejun. adv. psychic. c. 2. Hanc autem istorum Domini verborum interpretationem ecclesia catholica istis saltem diebus*

aliunde quam ab Apostolis habere non poterat, ut a quibus et ipsum Evangelium et genuinas verasque ejusdem expositiones traditas acceperat. Quod si Apostoli verba ista intellexerint, dubitare nefas est, quin dies illos arctissime quotannis jejunarint ipsi et in mandatis dederint, ut alii etiam eosdem, ut in Evangelio jejuniis determinatos, in singulis vitae suae annis observarent.

Ex quo pascha cum Judaeis celebrare nefas fuit, quotannis indicari oportuit, quando passionis Domini memoriam obire conveniat. §. 7. Postquam autem paschatos sollennitates ad *festa mobilia* traxerunt Patres, atque in conc. Niceno prohibuissent, ne pascha cum Judaeis Christiani celebrarent, qui secus facerent, Quartodecimanorum venirent nomine, ex indivulso passionis et resurrectionis nexu et ferias passionales, quamvis tempori non responderent, mobiles fecerunt. Quacirco ut mature quotannis de hebdomadis magnae et paschatos termino moneretur ecclesia, prospexerant sollicite. Cura haec *Alexandrino episcopo* (quod Aegyptii calculandi essent peritiores, vide omnino *Ferrarium* de antiquo ecclesiasticarum epistolarum genere lib. 2. c. 3. de *Paschalibus Epistolis*) erat propria, Romano antistiti in tempore dominicam, qua pascha celebrari oporteret, indicare, cujus deinde esset, per litteras formatas reliquis episcopis ecclesiisque ante epiphaniae festum intimare, ut disci potest ex *Leonis Magni* ep. 64. ad Marcianum; et *Cassiani* Collat. 10. cap. 1. quam intimationem populo in *epiphaniorum* festo (quod apparitioni Christi in terris sive nativitati ejus sacrum erat) faciendam conc. *Aurelianense* IV. a. 541. can. 1 decrevit: *Placuit itaque Deo propitio, ut sanctum pascha secundum laterculum Victorii ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur. Quae festivitas annis singulis ab episcopo epiphaniorum die in ecclesia populis denuncietur.* Tom. XI. Concil. f. 618. Et Patres concilii *Bracarensis II.* a. 572. Can. 9. Tom. 12. Concil. ed. Regiae p. 663: *Placuit, ut, postquam omnia in concilio sacerdotum fuerint ordinata, illud omnibus modis observetur, ut superventurum ipsius anni pascha, quoto kalendarum die vel quota luna debet suscipi, a metropolitano episcopo nuntietur. Quod caeteri episcopi vel reliquus clerus, breviculo subnotantes, unusquisque in sua ecclesia, adstanti populo, post lectionem evangelicam nuntient, ut introitum quadragesimae nullus ignoret. In cujus principio convenientes in unum vicinae ecclesiae, per triduum cum psalmis per Sanctorum basilicas ambulantes celebrent litanias. Tertio autem die, celebratis hora nona sive decima missis, dimisso populo, praecipiant quadragesimae servare jejunia et mediante quadragesima, ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre.* Atque publica haec promulgatio summe necessaria erat. Cum enim religiosissime septimanam hanc universa celebraret ecclesia, praescindenda erat omnis dissensionis occasio, ne his paschali laetitia exultantibus, aliae lugerent et jejunarent ecclesiae.

Initium hebdomadis magnae a die lunae. §. 8. Antequam porro ad enarranda devotionis rituumque genera accedimus, quibus septimanam sanctam prosecuti sunt veteres Christiani, operae pretium est monere, eam non a dominica palmarum, sed a die lunae subsequente incipere, ut Allatius, Valesius et Carolus du Fresne non uno loco ob-

servarunt. Valesius ad Eusebium p. 279: *Denique ἑβδομὰς μεγάλη quam nos sanctam vocamus, refertur ad dominicam sequentem paschae, ut patet ex Typico Sancti Sabae cap. 31. Cyrillus quoque in sermonibus paschalibus hebdomadam paschae, quam nos hodie sanctam hebdomadem vocamus, semper orditur a feria secunda et sequente dominica paschae eam terminat. Nec aliter Theophilus in epistolis paschalibus.*

Dies hebd. magnae feriati; servi liberi ab operibus, justitium etc. §. 9—11. Vere autem magnam hanc dixeris hebdomadem, i. e. festam et sollennem nomini christiano, quia, quod de septimana festum resurrectionis diem subsequente ait *Durandus*, *ferias omnes hujus octavae esse dies dominicos* (lib. 6. cap. 81.) idem non minore jure dici poterat de hebdomada, quam τῶν πάσχων vocant Cyrillus et Epiphanius, *illius enim dies universos feriatos et a servis operis liberos transigi oportebat.* In Constitut. Apost. 8, 33. tota magna hebdomada et proxima sequenti vacare jubentur servi. *Τὴν μεγάλην ἑβδομάδα πᾶσαν καὶ τὴν μετ᾽ αὐτὴν ἀργείτωσαν οἱ δοῦλοι, ὅτι ἡ μὲν πάθους ἐστὶν, ἡ δὲ ἀναστάσεως, καὶ χρεία διδασκαλίας, τίς ὁ παθὼν καὶ ἀναστὰς, ἢ τίς ὁ συγχωρήσας ἢ καὶ ἀναστήσας.* Similiter Constantinus imp. legem sanxisse legitur, qua praecipit ἀπράκτους esse hebdomadem salutiferae passionis una cum ea, quae festum paschatis excipit et διακαινήσιμος a Graecis appellatur. Cf. *Scaligerum* de emendat. temp. p. 730. Qui in eandem rem ab Hospiniano affertur canon II. concilii sec. Matisconensis T. 13. Concil. edit. Reg. p, 76. nescio an de illa, quae festum resurrectionis excipit, hebdomada potius sit intelligendus. Verba Canonis haec sunt: *Pascha itaque nostrum, in quo summus sacerdos et pontifex pro nostris delictis nullam habens obnoxiationem peccati immolatus est, debemus omnes festivissime colere et sedulae observationis sinceritate in omnibus venerari et illis sanctissimis sex diebus nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunati, hymnis paschalibus indulgentes, perseverationis nostrae praesentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes creatorem ac regeneratorem nostrum vespere, mane et meridie.* — Neque ab operibus tantum servilibus abstinere fas fuit, sed etiam *magistratibus muneris sui concessa vacatio et in judiciis per dies istos justitium observatum captivique dimissi e vinculis, quibus tenebantur.* Chrysostomus homilia 26. in Genesin supra dicta: *Καὶ γὰρ καὶ οἱ βασιλεῖς δι᾽ ὧν ποιοῦσι καὶ αὐτοὶ, δηλοῦσιν ὅσον ἔχουσι τὸ θαῦμα τούτων τῶν ἡμερῶν, κελεύσαντες ἐκεχειρίαν ἅπαντας ἔχειν τοὺς τὰ πολιτικὰ οἰκονομοῦντας πράγματα, καὶ τῶν δικαστηρίων τὰς θύρας ἀποκλείειν, καὶ πᾶν εἶδος μάχης καὶ φιλονεικίας ἐλαύνεσθαι, ἵνα μετὰ πολλῆς ἡσυχίας καὶ γαλήνης ἐξῇ πρὸς τὴν τῶν πνευματικῶν κατόρθωσιν ἐπείγεσθαι. Καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ ἑτέραν φιλοτιμίαν ἐπιδείκνυνται. Τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἀφιᾶσι τῶν δεσμῶν, καὶ κατὰ δύναμιν ἀνθρωπίνην μιμοῦνται τὸν ἑαυτῶν δεσπότην.* Idem homilia in magnam hebdomadem: *οὐχ ἡμεῖς δὲ μόνον ταύτην τιμῶμεν τὴν ἑβδομάδα ἀλλὰ καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς καθ᾽ ἡμᾶς οἰκουμένης, οὐχ ὡς ἔτυχεν αὐτὴν τετιμήκασιν, ἐκεχειρίαν πᾶσι δόντες τοῖς τὰ κοινὰ τῶν πόλεων πράττουσι πράγματα, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν ἀπολαύσαντες σχολῆς τὰς ἡμέρας ταύτας ἁπάσας τῇ πνευματικῇ προσ-*

ἔχωσι θεραπείᾳ. *Διὰ τοῦτο καὶ τῶν δικαστηρίων τὰς θύρας ἀπέκλεισαν· ἀργείτω, φησὶ, πᾶσα ἀμφισβήτησις καὶ μάχης εἶδος καὶ τιμωρίας, ἀναπαυσάσθωσαν μικρὸν τῶν δημίων αἱ χεῖρες, κοινὰ τὰ κατορθώματα τοῦ δεσπότου γέγονε, γενέσθω δή τι καὶ παῤ ἡμῶν τῶν δούλων ἀγαθόν.* Exstant hanc in sententiam edicta imperatorum in *Codice Theodosiano*, quae ad illustranda Chrysostomi verba hic adjiciemus. Valentinianus, Theodosius et Arcadius l. 2. de feriis : *Sanctos quoque paschae dies, qui septeni vel praecedunt numero vel sequuntur in eadem observatione numeramus, ut non sint dies juridici, sed fas sit, eos dies manere feriarum.* Valentinianus, Valens et Gratianus l. 3. de indulgentiis criminum: *Ob diem paschae, quem intimo corde colimus, omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus. Attamen sacrilegus, in majestate reus, veneficus sive maleficus, adulter, raptor, homicida communione istius juris separentur.* Atque hanc indulgentiam septimana antepaschali exercuisse imperatores, testis idem *Chrysostomus*, homilia jam adducta in magnam hebdomadem; ait enim, eos alio etiam venerationis genere illam prosequi caeteris minime inferiore: *βασιλικὰ καταπέμπονται γράμματα, λέγοντα τοὺς δὲ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἀφίεσθαι τῶν δεσμῶν.* Addit rationem ex antiquorum quorundam sententia de descensione Christi ad inferos depromtam, quam merito hic omittimus. Videndi de illis antepaschalibus indulgentiis *Jac. Godofredus* ad Cod. Theodos. T. 3, p. 172 ss. et *Petavius* ad Epiphanium p. 365. De justitio vero ab imperatoribus hebdomada ante pascha imperato fuse et erudite agit idem *Godofredus* T. 1. p. 124. Ceterum quam judiciorum vacationem in causis civilibus permissam constat, hanc longe magis in criminalibus observatam fuisse oportet, quia lege 4. Cod. Theodos. *de quaestionibus*, per integros quadraginta dies, qui auspicio ceremoniarum paschale tempus anticipant, cognitio criminalium quaestionum inhibetur. Non ita Pontificii, quos in ipsa hebdomade sancta *Hieronymum Savonarolam* cum sociis tormentis subjecisse testis est *Petrus Malpaeus* in Palma fidei S. Ordinis Praedicatorum p. 237 ss. *Ceterum*, inquiens, *feria IV. die Jovis, die parasceves moestissimo, sabbato sancto, ipsa festivitate resurrectionis dominicae ac duabus sollennitatibus subsecutis, non nisi ab immanitate in Hieronymum temperarunt. Ita per exquisita tormenta hominem excarnificantes, ut singulis diebus non minus tribus aut quatuor vicibus fidiculis seu fune consueto lancinarent: et quodam die quatuordecies per idem tormenti crudelissimum genus illum fere enecassent. Adjunctae contumeliae, probra, sputa, ictus; varia torquendi instrumenta ob oculos posita; illo tantum fine ut, quae de futuris vel occultis (nam reliquas calumnias diluerat) pronunciasset, recantaret et hujus unici criminis se reum fateretur. Ad id amplius extorquendum pedibus accensos carbones admovebant, ut carne et nervis semiustulatis prae dolore et cruciatus acerbitate dicta retractaret seque simulatae prophetiae obnoxium statueret. Negabat ille se facturum illisque funis tormenta repetentibus sollenne suum identidem ingeminabat:* Tolle, Domine, animam meam: *ac posteaquam torquendi finem fecissent, procumbens in genua pro tortoribus et persecutoribus preces effundebat.* — Porro hac hebdomade quotidie synaxes sive sacri conventus celebrati sunt, ut auctor

est Epiphanius in Catholicae fidei expositione T. 1. edit. Petavii p. 1105. Eusebius hist eccl. 2, 17: *Τί δεῖ τούτοις ἐπιλέγειν τὰς ἐπὶ ταὐτὸν συνόδους καὶ τὰς ἰδίᾳ μὲν ἀνδρῶν, ἰδίᾳ δὲ γυναικῶν ἐν ταὐτῷ διατριβὰς καὶ τὰς ἐξ ἔτους εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις, ἃς διαφερόντων μετὰ τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν ἐν ἀσιτίαις καὶ διανυκτερεύσεσιν, προςευχαῖς τε τῶν θείων λόγων ἐντελεῖν εἰώθαμεν.* Concilium Toletanum quartum (a. 633.) can. 7: *Comperimus, quod per nonnullas ecclesias in die sexta feriae passionis Domini clausis basilicarum foribus nec celebratur officium nec passio Domini populis praedicatur, dum idem Salvator noster Apostolis suis praecepit, dicens: passionem et mortem et resurrectionem meam omnibus praedicate. Ideo oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis nunciandum voluit, praedicari atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut poenitentiae compunctione mundati venerabilem diem dominicae resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur corporisque ejus et sanguinis sacramentum mundi a peccatis sumamus.* T. 14. Conc. p. 488.

De lectioibus, absolutione poenitentium, praeparatione catechumenorum etc. per hebdomadem magnam. §. 12—15. Lectiones per hanc hebdomadem variae fuere in varis ecclesiis, quamvis in hoc omnibus conveniret, ut historiam passionis, Christi vel secundum unum vel plures Evangelistas legerent. In homiliis ad populum episcopos aliis etiam scripturae contextis inhaesisse observamus. Quemadmodum Chrysostomus in Genesi explicanda perrexit, etsi in exordio sanctitatem magnae hebdomadis suis commendaret auditoribus. De lectionibus graecae ecclesiae per hanc septimanam quaedam non protrita leguntur apud *Allatium* p. 1446—1448. de *dominicis et hebdomadibus Graecorum.* Latinae ecclesiae *ἀναγνώσματα* ex *Pseudo-Hieronymi* Comite p. 1319. *ed.* Baluzii in appendice ad *Capitularia Regum Francorum,* et similibus libris peti possnnt. Recentiores ecclesiae pontificiae lectiones et ritus quosdam, quibus per magnam hebdomadam in suis conventibus vacant, videat cui volupe est apud Durandum, Belethum aliosque officiorum scriptores, et ex nuperis auctoribus apud *Barth. Gavantum* in commentar. ad rubricas Missalis p. 219 ss. ad rubricas breviarii p. 109 ss. et in manuali Episcoporum p. 126 sq. *Edm. Martene* de ritibus monachorum 3, 12. et *Andr. Pisaram Castaldum* Neapolitanum in praxi ceremoniarum eccl. Rom. p. 385 ss. Ex quibus unum omitti non debet, utpote laude et notatu dignissimum, quod Gavantus p. 89. ad rubricas breviarii ex Durando monet, *in tempore passionis publice omitti commemorationes Sanctorum, uti uni Christo crucifixo vacare possint.* Longe vero rectius facturi erant illi, si alio etiam tempore et privatim et publice ad solum confugerent Christum neque cultui Servatoris jungerent Christo invisas nihilque profuturas Sanctorum invocationes. — Apud veteres Christianos haec quoque non exigua pars fuit officii per hebdomadam, de qua agimus, ut catechumeni competentes s. baptismi candidati de fide et symbolo diligenter informarentur frequentique adhortatione et examine idonei redderentur ad baptismum vel in privilegio paschatis vel in proximis paschatis diebus sollenniter recipiendum. Eadem quoque hac hebdomada

sollenni ritu venia data poenitentibus iisque sacra eucharistia frui concessum, postquam prius assidue admoniti ab episcopo poenitentiam suam idoneis signis ecclesiae demonstrassent, qua de utraque consuetudine fusius egit *Filesacus* in *quadragesima christ.* p. 486 ss. De hoc vero poenitentium ista septimana absolutorum ritu erudite disseruit *Jo. Morinus de Sacramento poenitentiae* p. 601. — Alia christianae devotionis genera aliosque pios ritus, quibus magnam hebdomadem obire olim usu venit, his verbis breviter complexus est et Aërianorum simul perstrinxit insolentiam Epiphanius haeresi 75. T. 1. p. 907: ἔν τε ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα ὅτε παρ' ἡμῖν χαμευνίαι, ἁγνεῖαι, κακοπάθειαι, ξηροφαγίαι; εὐχαὶ, ἀγρυπνίαι τε καὶ νηστεῖαι καὶ πᾶσαι τῶν ψυχῶν αἱ σωτηρίαι τῶν ἁγίων παθῶν, αὐτοὶ (οἱ περὶ τὸν Ἀέριον) ἀπέωθεν ὀψωνοῦσι, κρέα τε καὶ οἶνον ἑαυτῶν τὰς φλέβας γεμίζοντες ἀνακαγχάζουσι, γελῶντες, χλευάζοντες τοὺς τὴν ἁγίαν ταύτην λατρείαν τῆς ἑβδομάδος τοῦ πάσχα ἐπιτελοῦντας. Caeterum plurimi etiam duobus supremis hebdomadis magnae diebus, sc. parasceves et sabbati, vigilarunt, hoc inprimis, qui ideo dies maxime nominari solet vigilia paschatos. Alias, ut satis constat, veteres Christiani noctu suos egerunt conventus sacros; qui ipsi conventus a vigilando vigiliae vocantur. Hanc vero consuetudinem ipsa jam Apostolorum aetate invaluisse, ex Act. 12, 10 apparet. — De abstinentia ab εὐνοίᾳ conjugali sive circumciso conjugi usu, ut loquitur Salvianus, quem Judaeorum exemplo (vide Grotium ad Ex. 9, 15. et 1. Sam. 21, 4.) et Apostoli consilio (1. Cor. 7, 5.) sibi invicem conjuges Christiani sacris hisce diebus indixerunt, praeter locum Tertulliani supra nobis adductum insignis est admonitio Caesarei episcopi Arelat. homilia duodevigesima: *In paschate castitatem, sicut in quadragesima servate, abstinentes ab uxoribus, castitatis luce vestiti, eleemosynis dealbati, orationibus jejuniis et vigiliis, veluti quibusdam margaritis coelestibus ornati, pacifici cum amicis et inimicis, ut possitis libera conscientia ad altare Domini accedere.* Hisce adde, quod lib. de oratione cap. 14. Tertullianus: *die Paschae,* inquit, *quo communis et quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum.*

De vigiliis et jejunio magna. §. 16—21. De vigiliis ista hebdomada frequentatis ita tradit Epiphanius in catholicae fidei expositione Num. 22. T. 1. p. 1105: ἀγρυπνίας δὲ διατελοῦσι τὰς ἕξ. πάλιν δὲ συνάξεις ἐπιτελοῦσιν τὰς αὐτὰς ἕξ, καὶ ὅλην τεσσαρακοστὴν ἀπὸ ἐνάτης ἕως ἑσπέρας. Ἔν τισι δὲ τόποις τὴν μετὰ τὴν πέμπτην ἀγρυπνοῦσιν ἐμφώσκουσαν εἰς τὸ προσάββατον καὶ τὴν Κυριακὴν μόνας. Apud Eusebium quoque et passim apud alios veteres mentio fit vigiliarum paschalium, etsi fatendum est, plerosque non sex noctes pervigilasse, sed duas tantum ferias postremas hebdomadae, vel ultimam duntaxat, unde etiam sabbatum magnum speciatim vigiliam paschatos dici consuetudo obtinuit. — Jam reliquum est, ut de jejunio septimanae sanctae pridem in ecclesia usitato pauca quaedam subjungamus. Ac jam supra innuimus, admodum antiquum ejus usum nobis videri. Cum vero constet, per reliquum etiam quadragesimae tempus jejunatum fuisse olim in plerisque ecclesiis, tenendum est, jejunium magnae hebdomadae ab illo quadragesimae jejunio frequenter admodum apud veteres distingui, uti

docuit *Henr. Valesius*, exponens locum insignem Irenaei, notis ad Eusebii 5, 24. Cujus distinctionis rationem duplicem nobis habuisse veteres illi videntur, quarum una est, quod jejunium hebdomadae hujus longe esset altero districtius, illud scilicet quod *ὑπερθέσεως* nomine appellatum in *ξηροφαγίαν* denique desinebat et aquae ac panis perceptione solvebatur. Altera vero causa non sine verisimilitudine reddi haec potest, quod ritus sit longe antiquior, dies passionis sanctamque hebdomadam, quam integram quadragesimam jejunio obire. Cum enim quadragesimale jejunium aemulatione Christi, per quadraginta dies totidemque noctes ab omni cibo potuque abstinentis, invectum esse videatur minusque dignum sit ingenio et simplicitate apostolica, non facile assentiri possumus Beveregio, ad Apostolorum aetatem jejunii quadragesimalis originem revocanti in notis ad Can. Apost. 69. et libro tertio codicis canonum vindicati. Itaque Dallaeo potius subscribimus, qui in opere, quod de jejuniis scriptum reliquit, facile demonstravit, ritum per quadragesimam jejunandi longe juniorem esse beatorum Apostolorum aetate. Quod vero Apostoli, illi inquam Christi adeo amantes, illi jejuniis assuetissimi Domini discipuli etiam diebus istis quotannis recurrentibus, quibus sponsum ablatum a se meminerant, luctui non indulserint hunceque luctum suum paucorum jejunio dierum non fuerint testati, ceu ex Beveregio supra adstruximus, hoc Dallaeo non ita facile fuit demonstrare. Quare neque *Ittigius* in erudita diss. de *haeresiarchis apostolicae et Apostolis proximae aetatis* p. 229. (ubi jactatam a Beveregio jejunii quadragesimalis antiquitatem non citra rationem in dubium vocat) super hebdomade sancta ab ipsis etiam Christi apostolis jejunio celebrata dubium movere videtur. — Jam ex innumeris de isto hebdomadae sanctae jejunio testimoniis, quae apud veteres occurrunt, pauca quaedam seligamus. In Constitutionibus, quas supra negavimus esse apostolicas, antiquas tamen esse diximus 5, 12. post *διάταξιν* de jejunio quadragesimae, speciatim jejunium magnae hebdomadae observandum praecipitur his verbis: *Μεθ᾽ ἃς (ἡμέρας τεσσαρακοστῆς) ἀπονηστεύσαντες ἄρξασθε τῆς ἁγίας τοῦ πάσχα ἑβδομάδος, νηστεύοντες πάντες μετὰ φόβου καὶ τρόμου προσευχόμενοι ἐν αὐταῖς περὶ τῶν ἀπολλυμένων.* Pseudo-Ignatius ad Philippenses pag. 3. edit. Vossianae: *Τὰς ἑορτὰς μὴ ἀτιμάζετε, τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε, μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας. Μετὰ τὴν τοῦ πάθους ἑβδομάδα μὴ παροράτε, τετράδα καὶ παρασκευὴν νηστεύοντες.* Quarta feria et sexta inprimis jejunatum, quod illa proditus a Juda, hac crucifixus esset Dominus, uti praeter auctorem Constitutionum (5, 14; 7, 24) testatur Victorinus in tractatu de fabrica mundi, quem ex mspto Lambethano primus ante paucos annos edidit Caveus. Jejunio autem dicatae illae feriae non hebdomade magna solum, sed et aliis per annum hebdomadis (v. Petavium ad Epiphanium p. 355 ss.); quare *Hallosius* T. 1. Scriptorum Orientalium p. 889. ita latine exhibet postrema Pseudo-Ignatii verba: *Post passionis hebdomadum diei quartae et sextae jejunia nolite despicere*, quasi verbis illis scriptor praeter integrae magnae hebdomadae jejunium etiam jejunium feriae quartae et sextae per alias anni hebdomades celebrandum voluerit lectoribus suis commendare. Quod verius

esse videtur, certe magis convenire cum antiquae ecclesiae moribus, quae si sanctae hebdomadae feriam quartam duntaxat et sextam jejunio consecrasset, ita nulla ratione septimanam hanc ab aliis anni hebdomadis nedum quadragesimae distinxisset. Quamvis negari nequit, non eundem universas ecclesias in jejunii hujus antepaschalis celebratione rigorem nec eandem temporis longitudinem observasse, quod cum ex aliis tum ex Irenaeo et Epiphanio inprimis constat, quorum verba quaedam adponemus. Irenaeus (ap. Euseb. hist. eccl. 5, 24): *οἱ μὲν οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ καὶ πλείονας. οἱ δὲ δύο καὶ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάςτε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Καὶ τοιαύτη μὲν ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ᾽ ἡμῶν γεγονυῖα ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν.* Epiphanius in catholicae fidei expositione: *Τὴν δὲ τεσσαρακοστὴν τὴν πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου πάσχα ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν ἡ αὐτὴ ἐκκλησία, ἐν νηστείαις διατελοῦσα. τὰς δὲ Κυριακὰς οὐδ᾽ ὅλως οὔτε ἐν αὐτῇ τῇ τεσσαρακοστῇ, τὰς δὲ ἓξ ἡμέρας τοῦ πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοί, φημὶ δὲ ἄρτῳ καὶ ἁλὶ, καὶ ὕδατι τότε χρώμενοι πρὸς ἑσπέραν. Ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς καὶ τριπλᾶς καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρι ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς, τῆς Κυριακῆς ἐπιφωσκούσης.* Hisce adde canonem primum ep. Dionysii Alex. ad Basilidem et ad eundem Scholia Balsamonis et Zonarae in *Bevereg. Synodic.* T. 2. p. 2 ss., item quae ad Eusebium Valesius et Petavius observavit. — Ex adductis Epiphanii verbis constat, quam rigidum fuerit jejunium veterum Christianorum, quo per totos dies ab omni cibo abstinuere, sub vesperam duntaxat pane et aqua parce sumta contenti, quod ipsum quidem facere neglexerunt, facta unius vel plurium dierum superpositione, hoc est transmissione sine omni omnino alimento, nec pane vel aqua utentes. Quo ipso patet quoque, quale sit quamque diversum ab illo prisco jejunii genus, quod nostra aetate Pontificii venditant et quo se dicunt ad veteris ecclesiae exemplum dies passionis Domini celebrare. Ejusmodi scilicet, quod ne dignum quidem sit jejunii compellatione. Neque hoc cordatiores inter illos viri inficiari audent, ex quibus insignis Parisiensum Theologus *Johannes Launojus* in dissertatione de veteri ciborum delectu p. 56. affirmat, *Latinos more suo jejunantes non censeri jejunare, si jejunium eorum cum Graecorum jejunio comparetur.* Confer. *Schelzeri* Programmata p. 545. et quae adversus hypocritica Pontificiorum jejunia fuse juxta ac erudite disputarunt ingentia duo ecclesiae orthodoxae lumina *Martinus Chemnitius* parte quarta Examinis Concilii Tridentini, et *Henricus Hoepfnerus* in peculiari de jejuniis veterum dissertatione. — Caeterum ita universalis, ita ab omnibus olim recepta fuit religiosi illius verique jejunii apud veteres Christianos celebratio, ut praeter paucos quosdam et haeretico Aërianorum Priscillianistarumque nomine invisos homines nemo facile esset sano vegetoque corpore, qui non a cibo per hanc hebdomadam sibi lubens temperaret, raroque illo et parco et ad vitam duntaxat aegre sustentandam uteretur. Neque id mirum, cum idem etiam sciamus observasse imperatores, uti Justinianum narrat *Procopius* diebus paschalem sollennitatem antecedentibus jejunio

pertinascissime fuisse addictum duramque vitam victitasse. Etiam hodieque apud Graecos, teste *Smitho*, si cuipiam diurna παντελεῖ ἀσιτίᾳ sive longa et acri abstinentia deliquium pati contigerit, nihil ille, quo languentem stomachum refocillet, praeter panem et aquam ad usque solis occasum habet, caeteris omnibus qui ob firmiorem corporis habitum inediae sunt patientes, jejunium ultro protendentibus. In latina autem ecclesia pridem ille rigidius jejunandi ardor refrixit, ut videre est apud *Filesacium* p. 495. libri laudati de quadragesima christiana. Cumque Pontificii hodie retinuerint larvam quandam fallacemque jejunii speciem, nostrae ecclesiae satius esse putaverunt, omnino urgere hunc ritum, quam falso et hypocritico nomine servato, immortali Deo hominibusque illudere. Interim uniuscujusque privatae pietati liberum reliquerunt, utrum velint jejuni an cibis temperanter utentes passionis transigere hebdomadam, cum tam comedentium quam abstinentium sit, Dominum celebrare Rom. 14, 3. 6. 1. Cor. 10, 30. beneficiorumque per ejus passionem nobis acquisitorum grato et fideli animo meminisse. — Hactenus ni fallor plerosque omnes in vetustiore ecclesia usitatos receptosque ritus, quibus sanctam olim hebdomadem consecrari in usu fuit, etsi breviter ac per summa veluti capita delineavimus, quibus interjecto tempore cum in orientalibus tum in latina ecclesia non pauci accesserunt partim difficiles parumque ad veram animi devotionem excitandam facientes, partim ridiculi atque rejectanei. De Aethiopibus ex *Alvaresio et Ramusio* haec tradit *Filesacius* p. 499 — 500: *Liturgia apud eos his diebus nulla celebratur, nisi die Jovis et sabbati. Solent Aethiopes reliquo anni tempore, praesertim nobiliores cum se obvios habent, humerum dextrum vicissim deosculari; hac hebdomada nullae hujusmodi officiosae blanditiae, imo nec se invicem salutant, sed demisso vultu et oculis iter persequuntur. Vestibus nigris aut caeruleis tunc temporis utuntur et ab omni opere cessant ac in ecclesiam conveniunt et divinis intersunt officiis, quae valde prolixa sunt hoc tempore. Feria quinta seu Jovis die ad vesperam congregato populo fit pedum ablutio, ubi sacrorum praefectus uni sacerdotum dat osculum, qui postea caeteros omnes osculatur, totam noctem illam variis canticis protrahunt. Ab ea die usque ad sabbatum sanctum et quidem post solis occasum missaque prius celebrata nulli sacerdoti vel monacho vel diacono aut similibus licet ecclesiam egredi. Die sacra parasceves circa meridiem ecclesias ornant pro cujusque facultatibus et maxime januam illarum praecipuam affigunique pretiosis ejuscemodi ornamentis Christi crucifixi imaginem velo tectam, tum cantando recitant ex rituali suo Christi passionem; postea Christi imaginem illam detegunt, qua visa cuncti in terram se dejiciunt, non sine maximis gemitibus, alii sese in faciem caedunt, alii proximis parietibus caput illidunt. Planctus iste totis circiter duabus horis perdurat. Post haec accurrunt ad januam claustri, in quo sacerdotes habitant, quorum duo hic stant flagris armati, tum unicuique per eam januam iter facere necesse est, ita tamen, ut nudus a capite ad lumbos usque compareat, hinc quisque illorum non impigre loris caeditur et ultro ac libenter scapulas caedendas praebet. His peractis redeunt omnes circa ecclesiam, quo loco tantisper se quieti et somno dedunt, donec circa vesperam sabbati s. sequentis missa celebretur et omnes tunc*

s. eucharistiam accipiunt. De Graecorum, Pontificiorumque ludicris et idololatricis gesticulationibus, processionibus flagellationibusque et aliis moribus, qui ethnicos potius Adonidem aliquem vel Osirim lugentes quam Christianos in meditatione sanctissimae passionis versantes decere videantur, quam proxime in dissertatione *de sancta parasceve* opportunus nobis dabitur fusius agendi locus. Nunc enim vela contrahimus atque huic nostrae diatribae cum bona lectoris venia imponimus colophonem, Deo, qui sanguine suo nos redimere dignatus est, toto pectore laudem gloriamque tribuentes.

---

rum denominationum rationes quilibet, modo velit, facile perquirere poterit, quare nos brevitatis studiosi his supersedemus. — §. 9. Gesta hujus diei tanquam praeparatoria Jesu passionalia (ut ad πραγματολογίαν) accedamus quod attinet, cum Casp. Sagittario *) in diurna ac nocturna dispescimus. — §. 10. Diurna quod attinet, Evangelistae (Matth. 26, 17—20; Marc. 14, 12 ss; Luc. 22, 7 ss.) narrant, quomodo discipuli Salvatoris, imminentis paschatis a Christo commoniti, illum consuluerint de loco, ubi comedere vellet agnum paschalem responsumque tulisse, illum (locum) certo signo cognoscendum esse; urbem nempe ingressis virum esse obviam venturum cum lagena aquae, quem sequerentur usque in domum, quo aquam deferret. Hic patri familias dicerent, tempus Domini prope esse ac propterea velle cum discipulis apud eum divertere et pascha comedere. Eum discipulis indicaturum esse grande coenaculum, ubi comedatur agnus paschalis et haec ex praescripto Christi agentes discipuli comperere cuncta, ut Dominus praedixerat, atque illic, ubi jusserat, pascha paraverunt, ita ut agnum mactaverint, carnes ejus abluerint, veru adaptaverint, assaverint, lactucas praeparaverint, azyma apposuerint etc. Quibus factis ipse Christus sero quidem die, circa vesperam nimirum, advenit, ut cum discipulis agnum paschalem comederet. — §. 11. Inter nocturna primum locum obtinet agni paschalis comestio. Vere autem agnum paschalem comedit ac proinde judaicum illud legale ac typicum pascha celebravit Salvator noster, quod prolixe demonstrat ac rationibus suffulcit firmissimis Sagittarius l. c., ubi etiam intricatam illam quaestionem: *Num Christus eodem die illud egerit, quo Judaeorum alii, an vero Christus alio ac Judaei alio id die fecerint,* prolixe pertractat, varias de ea sententias exponit, eas, quae minus videntur verisimiles, rejicit et suam ejusdemque fundamenta in medium affert atque ab objectionibus vindicat. — §. 12. Deinde Christus eucharistiae sacramentum instituit teste *Luca* 22, 20, ubi tamen versus 17 locum non invenit, cum ibi non de *poculo sacramentali*, *sed paschali ac valedictorio* sit sermo, quod ex v. 18 satis apparet**). Praeterea in priori (v. 17) nihil nisi vinum exhibuit discipulis, in posteriori vero mediante benedicto vino etiam sanguinem ipsis bibendum tradidit. — §. 13. Ceterum de poculo jam dicto paschali ex antiquitatibus Hebraeorum notandum est, quod in epulo paschali paterfamilias poculum a se delibatum sive praegustatum tradiderit proximo, ille secundo, secundus tertio, donec per totam φρατρίαν circumferretur potio. — §. 14. Eidem poculo hac formula benedixisse ferunt: *Benedictus es, Dominus Deus noster, Rex mundi, qui fructum vitis creasti.* Et hoc poculum paschale inter quatuor, quae quidam numerant, primum fuisse conjiciunt. V. Sagittarius l. l. p. 154 ss. — §. 15. Inter omnia autem, quae Christus paulo ante passionem et mortem suam egit, eminet sacramenti eucharistici institutio, nam nec agni paschalis manducatio, nec pedum lotio, sed

*) Harmon. histor. pass. pag. 77.

**) Hanc sententiam ex veteribus probant Hieronymus in Matth. c. 26. Beda in Luc. 22, ex Pontificiis non pauci, ex nostratibus theologis plurimi.

eucharistiae institutio et administratio eo fine fuit facta, ut esset sanctum N. T. sacramentum ad finem usque mundi duraturum, h. e. efficax medium, per quod beneficia passione ac morte Christi parta credentibus applicarentur. — §. 16. Cum igitur ad finem usque mundi durare debeat hujus sacramenti administratio, doctrina de sacra coena, ceu supra jam diximus, in sacris Christianorum conventibus hoc die per praecones verbi divini e suggestu sacro sollenniter proponitur, et propterea labores consueti cessant, id quod patet ex Ordinat. Eccles. Elect. Saxon.*) et ex ordin. Eccles. Saxo-Vinariens.**), cujus verba hac de re ita se habent: Belangende den grünen Donnerstag und Charfreitag, werden solche nur Vormittage gefeiert, und an jenem aus den Worten Pauli 1 Cor. 11, von dem heil. Abendmahle; an diesem aber von dem Begräbniss Christi aus den Evangelisten geprediget. — §. 17. Progredimur nunc (quamvis actionum ordinem adeo accurate non observaturi) ad pedum lotionem, quae etiam huc est referenda. Non quidem nos prolixae liti implicabimus eorum, qui utrum ante, an post sacrae coenae institutionem haec facta sit lotio, adhuc disceptant. Describit eam ex Evangelistis Johannes cap. 13, 2 ss. ita, ut significet, Christum post istam lotionem denuo accubuisse. Hoc autem, quod ultimo loco peregit Salvator, eucharistiae fuisse institutionem ex Luc. 22, 20 et 1 Cor. 11, 25 apparet, ubi poculum sanguinis sui μετὰ τὸ δειπνῆσαι discipulis tradidisse dicitur. — §. 18. Et haec irritam faciunt sententiam eorum, qui post eucharistiae administrationem demum discipulorum pedes lotos autumant, quorum dux est auctor *sermonis de ablutione pedum*, cujus Sagittarius (l. l. p. 160. §. 10.) mentionem facit. *Jam enim*, inquit, *sacramenta distribuerat, jam Judas exierat, cum repente de mensa surgens linteo se praecinxit.* — §. 19. Alii igitur censent, lotionem hanc ipsi paschali coenae esse praemittendam, ut sic δείπνου γενομένου (Joh. 13, 2.), idem sit quod coena parata ac instructa, non vero transacta, quod etiam probabile videtur Baronio, qui, *videtur*, ait, *posse probari ex multis*: et ex eo inprimis, quod morem fuisse constet et Judaeorum et aliorum pedes ante accubitum lavandi***), cui Sagittarius sequentem in modum respondet: Sed haec sententia non quadrat historiae sacrae. Nam primo Christus lotioni sese accincturus dicitur a coena surrexisse; nempe quod jam tum coenare coeperat. Tum vero illa pedum lotio non tam ex more gentis ad sordium ablutionem; quam ad spiritualis lotionis praefigurationem a Christo instituta est. Et est credibile, jam ante lotos fuisse pedes convivatorum prius quam discumberent, utut Evangelistae istam lavationem tanquam ad propositum nihil facientem omiserint. — §. 20. Alii dictam Johannis phrasin (δείπνου γενομένου) interpretantur: *inchoata jam agni paschalis coena.* Sed nihil causae ostendi potest, cur Christus

*) Tit. von den sondern Festen, §. der Tag Coena Domini, so man nennet den grünen Donnerstag, daran von dem Abendmahl und hochwürdigen Sacrament zu predigen ist.

**) Lib. 1, 10. p. 15; cf. 2, 14.

***) Vid. Casauboni Exercit. 16, cap. 22. p. 350.

coenam paschalem interrumpere voluerit; si tamen, quid nobis videatur, dicere debemus, verisimilius esse cum *Sagittario* putamus, quod δείπνου γενομένου designet, a finita coena secunda, vulgari scil. et communi, ante tertiam sacramentalem istam; triplicem enim coenam aliquos agnoscere, satis clare in Harmonia sua ostendit vir supra laudatus. — §. 21. Ipsam pedum lotionem quod attinet, vere magnum opus esse oportet et omni observatione dignum, quod Christus paulo ante mortem suscepit, quia illo tempore nihil temere geri solet, quando ex hoc mundo transeundum. Jam vero in ultima illa coena non tantum sacramentum corporis et sanguinis sui instituit, sed et discipulorum pedes lavit, utique ergo magnum et diligenti consideratione dignum illud opus esse necesse est, ut optime Joh. Gerhardus (Homil. p. 1. p. 1320) concludit. — §. 22. Lavit autem Christus Apostolorum pedes ut praecipue dilectionis et humilitatis exemplum exhiberet. Ipse: γινώσκετε, inquit (Joh. 13, 12 ss.) τί πεποίηκα ὑμῖν; ὑμεῖς φωνεῖτέ με ὁ διδάσκαλος, καὶ ὁ κύριος, καὶ καλῶς λέγετε· εἰμὶ γάρ. εἰ οὖν ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τοὺς πόδας, ὁ κύριος καὶ ὁ διδάσκαλος, καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας· ὑπόδειγμα γὰρ ἔδωκα ὑμῖν, ἵνα καθὼς ἐγὼ ἐποίησα ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ποιῆτε. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ, οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν· εἰ ταῦτα οἴδατε, μακάριοί ἐστε, ἐὰν ποιῆτε αὐτά. — §. 23. Et magnum quoque opus, quia magnus Dominus peregit. *Quo enim persona est dignior*, ait laudatus Theologus l. c., *quae se demittit et alteri inservit, eo factum memorabilius censetur. In Tripart. Hist. commendatur Placilla, Theodosii imperatoris conjux*, quod saepius venerit ad xenodochia et deposita purpura regali inter pauperes et aegrotos versata cibos ipsis ministraverit, ollas terserit, calices abluerit et hujus generis servitia plurima peregerit. *Quid vero imperatoria dignitas ad Christi dignitatem aestimanda! Ille est rex regum et Dominus dominantium. Apocal.* 19, 16. Illi pater omnia in manus dederat, *etiam in medio exinanitionis statu*, ille venerat a Deo *per incarnationis et exinanitionis humilitatem*: et ad Deum ibat *per exultationis sublimitatem. Neque hoc ipsi erat ignotum, sed haec omnia probe noverat, nihilo tamen minus eo sese demittit, ut pedes discipulis suis lavet. O quanta haec est dilectio! quanta humilitas!* — §. 24. Hic lavandorum pedum ritus in primitiva quoque ecclesia est observatus et sic antiquissimus censendus. Id quod ex 1 Tim. 5, 10. colligunt quidam, ubi inter alia viduae in ecclesiae ministerium cooptandae κριτήρια refertur εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψεν. Unde Augustinus (de sacram. 3, 1.) dicit: *Est apud plerosque consuetudo hujus humilitatis usque ad factum, quod cernatur, expressa. Unde Apostolus, cum viduam bene meritam commendaret, si hospitio, inquit, recepit, si sanctorum pedes lavit.* — §. 25. Postea etiam in quibusdam ecclesiis receptum est, ut post baptismum lavarentur baptizatorum pedes, de qua lotione Ambrosius (Tract. 58 in Joh.): *Ascendisti, inquit, de fonte, quid secutum est? Audisti lectionem, succinctus summus sacerdos pedes tibi lavit. Quid istud mysterium? Audisti utique, quia Dominus, cum lavisset discipulis aliis pedes, venit ad Petrum et ait ad eum: Tu mihi lavas pedes.* —

§. 26. Alicubi iste ritus lotionis pedum (non tamen baptismi tempore) est servatus, id quod ex Augustino patet, qui (ep. ad Jan. 119, 18.) ita scribit: *De lavandis vero pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, sicut ipse consequenter exposuit: quaesitum est, quonam tempore potissimum res tanta etiam facto doceretur, et in illud tempus occurrit, quo ipsa commendatio religiosius inhaeret. Sed ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt. Aliqui autem ut hoc sacratiore tempore commendarent et a sacramenti baptismate distinguerent, vel diem tertium octavarum, quia ternarius numerus in multis sacramentis maxime excellit, vel etiam ipsum octavum, ut hoc facerent, elegerunt.* — §. 27. In aliquibus ecclesiis sanctam eucharistiam accessuris pedes esse lotos, ut tali pedum mundatione signaretur, mundandas esse animas, antequam accedant ad participationem corporis dominici, Rupertus docet de div. offic. 5, 20. — §. 28. Patet etiam ex multorum fide dignorum scriptis, quod religiosi praesertim homines piorum hospitum et pauperum pedes abluerint. Ex magna autem auctorum copia ea saltem recensere lubet, quae Usuardus (in martyrologio ad VII kal. Julii) notavit, qui: *in Alexandria*, inquit, *natalis sancti Gallicani martyris, qui cum triumphalibus infulis sublimatus, acceptus esset Augusto Constantino, et carus per ipsius filiam, nomine Constantiam, ad Christi martyres Johannem et Paulum ad finem conversus est. Hujus sacrae opinionis fama postmodum in toto orbe in tantum excrevit, ut ab oriente et occidente venientes viderent virum, ex patricio et consule, lavantem pedes pauperum, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicite ministrantem et cetera sancta servitutis officia exhibentem.* — §. 29. Hoc humilitatis exemplum imitari voluere non pauci utriusque sexus homines. Sic Helena Constantini M. mater, *Nicephoro* referente (8, 31.) ipsa sacris virginibus ad epulas vocatis suis in manibus escam apposuit, malluvium et aquam praebuit aliaque omnia ministeria obivit, quae convivis invitatis exhibere moris est. Imperator *Lotharius* cum sua conjuge *Richsa*, *Petro Diacono* teste *), aqua calida quotannis pauperum pedes adpersit et osculo veneratus est. *Albertus Archiepiscopus Bremensis talem humilitatem solis exhibuit servis Dei, pauperibus et peregrinis, ut saepe antequam cubitum iret triginta et amplius mendicantibus genu flexo pedes lavaret. Principibus autem secudi humiliari nullo modo voluit,* quod M. Adamus Brem. refert 3, 3. Cfr. Albertus Stadensis ad a. 1043. — §. 30. Eadem ceremonia adhuc hodie in multis secularium quoque aulis usitata est, siquidem ipse Romanorum imperator hoc viridium die pauperum prius calida aqua in balneo perfusorum pedes publice lavare, eosdem omnibus, qui adsunt, inspectantibus cibare, iis ad mensam ministrare nec non singulos nova veste ac nummo aureo donare dicitur, quod humilitatis officium augusta quoque imperatoris conjux eodem die ac tempore in alio quodam separato loco tredecim

*) In chronico Cassinensi 4, 73.

pauperculis mulieribus praestat *). Sic etiam Rex Galliae hoc die mendicis duodecim epulum lautum praebere, illorum pedes lavare, illis una cum aulicis suis ministrare, primum ferculum ipsemet apponere et singulis apophoreti loco vestem dare fertur. — §. 31. Haec pedum lotio, ut et nostram adjiciamus ἐπίκρισιν, non prorsus esset improbanda, si modo illi, qui eam exercent, perpetuum humilitatis ac caritatis studium, quod Christus nobis commendavit, respicerent. Id quod Joh. Gerhardus (l. l. p. 1336) optime monstrat, quando scribit: *Verum usum lotionis nobis Christus monstrat, quod sc. perpetua pedum lotio per veram caritatem et humilitatem inter nos vigere debeat.* (Phil. 2, 5—6.) *Aqua, qua pedes invicem lavare debemus, haurienda est ex fonte caritatis et ex rivulis mansuetudinis et humilitatis. Ex hoc caritatis fonte non tantum beneficiorum largitiones, sed etiam reprehensiones scaturiunt. Peccata sunt foedissimae sordes, quibus Deo et Angelis horror concitatur, haec si simplici aqua ablui nequeunt, nihil vetat, quo minus acriori lixivio utamur.* Et paulo post: *Christus lavit pedes discipulorum, ergo et nos invicem lavemus. Haec humilis caritas est vera Christianorum proprietas. Christus in testamento suo eam nobis commendavit. Qui est Christi haeres, ille etiam studet caritati et humilitati.* Sed in scenicum, proh dolor! et ridiculum ludum hodie convertunt multi, ut religio christiana veritatis evangelicae hostibus, Judaeis nempe et Turcis, hoc ipso ludibrio et risui exponatur, quod Pontificii praecipue, a vero lotionis scopo maximam partem aberrantes, faciunt, quorum ritum et abusum prolixe describit Hospinianus, cujus verba huc transferre nos non pigebit, cum librum non in omnium manibus esse probe sciamus. Scribit autem (de orig. fest. Chr. p. 48.) sequentem in modum: Hoc etiam die actionem illam, qua Christus legitur discipulis pedes lavisse, aliqua externa actione pontifex romanus stulta quadam aemulatione repraesentare conatur. Nam in quadam aula sunt ordinati tredecim pauperes in albis vestibus novis a pontifica sibi datis, et sedent in scamnis altis beneque ornatis. Credentia ornata est cum floribus et herbis odoriferis, vasis cum aqua calida et frigida, ac rebus aliis opportunis, videlicet pelvibus tredecim cum totidem vasis, aqua calida implendis, item tredecim mappulis, in alio bacilli. Item aurei papales tredecim duplices, sive viginti sex simplices, et totidem nummi argentei pro eleemosyna pauperum. Nam papa dat cuilibet pauperum unum aureum duplicem, vel duos simplices, et totidem argenteos, et hi in aliquo vase disponuntur; duo vasa pro lavandis manibus papae cum suo mantili. Paratur quoque pulpitum cum suo pallio albo pro evangelio, et liber evangeliorum ac aliud pulpitum pro cantoribus; duo candelabra cum luminaribus, thuribulum cum navicella et incenso, quae acoluthi teneant, sedes pontificalis in plano, pluviale rubrum et simplex, et stola violacea pro pontifice, et liber pro oratione. Cum papa pervenit ad hunc locum, exuit pluviale pretiosum et induit simplex et sedet in sede sua cum simplici mitra. Tunc acoluthus cum thuribulo accedit et, ministrante primo presbytero cardinali vel digniore alio post eum in ejus

*) Cfr. Sagittar. l. c. p. 174 ss.

absentia papa imponit incensum more consueto; deinde diaconus cardinalis paratus sacris vestibus, librum tenens ante pectus, stans ante pontificem detecto et inclinato capite, petit benedictionem, dicens: jube, domine, benedicere. Deinde vadit ad pulpitum, post quod stat subdiaconus apostolicus tunicella et aliis paramentis indutus, tenens librum more solito. Et diaconus dicit: Dominus vobiscum, signat, incensat et cantat evangelium. Quo finito ceroferarii revertuntur ad credentiam et clerici capellae amovent pulpitum. Subdiaconus autem portat librum osculandum pontifici, et diaconus, qui evangelium dixit, illo finito papam incensat; cantores cantant mandatum novum. Papa tunc surgit, extrahitur ei pluviale et portatur ex credentia linteum per auditorem seniorem, minore auditore ipsum praecedente, quo papa per cardinales assistentes praecingitur et praecinctus descendit et genu flexus cum mitra simplici ante primum pauperem, assistentibus sibi duobus diaconis cardinalibus, lavat ei pedem dextrum, quem subdiaconus tunicella indutus a dextris papae genu flexus tenet. Unus ex cubiculariis (nam per ordinem veniunt unus post alium cum pelvi et aqua) ad sinistram papae genuflexus sinistra sua vas tenet et dextra ex aquiminario aquam tepidam miscet; lotum pedem papa statim mantili tergit, osculatur. Thesaurarius vel in ejus absentia unus ex clericis camerae tenet pelvim cum pecuniis et alius ex clericis vas cum mappulis, et cum papa osculatus est pedem, dat lavato mappulam, qua eum extersit, et aureum duplicem vel duos simplices, cum tot argenteis. Idem facit successive singulis et pro singulis portantur per alios cubicularios singula vasa. Lotis omnibus papa revertitur ad sedem suam sedetque et lavat manus suas etc., sicuti habetur lib. 2 cerem. Rom. ecclesiae. His peractis cardinales, episcopos atque alios convivio excipit papa adeoque magnifice tractat, ut cum priscis illis ethnicorum pontificalibus auguralibusque epulis, de quibus Macrobius Saturn. 3, 13., merito comparandum esse videatur. — §. 32. Nec minore digni sunt censura, qui huic lotioni meritum quoddam adscribere aut eandem pro sacramento proprie sic dicto venditare*) aut alias ex superstitione quadam id officii prosequi non verentur. — §. 33. Sunt et ludicra, quae hoc die exercent Pontificii, dum noctu in templis horrificus excitatur tumultus, qui Judae adventum et cohortis strepitum, quam cum gladiis et fustibus Judas ad capiendum Christum noctu adduxit, repraesentare debet**). Quo ipso Judaeorum ludum imitantur, apud quos mense Adar legitur historia Estherae, in qua Hamani quoties fit mentio in synagogis pugnis et malleis pulsant scamna. Pontificiorum ludum Th. Naogeorg. (Regni Pap. lib. 4.) describit ita:

Noctibus inde tribus nocturna ad cantica surgunt,
Malleolis sumtis saxisve aut fustibus omnes.
Omnia ubi paulatim extinguit lumina custos,
Sacrificique altum rauco de gutture clamant,

---

*) Vid. Ambros. de sacram. ubi memorat, quod in ecclesia Mediolanensi lotio pedum pro sacramento fuerit habita.

**) Durand. Rat. 6, 71.

Tum vero exoritur saevus crudusque tumultus:
Pulpita contundunt et sedes, scamna, cathedras,
A furiis dicas agitari, et pneumate tristi
Bassaridum; multi clavi figuntur ad ipsas
Sedes, nonnulli lapidum exanimantur ab ictu.
Ast alii plagas referunt, aut vulnera, caesi
Fustibus. His factae possunt servire tenebrae
Omnium et aequalis funesti insania ritus.
Impius hinc probris multis laceratur Judas,
Et Maria e tenebris puerorum voce citatur,
Ut sit propitia et vitiis medeatur, et omni
Noxae. Conveniunt haec festo scilicet illi,
Luminibus post haec accensis, in cruce fixum
Idolum circumfertur: pendetque lucerna
Illius e collo, turbae quo nempe sequenti
Monstret iter. Nonne haec sunt ludicra mira Papatus?

Sed sunt nugae refutatione vix dignae. — §. 34. Eodem die per singulos annos novum chrisma conficiunt, vetus vero in sanctis ecclesiis crematur, id quod ex Pontif. jure satis apparet. Sic enim Fabianus papa*) Orientalibus episcopis epist. 2. scribit: *Literis vestris inter caetera insertum invenimus, quosdam regionis vestrae episcopos a vestro nostroque ordine discrepare et non per singulos annos in coena Domini chrisma conficere. — Errant vero, qui talia excogitant, et mente vesana potius quam recta sentientes haec audent. — Sicut enim ipsius diei sollennitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda et de anno in annum renovanda et fidelibus tradenda, quia novum sacramentum est per singulos annos et jam dicto die innovandum, et vetus in sanctis ecclesiis cremandum. Ista a sanctis Apostolis et successoribus eorum accepimus et vobis tenenda mandamus.* — §. 35. Conficitur vero hoc chrisma ex oleo olivarum et balsamo, ab episcopo deinde certis exorcisandi et benedicendi formulis consecratum in confirmationis sacramento, quod ipsi quidem vocant, adhibent, ita ut episcopi pollice in frontem baptizati et ad aliquam jam aetatem progressi ad figuram crucis hac forma illinatur, quod praemisso nomine ejus, qui confirmatur, dicat episcopus: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut replearis eodem spiritu sancto et habeas vitam aeternam*; simul etiam, ut prolatis verbis unctus fuerit confirmandus, e vestigio illi Spiritum Sanctum dari, qui tueatur eum adversus insidias diaboli, qui vires et robur suppeditet ad omnes adversarias potestates debellandas. *Cum vero confirmationis hujus nec elementum externum* (chrisma) *nec ritus, quo tractatur, divinam habeat institutionem, forma quoque* (signo te signo etc.) *quam assignant Pontificii, divino mandato careat, ac denique promissione divina de gratia, effectu seu fructu sacramenti destituatur*, satis apparet, *eam* (confirmationem) *non esse proprie et stricte dictum sacramentum.* Praeterea pontificia confirmatio est nominis divini horrenda et impia profanatio, dum sacrosanctum

*) Can. 18. de consecr. dist. 3. Cfr. can. 133. de consecr. dist. 4. et can. 4. dist. 95.

nomen Trinitatis ad traditiones humanas impie transfertur: chrisma dum conficitur, magice exorcizatur, et baptismus profanatur, dum haec (confirmatio) illius perfectio esse temere confingitur. Quis ergo tam audax esset, ut eam sacramentum esse statueret? — §. 36. Porro sub vespertinis ejusdem diei precibus duo acoluthi nigris induti casulis omnia altaria suis spoliant ornamentis, operiunt ea nigris tegumentis, afferunt coronas, velant imagines. Candelas etiam extinguunt, non tamen omnes simul, sed successive et nonnulli quidem singulas post singula cantica extinguunt. In quibusdam ecclesiis cerea quadam manu extinguuntur. Candela autem, quae in medio est, non extinguitur, sed in fenestra vel area accensa servatur occulte, ut candelae rursus inde accendi possint*). — §. 37. In plerisque locis lavantur hoc die altaria vino et aqua et ramis fricantur**), id quod ex gentilismo desumtum videtur Hospiniano. Apud ethnicos enim lavationem matris Deûm festum fuisse, in quo aquis, adjuncta cineris frictione, sordes statuae ejus abluerint, (*ex Arnob. lib. 7 contra gentes*) demonstrat. Reliqua quae adduximus, partim nugas et ludicra, partim prodigalitatem et superstitionem redolent, quare merito ab iis, qui sanioris mentis sunt, improbantur. — §. 38. Linteum etiam, quo Dominum in ultima coena Apostolorum extersisse pedes nugantur die coenae dominicae, ostenditur a monachis Cassin.***), quae summo jure ad fabulosa et superstitiosa referuntur. Fidem ut facerent monachi huic linteo, quod esset genuinum, quo Christus praecinctus fuit, id prunis ardentibus imposuerunt, sed incombustibile mansit. Similia narrat Baronius ad ann. 1614. Addatur in crisi historica Jo. Jac. Chifletius, de linteis sepulcralibus cap. 6. — §. 39. Singulare etiam privilegium huic diei ob festi sollennitatem prae caeteris hujus temporis videtur concessum, quod hymnum illum angelicum: *Gloria in excelsis Deo*, hoc ipso in ecclesia cantari a nonnullis permittatur. Jubet enim, Leo IX.†): *ut duo illi hymni ab angelis in N. T. decantati:* Alleluia *atque* Gloria in excelsis Deo *in septuagesima, quando lapsus protoplasti in ecclesia recitatur, et novem hebdomadibus intermittatur usque in pascha, ubi Christus surgens a mortuis tristitiam nostram in gaudium vertit, et Alleluia nobis reddidit.* Nicolaus autem papa in epistola ad Rhodolphum archiepiscopum Bituricensem praecipit, *ut Gloria in excelsis Deo ab episcopis in coena Domini inter missarum sollennia dicatur*††). — §. 40. Denique notamus, quod in concilio Aurelianensi 2, 23. in honorem festi hujus diei sit statutum, *Judaeis a die coenae Domini usque in secundam sabbati in pascha, hoc est, ipso quatriduo, procedendi inter Christianos aut catholicis populis se ullo loco vel quacunque occasione misceri licitum non esse debere.* Quod et postmodum repetiit concilium Matisconense I. can. 9. decernens, *ut Judaeis a coena*

*) Vid. Cranzius metrop. 3, 10. Durand. Ration. 6, 72.
**) Durand. ibid. c. 76.
***) Chron. Cassinense, 2, 31. 34.
†) In canon. 4. de consecr. dist. 1.
††) Can. 56. d. con. sec. dist. 1.

Domini usque ad primam diem post pascha, secundum edictum domini Childeberti regis per plateas aut forum, quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur. Cui constitutioni ansam dedisse videtur*) malignus Judaeorum erga Christianos animus et execranda sanguinis christiani sitis, dum eodem ad certos usus carere non posse, sed annuatim circa ferias paschales puerum immolandum quaerere perhibentur.

---

*) Cui sententiae praecipue subscribit Wildvogelius in dissert: De eo, quod justum est circa tempus quadr. p. 54, ubi ex histor. Britann. lib. III. Judaeos illud sub Henrico III. testatum fecisse probat.

XIII.

Christianus Claius de die parasceves *).

§. 1. **Etymologia vocis parasceve.** Parasceve quoad etymon est vox origine graeca, *ἀπὸ τοῦ παρασκευάζειν*, praeparare, quod componitur a *παρὰ* et *σκεῦος*, vas. Est igitur vi vocis generaliter sumptae *παρασκευή* nihil aliud, quam praeparatio s. apparatus rerum ad rem aliquam perficiendam. Specialiter vero parasceve apud Judaeos erat praeparatio ad sabbatum vel ad aliquod festum sollenne, imprimis paschatos celebrandum; quia die parasceves praeparabantur ea a Judaeis, quae erant necessaria pro sabbato et festo sollenni rite celebrando. Quamvis hoc posterius (nempe fuisse ullorum festorum, praeter sabbati parasceuas) neget Baronius in *Annal.*, quem solide refutavit Casaubonus *Exerc.* 16. — §. 2. **Locus Exod. 16, 6. de injuncta Judaeis diei parasceves observatione.** Sextum autem diem septimanae *ἑβδομάδος παρασκευὴν* Judaei appellarunt, quae vox sumta videtur ex Ex. 16, 6. ubi haec leguntur: *Erit autem unoquoque die sexto, ut parent, quod intulerint. Hoc vero futurum est duplum, supra quam collegerint* (Manna) *quotidie.* Non tamen parasceve et feria sexta septimanae invicem convertuntur, ut omnis parasceve sit feria sexta, licet omnis feria sexta sit parasceve. Nam parasceve generalius nomen est, significans non solum feriam sextam hebdomadae, sed interdum etiam significat vigiliam sive profestum cujuscunque alterius festi sollennis, quorum tria habebantur in V. T., nempe paschatos, pentecostes et tabernaculorum, quibus ab omni opere servili, ceu in sabbato, quiescendum erat. Et licet proprie parasceve sabbati fuerit ea pars diei veneris, quae a nona hora incipiebat et circiter duodecimam desinebat, ubi sollennia inibant, uti constat ex edicto Augusti apud Josephum 16, 10, tamen et totus dies veneris parasceve dicebatur. Eo intervallo *παρασκευῆς* seu *ἑσπερισμοῦ* coquebantur cibaria reliqua illius diei et sequentibus, quae cibaria quoque Judaeis dicta sunt מזון שתי סעודות, cibaria duarum coenarum. — §. 3. **Synonyma vocis parasceves.** Dicta vero parasceve est Judaeis ערב יום טוב vespera bonae diei, item ערב ראש השנה vespera capitis anni, Syris ܥܪܘܒܬܐ Graeci eam quoque *προσάββατον* et *προεόρτιον* appellabant. Gallis dicitur: veille de la feste, quasi dicas vigiliam festi, quod Germani exprimunt: der heilige Abend. Vid. Scaliger. *in notis ad Festum. et libro* 6. *de emendat. temporum*, ubi etiam docet, patres latinos

---

*) Prod. Lips. 1697. 4. Damus hic particulam priorem, historicam; alteram, chronologicam, omisimus.

graecum vocabulum παρασκευὴν vertere aliquando per *coenam puram* imitatione gentilium, quod in Rabbinorum libris appellatur ערוב: quod voci hebraicae non male respondet. Nam ערוב est ab ערב vespera. — §. 4. Cur parasceve dicta sit: coena pura? Hinc Irenaeus l. 5.: *Parasceve*, inquit, *dicitur coena pura, i. e. feria sexta.* Sic et Tertullianus et vetus Irenaei interpres parasceven Judaeorum secundum analogiam quandam vocant coenam puram, appellatione translata a ritibus gentium. Nam in ritibus paganorum coena pura appellabatur coena illis apposita, qui in casto erant, quod Graeci ἁγνεύειν vel προαγνεύειν. Causa translationis est, quod sicut gentiles per suam coenam puram ad mysteria et sacra praeparabantur; ita Judaei per parasceven suam ad festa sua sollenniora. Hic vero istud observandum, quod licet pro eodem sumantur appellationes parasceves et coenae purae, in re tamen discrimen ingens fuisse. Nam in ritibus paganorum multiplex erat ciborum observatio. Sic dicit Arrianus *in dissertationibus Epicteti*, eum, qui suscepturus erat mysteria, accessisse προηγνευόντα, i. e. postquam observasset leges castimoniae, proprias illis mysteriis, quibus initiari volebat; pars autem castimoniae, sive, ut veteres loquebantur, castus illius erat posita in ciborum delectu. In Hebraeorum vero ritibus nihil ejusmodi fuisse legitur. Habuerunt sane etiam apud hos parascevae magnarum festivitatum observationes. Sed delectum fuisse aliquem ciborum ultra legem Mosaicam, quae omnes ex aequo adstringebat, neque in scripturis legimus neque in Talmudicis aut Rabbinicis scriptis. — §. 5. Denominatio totius hebomadis. Christiani memoriam passionis dominicae recolentes, uti totam hanc *hebdomadam* praeteritam dixerunt παθητικὴν, ita ejusdem sextam feriam appellaverunt diem parasceves. Unde Rabanus *de Cleric. instit.* 3, 37: *Parasceve*, ait, *est sexta sabbati, qua Christus in cruce mortuus est.* Nam *die solis* (quae hodie dicitur *dominica palmarum*, item *Ramalia et Verbenalia*, Graecis ὀσχοφορία) Christus humani generis Salvator asinae insidens, ingressus est urbem, et e templo ejecit vendentes et ementes Matth. 21, 1 ss. *Die lunae* rediens Hierosolymam, in via maledixit ficui templumque rursus ingrediens, Pharisaeos disputantes confutavit Matth. 21, 18 ss. *Die martis* mane reversus Hierosolymam in templo compescuit principes sacerdotum, obturavit os Sadducaeis et Pharisaeis Matth. 22, 1 ss. Objurgavit scribas et Pharisaeos Matth. 23. Egressus in montem Oliveti, praedixit excidium Hierosolymorum Matth. 24—25. *Die mercurii* docuit in templo, vesperi reversus Bethaniam coenavit in domo Simonis leprosi. *Die jovis* (qui ob viriditatem, propter passum Christum ἀειθαλῆ καὶ ἀείζωον secundum *Theophylactum* dictus est *dies viridium*) edit pascha vesperi cum discipulis, lavit istorum pedes, instituit coenam dominicam, precatus est in horto ardenter, sudavit sanguinis guttas, captus est proditione Judae Ischarioth. Tandem *die veneris* illusus, consputus, flagellatus, crucifixus, mortuus et sepultus est. Hinc Dominus noster Jesus Christus *ipsa parasceve* Judaeorum passus est, sabbato quievit in sepulcro, *dominica die* resurrexit. Unde Ignatius *epist. ad Trallianos*: περιέχει ἡ μὲν παρασκευὴ τὸ πάθος, τὸ σάββατον τὴν ταφήν, ἡ κυριακὴ

τὴν ἀνάστασιν. — §. 6. Synonyma diei parasceves graeca et latina. Quare haec *dies veneris* non immerito dicta est a Graecis Σωτήρια, quasi salutaria, item μεγάλη παρασκευὴ et ἁγία παρασκευή. Hinc Codinus *de Offic.* τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ ψάλλονται αἱ ὥραι μετὰ τῶν τροπαρίων. A Latinis nuncupatur corona pretiosa, dies crucifixionis, dies passionis etc. Ab ipso Christo appellatur *baptismus et poculum*, ob undas passionum irruentium, *abitus et reditus ad patrem*, *ejectio extra vineam et caedes ejecti*, *hora*, *exaltatio* sc. in cruce, et *clarificatio* per mortem et resurrectionem. De quibus nominibus et s. s. locis ubi occurrunt consule Bebel. *Antiquit. eccles. art.* 6. *sect.* 5. *p.* 512. — §. 7. Nomina germanica. Sed deveniendum nunc est ad ipsam germanicam denominationem hujus diei deque varietate illius apud auctores passim obvia paulo accuratius prospiciendum nobis erit. Dicitur autem v. gr. der Bluttag, der Mordtag, der Todestag, der Genugthuungstag des Sohnes Gottes, eo, quod sufficientissima sanguinis θεανθρώπου profusione ejusdemque morte crudelissima pro peccatorum nostrorum mole laesae Dei justitiae satis omnino factum sit. Dicitur porro der gute Freitag, eo, quod Salvator benignissimus hac die ea omnia, quae protoplasti nostri parentes, dolenda legis divinae transgressione perdiderunt, obedientia sua omni ex parte recuperaverit pristinaeque bonitati restituerit. Dicitur etiam der stille Freytag, eo, quod perpessis omnis generis suppliciis undisque dolorum passionalium praeterfluxis in sepulcro patientissimus Dei agnus quieverit (in cujus etiam rei memoriam hoc ipso sepulcrali die omnia sacra, sedato quodam more peraguntur, siquidem campanarum sonus in quam plurimis locis non auditur), insuper etiam placato irae divinae aestu legisque tonantis impetu, perpetuum morti pariter atque diabolo silentium imposuerit. Dicitur tandem der blutige jüdische Kreisstag; de qua appellatione, ut et caeteris vide Dilherri heilige Karwoche pag. 247 ss. — §. 8. Etymologia vocis Karfreitag. Vulgo tamen dicitur der Karfreitag, qua denominatione jam olim a Teutonibus haec dies insignita fuit, non tam ob universam illam caritatem, quam eo ipso die hominibus perditis sua morte testatam fecit θεάνθρωπος, vel quod carior pretiosiorque dies ab orbe condito haud illuxerit, ceu nonnulli philologi ajunt, etymon latinae linguae tribuentes; sed ob antiquam et absoletam Germanorum vocem Kar, quae in civili foro mulctam pro delicto, in sensu ecclesiastico vero jejunium aliquod dierum in solo pane et aqua (rigidissima enim penes veteres Christianos per hanc hebdomadam erant jejunia), significat. Erat autem priscis Teutonibus, Celtis puta et Gothis Karen nihil aliud quam sorgen, vel sich wehe thun, büssen, sich strafen, martern. Inde Angli hodienum *cared not* inquiunt, hoc est, sorget nicht, quam vocem, uti quam plurimas alias jam ante mille et ducentos annos secum in Britaniam transportarunt, a Britanis quippe contra Scotas in auxilium e Germania vocati, qui et rebus contra Gothos praeclare gestis sedem ibi suam fixere. Nec aliter haec dies olim in conciliis dicta, quam *Carina*, observante id Jos. Arndio *in lexico antiquit. ecclesiast.*, ubi festa totius anni enumerat: *Cum eo die*, inquiens, *Servator pro mulcta peccatis nostris debita satisfecerit*, *et cum*

sacrosanctum in pane et aqua jejunium eo die esset. — §. 9. Celebratio diei parasceves in primitiva ecclesia. Si festa Christianorum perpendamus, ex Origene *contra Celsum lib.* 8. constat, etiam parasceven paschae numeratam fuisse inter sollenniores Christianorum festivitates. Credibile igitur est, hunc diem ante pascha propter passionem et mortem Domini statim a temporibus Apostolorum sollennem fuisse; quem postea constitutio Constantini Magni adhuc celebriorem fecit, qua mandavit, ut is dies, qui sabbatum antecedit, festus esset et omnes eum venerarentur, ob rerum earum memoriam, quae eo die a communi omnium Servatore gestae sunt, teste Eusebio *de vita Constant. lib.* 4. et Sozomeno I, 8. — §. 10. Celebratio parasceves in veteri ecclesia. Credendum autem, hunc diem ab initio commemoratione passionis dominicae, jejuniis, precibus aliisque piis exercitiis Christianos coluisse. Nam de jejunio hoc die non solvendo ita sancivit concilium Tolet. 4. c. annum 831. celebratum can. 7: *Quicunque in die passionis Domini jejunium, praeter parvulos, senes et languidos ante peractas indulgentiae preces solverit, a paschali gaudio depellatur nec in eo sacramentum corporis et sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ejus per abstinentiam non honoravit.* Et Can. 89. concil. Constantinop. 6. praecipitur, *ut hic dies in jejunio celebretur usque ad mediam noctem.* — §. 11. Ritus pontificiorum superstitiosi. Successu autem temporis multis et variis adeoque superstitiosis nec non ridiculis ac theatricis ritibus haec dies passionis dominicae in papatu admodum profanata est. Nam ut nihil dicam de strepitu crepitaculorum, quibus loco campanarum tota hac septimana utuntur, Durandus 6, 77. sic hosce ritus recenset: Hac die ecclesia nullum officium sollenniter celebrat, sed hora nona convenit ad adorandam crucem, non ad missae officium, quo haec dies caret. In quibusdam ecclesiis hora sexta ignis extinguitur et rursus nona accenditur. Passio legitur*) super nudum pulpitum et nudis pedibus. In quibusdam vero ecclesiis sindon seu tersoria vel vestes altari nudato superponuntur usque dum passio legatur. Cum vero pervenitur ad locum illum: diviserunt sibi vestimenta mea etc. tunc subdiaconi sindonem illam vel tersoria tollunt, repraesentantes historiam, qua milites Christum crucifigentes vestes Christi sustulisse narrantur, et subdiaconi quasi furtive pannos subtrahunt, ad notandum, quod Johannes, qui cum Domino usque ad crucem perseveravit, postea more furis**) se occultavit et nudus effugit. In quibusdam locis una veste sublata, altera super altare remanet, ad significandum, quod vestis Domini inconsutilis non fuit scissa vel partita, sed sorte super eam missa contigit integra uni militi. Consequenter sacerdos crucem velatam bajulat ad dextrum cornu altaris ibique crucem super humeros ferens in persona Christi ex-

---

*) *Puta lingua latina, sic enim omnia sacra in papatu peraguntur.*

**) *Haec non modo falsa, sed et blasphema sunt in Spiritum Sanctum. Nam quod Marc.* 14, 51 *narratur, id nullo modo ad Johannem accommodari potest, qui Christum captum illico secutus est et Petro praesto fuit, ut etiam ipsi atrium pontificis ingredi liceret.*

probrat Judaeis beneficia Domini, dicens: Popule mi, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi, quia eduxi te de terra Aegypti etc. — §. 12. **Ritus hi poëtice descripti.** Ritus hos paulo aliter recenset Thom. Naogeorgus Regni Papistici *lib.* 4., versibus sequentibus:

Luce sacerdotes duo circum altare sequenti
Idolum portant humero Christi in cruce fixi,
Ruffa contectum casula, lugubre canentes,
Strata super villosa tapetia, suppositumque
Pulvinar capiti. Hinc prostrati corpore toto
Omnibus infigunt perfossis basia membris,
Ligneum et idolum summo venerantur honore.
Hos dein certatim rasorum turba sequuntur,
Impietatis ut artifices ad talia semper
Praecedunt; post quos tractabile vulgus adorat,
Dona ferens pariter, nummos Cereremque vel ova,
Aucupium rusis grutum, cultusque scelesti
Speratum pretium. Quo pacto idola coluntur.
Catholica haec si sunt, Christique imitamina sponsae,
Praeterea ne quid simulacris ludere cessent,
Et pro derisu regnantem exponere Christum,
Assumunt aliam statuam pro more jacentem
Defuncti nuper, porrectis cruribus apte,
Atque decussatim compostis pectore palmis,
Et pompa cantuque pio ad factum ante sepulcrum
Portant, sericis tectam membra omnia peplis,
Sic tamen ut cerni possint: multicia dicas
Serica, sic visum transmittunt cunctaque monstrant,
Praecedunt pueri tabulis inamoena crepantes,
Lumen et aedituus praefert. Scit signa popellus.
In genua extemplo cadit, aut terrae oscula figit,
Extenditque manus et mulctis pectora tundit,
Et statuam quernam divinum ut numen adorat.
Ne jaceat vero inque sepulcro sola colatur,
Mysticus adfertur quoque et una clauditur intus
Panis, ut impietas crescat cultusque profanus.
Sacrificus supplex statuam veneratur inertem
Primus, et Assyrios pani succendit odores.
Multo statim populus comportat lumina circum,
Cancellisque haeret noctemque diemque precatur
Curvatis genibus, violisque et flore sepulchrum
Omnigeno exornat, suaque affert munera longe.
Adsunt conducti quoque qui psalteria cantent
Alterni, defuncto homini velut atque nocenti,
Ut magis hinc plebs tunc ad munera danda vocetur.

§. 13. **Monstratio sudarii Christi.** Romae quoque hoc die monstrari solet *Veronica*, i. e. sudarium Christi, cui sanguinis guttas abstergens, faciem suam impressisse nugantur, quae adhuc in eo cernatur. Eam videns cunctus populus stentorea voce clamitat: *Misericordia, misericordia!* Idem sudarium mox his rhythmis adorant, supplices:

Ave, facies praeclara,
Quae nobis in crucis ara,
Facta es sic pallida.

Anxietate denigrata,
Sudore sanguinis rigata,
Te texit linteolus.

In quo mansit tua forma,
Quae passionis tuae norma,
Cunctis es praelucida.

Haec cordi meo sit impressa,
Per te, Christe, nec cessa,
Hoc cremare indefessa,
Amoris tui facula.

Ut post hanc vitam cum beatis,
Possim vultum Deitatis
Et videre voluptatis,
In perenni gloria. Amen.

De qua orationcula ante Veronicam dicenda trium annorum et quadraginta dierum indulgentiae datae sunt ab Innocentio IV. pontifice r. teste Hospiniano *de orig. festorum* pag. 78. — §. 14. Consecratio annulorum regibus Angliae usitata. Reges denique Angliae, ut scribit Polyd. Vergilius, consueverunt hoc die parasceves multa ceremonia sacrare annulos, quemadmodum pontifex sequenti die cereum paschalem, quos, qui gerunt, comitiali morbo non vexari creduntur. Qui mos inde natus est, quod in templo Westmonasterii annulus multa veneratione perdiu servatus fuit, qui salutaris esset membris stupentibus valeretque adversus comitialem morbum, quum tangeretur ab iis, qui ejusmodi tenerentur morbis. Annulus hic allatus dicitur Eduardo regi a quibusdam Hierosolyma venientibus, quem ipse diu antea pauperi olim dederat, qui pro amore, quem erga Johannem evangelistam habebat, eleemosynam petierat.

EX OFFICINA CAROL. GUST. NAUMANNI.

THESAURUS
COMMENTATIONUM SELECTARUM
ET
ANTIQUIORUM ET RECENTIORUM
ILLUSTRANDIS ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS
INSERVIENTIUM.

RECUDI CURAVIT,
PRAEFATUS EST, APPENDICEM LITERARIAM ET INDICES
ADJECIT

M. J. E. VOLBEDING.

TOMI PRIMI, PARS POSTERIOR.

LIPSIAE,
IN BIBLIOPOLIO DYKIANO
MDCCCXLVII.

Index commentationum partis posterioris.

Appendix literaria.

XIV.

Joh. Traug. Lebr. Danz, memorabilia circa festum paschatos ex antiquitate ecclesiastica. I.*).

Dies festi memoriae Christi vitae restituti sacri cum ab originis antiquitate, tum ab ipsius festi gravitate ac praestantia **), nec non a sollennium copia ac varietate***), non minus quam ambitus longitudine rituumque ratione singulari maxime sunt memorabiles. Quanta fuerit cura antiquae ecclesiae alumnis, memoriam resurrectionis Domini ac Servatoris nostri conservandi propagandique a *C. W. Franc. Walchio* †) edocti sumus, et quanto in pretio paschatos sollennia a veteribus Christianis habita sint, inter alia vel appellationes, quibus distinguebantur, et elogia, quibus insigniebantur, demonstrant.

Ita *Gregorio Nazianzeno*, qui multus est in praedicando hujus festi eximio splendore ac dignitate, dicitur *orat. paschal. II.* ἡ μεγάλη ἡμέ-

*) Prodiit, Univ. Jenens. progr. pasch., Jenae 1837. 4. (Dolendum sane, imperfecta hucusque mansisse haec „Memorabilia", pluribus deinceps programmatibus pertractanda parumque spei superesse, fore ut, a quo incepta sint, etiam absolvantur. Nihilominus primam hanc particulam, venia ab auctore ipso impetrata, pluribus de causis, inter quas ordo totius materiae tractandae, in prolegomenis uberius descriptus, non ultimum tenet locum, collectioni nostrae inserendam e re nostra duximus.)

**) (*Chr. F. Börner*) pr. de sacri paschatis praestantia et dignitate. Lips. 718. 4. *Chr. Reineccius* pr. de paschate ex se, et pia ecclesiae cum veteris, tum hodiernae ad illud praeparatione sollenniori omnium festorum. Leucopetr. 727. fol. *Paul Anton* pr. de pietate paschali vet. ecclesiae; in *Eiusd.* Programmatt. (Hal. 735. 8.) p. 67 ss. (*I. Rdph. Kiesling*) pr. de memoria paschatos a Christianis gravissimas ob causas quotannis sancte excolenda. Lips. 768. 4.

***) *Procopius* de bello pers. I, 18. *Πασχαλία ἡμέρα, ἣν δὴ σέβονται Χριστιανοὶ πασῶν μάλιστα.*

†) Progr. quo commendatur cura vett. Christianorum memoriam resurrectionis Christi conservandi propagandique. Gött. 767. 4. Inter instituta, quibus veteres Christiani efficere voluerint, ut Christi ex sepulcro reducis imago constanter animis suis obversaretur, refert vir doctissimus: 1) quod nullam praetermiserint opportunitatem, Christi resurrectionem commemorandi, et quantum ad fidem officiumque christianum recte constituendum habeat pondus declarandi; 2) quod doctrinam de resurrectione Christi in symbola retulerint; 3) quod tempora diesque sollennes hujus memoriae consecraverint; 4) quod in ejus recordationem baptismi caeremoniam peregerint; 5) quod denique imaginibus pictis et sculpturatis symbolice quidem, at vere, eam celebraverint.

ρων, ἡ ἑορτῶν ἑορτὴ καὶ πανηγύρεων πανήγυρις, τοσοῦτον ὑπεραίρουσα πάσας οὐ τὰς ἀνθρωπικὰς μόνον καὶ χαμαὶ ἐρχομένας, ἀλλ' ἤδη καὶ τὰς αὐτοῦ Χριστοῦ καὶ ἐπ' αὐτῷ τελουμένας, ὅσον ἀστέρας ἥλιος· ἡ κυρία τῶν ἑορτῶν· et in *orat funebr. in patrem*: τὸ ἅγιον πάσχα καὶ περιβόητον· ἡ βασίλισσα τῶν ἡμερῶν ἡμέρα. *Chrysostomo* vero, *Ignatio*, *Theodoro*, Petreorum episcopo, et aliis dies paschatos vocatur λάμπρα κυριακή· ὁ κάνων τῆς λαμπρῆς κυριακῆς· λαμπροφόρος ἡμέρα (cf. *Suicerus* in Thesauro s. v. λαμπροφόρος)· ἡ ἁγία καὶ μεγάλη κυριακὴ τοῦ πάσχα· ἡ μεγάλη ἡμέρα (cf. *Faes* de hebdomade magna p. 34 sqq.): ἡ ὕπατος πασῶν τῶν ἡμερῶν· ἡ ἑορτὴ πασῶν ἑορτῶν ἀκρόπολις, *princeps omnium et maxima dies, fons et fundamentum reliquorum festorum* *), *festum festorum etc.* Observante *Durando* **) etiam quodlibet magnum festum in quibusdam provinciis vocabatur *pascha*.

Qua de causa nil mirum, si viri docti et antiquitatum ecclesiasticarum amantes vel in investiganda origine et in recto constituendo hujus festi tempore, vel in sollennibus ejus describendis eorumque causis eruendis, vel denique in aliis id genus rebus definiendis operam suam collocaverunt ***). Praetermissis iis, qui de festis Christianorum in genere scripserunt, *Rud. Hospiniano* †), *Matth. Dressero* ††), *Joach. Hildebrando* †††), *J. Andr. Schmidio* †*), *Adr. Bailleto* †**), *Prosp. Cardin. Lambertino* †***), *G. Benj. Eisenschmidio* ††*), *J. Chr. W. Augustio* ††**) al., vel ducenti nominari possent, qui libris libellisve cum de uno ipso paschatis festo, tum de rebus singulis ad hoc festum pertinentibus, brevius vel prolixius, ex professo vel scribendi occasione usi egerunt ††***).

Quamvis autem paschalia tam multorum virorum doctorum industriam excitaverint, neminem tamen habemus, qui omnia circa hos dies festos memorabilia in uno pertractaverit volumine et quasi in universum

---

*) Nisi inde denata est haec denominatio, quod festorum reliquorum mobilium computus a paschate pendebat.

**) Rationale div. offic. VII, 1, 25.

***) Qui inter vet. ecclesiae patres de paschate scripserunt, *Quintus Julius Hilarion*, *Melito* Sardensis, *Bacchylus*, Corinthi episcopus, *Theophilus* Caesareensis, *Polycrates* Ephesinus, *Anatolius* Alexandrinus al. tantum de paschatis celebrandi controverso tempore commentati sunt.

†) Festa Christianorum h. e. de orig., progressu, ceremoniis et ritibus festorum dierum christ. lib. unus. Tigur. 593. fol. Ed. noviss. Genev. 684. fol.

††) De festis diebus Christianor., Judaeor. et Ethnicorum lib. Lips. 598. 8.

†††) De diebus festis libellus. Helmst. 701. 4.

†*) Historia festorum et dominicarum. Helmst. 721. 8. Edit. nov. L. 726. 4.

†**) *Histoire des Fêtes*; ad calcem operis: *Vies des Saints Par.* 701. III. fol.

†***) Commentarii II de J. Chr. Matrisque ejus festis. Patav. 752. fol.

††*) *Geschichte der Sonn- und Festtage der Christen.* Leipz. 793. 8.

††**) *Die Feste der alten Christen.* Leipz. 817 ff. III. 8. etiam sub titulo: *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie, mit beständiger Rücksicht auf die gegenwärtigen Bedürfnisse d. christl. Kirche. Bd.* 1—3.

††***) Vid. *J. Alb. Fabricius* Bibliographia antiquaria ex ed. *Paulli Schaffshausen* (Hamb. 760. 4.) p. 464 ss. Sed multae suppleri possunt scriptiunculae eaeque non contemnendae.

ante lectorum oculos posuerit. Non ergo superflui aliquid egisse nobis duximus, si per tot syntagmata, quorum non pauca rarioribus libris annumeranda sunt, dispersa colligeremus, et collecta in justum ordinem redigeremus, redacta denuo cum fontibus compararemus, comparata explicaremus et explicata, si res ita ferret, justo judicio submitteremus. Eo lubentius vero id laboris aggressi sumus, cum studium antiquitatum ecclesiasticarum, quod per longum tempus in tenebris abjectum, pristino favori nunc tandem restitutum videatur, nos vero valde cupimus, ad adjuvandum et promovendum hujusmodi studium, quantum in nobis est, aliquid afferre.

Rem vero omnem de paschatis festo et memorabilibus, quae circa ipsum habemus, hoc ordine prosequemur, ut omnia in capita sequentia distributa proponamus: I. de institutione et origine festi; II. de variis ejus nominibus; III. controversiae circa tempus celebrandi paschatos; IV. haeretici circa festum paschatos; V. cycli paschales; epistolae paschales; VI. de antepaschalibus in genere; VII. de tempore quadragesimali in genere; VIII. de bacchanalibus Christianorum; IX. de jejunio quadragesimali; X. de hymnis quadragesimalibus; XI. de capite jejunii; XII. de dominica Laetare, aurea rosa, rituque, quem vulgo appellant *den Tod austreiben*; XIII. festum de spasmo Mariae; XIV. de hebdomade magna; XV. de die palmarum; XVI. de die viridium; XVII. de die parasceves; XVIII. de sabbato magno; XIX. de vigiliis paschalibus; XX. de festivitatibus paschalibus in genere; XXI. collatio diei sanguinis et hilariorum apud Romanos cum paschate Christianorum; XXII. de tripudio solis paschali; XXIII. de igne vel lumine paschali; XXIV. de aqua paschali; XXV. de salutatione paschali; XXVI. de risu paschali; XXVII. de benedictionibus paschalibus in genere, et agno paschali in specie; XXVIII. de cereo paschali; XXIX. de hymnis et lectionibus paschalibus; XXX. de baptismo paschali; XXXI. de synaxi paschali; XXXII. de ovo paschali; XXXIII. de veterum indulgentia paschali; XXXIV. de ludis paschalibus; XXXV. de eo, quod justum est circa festum paschatos; XXXVI. de paschate Constantini M.; XXXVII. de paschate annotino; XXXVIII. de postpaschalibus in genere; XXXIX. de quinquagesima paschali; XL. de dominica in albis; XLI. de festo adscensionis Domini; XLII. de festo pentecostes ejusque septimana; XLIII. historia festi paschatos et descriptio anni paschalis.

Caput I. De institutione et origine festi resurrectionis Jesu Christi*). Animis Apostolorum, resurrectionis Jesu Christi testium oculatorum, constanter obversabatur hujus facti mirabilis et me-

*) Cf. (*Chr. F. Börner*) Progr. de paschatis christ. originibus. Lips. 717. 4. *Chr. Reineccius* de orig. festi paschalis. Leucop. 722. fol. *I. Franc. Buddeus* ecclesia apostolica (Jen. 729. 8.) p. 818 ss. *Sgm. Jac. Baumgarten* de vett. temporibus memoriae Christi vitae restituti sacris. Hal. 736. 4. et in ejusd. Opuscc. (Hal. 740. 46. II. 8.) p. I. 77 ss.

moratu dignissimi memoria, ipsique et ipsorum discipuli nihil habuerunt antiquius, quam ut mentione frequentissima hujus facti memoriam quam saepissime apud Christianos recolerent (Act. 2, 24 ss; 3, 15; 4, 10; 10, 40; 13, 30; 33. 17, 21.) nec ullam praetermittebant opportunitatem delarandi, quantum hujusmodi recordatio ad fidem officiumque christianum recte constituendum pondus habeat (1 Cor. 15, 17; Rom. 4, 26; 6, 4; 8, 38; 14, 9.; 1 Thess. 4, 13 – 18). Negari etiam haud potest, jam primis rei christianae temporibus dies quosdam memoriae Christi a mortuis revocati fuisse consecratos et in ipsa ecclesia apostolica annua sollennia celebrari coepisse; sed merito dubitatur, an institutio anniversariarum ceremoniarum ad recolendam resurrectionis Jesu Christi memoriam a Servatore ipso, vel ab ejus Apostolis sit derivanda. Quae enim *Baronius* *) testante *Beda* **) narrat, placuisse Petro apostolo in primum diem pascha transferre, atque id ipsum Marcum, monente eodem Petro, Alexandriae docuisse, omni destituta sunt veri specie; et bene se habet, qui Baronio hallucinari videtur, *Socratis*, Novatiani quidem hominis, sententia ***) qui Apostolos paschae diem aliosque dies festos arbitrio, aequitatique eorum, qui beneficia illis diebus acceperant, libere colendos reliquisse, contendit. Numquam enim, si Jesu vel apostoli cujusdam institutionem vel legem secuti essent Christiani primaevi, vel etiam consuetudo certa tantum adfuisset, tantopere a se dissidere potuissent, quantopere eos in controversia de tempore paschatis celebrandi, quae sec. II. exarserat, distare videmus. Non ergo ex Christi vel Apostolorum ordinatione vel lege celebratur festum resurrectionis Jesu Christi, sed ex consuetudine et εὐγνωμοσύνῃ veterum Christianorum.

Consuetudinis autem hujus obsequium maximopere adjuvabatur eo, quod tempus mortis et resurrectionis Jesu Christi incideret in ferias paschales Judaeorum. Quo factum est, ut memoria anniversaria mortis et resurrectionis Servatoris festivitatem quandam indueret, cum primis temporibus maxima Christianorum multitudo e transfugis ab ecclesia judaica constaret, et ipsi Christiani multos festorum dierum ritus a Judaeis mutuarentur †); sequentibus vero temporibus, cum omnis Christianorum cum Judaeis communio cessaret, festivitas paschalis tamen remaneret.

Quae in Canone Apostolorum septimo proferuntur ††), in Constitutionibus apostolicis †††) de modo paschatis celebrandi praescribuntur,

*) Annal. hist. eccl. ad a. 58. edit. Roman. p. 522.

**) Retractatt. in Act. Apostol. cap. 20.

***) Hist. ecclesiast. 5, 22. Locus valde memorabilis ita se habet: *Σκοπὸς μὲν οὖν γέγονε τοῖς Ἀποστόλοις, οὐ περὶ ἡμερῶν ἑορταστικῶν νομοθετεῖν, ἀλλὰ βίον ὀρθὸν καὶ τὴν θεοσέβειαν εἰσηγήσασθαι. Ἐμοὶ δὲ φαίνεται, ὅτι, ὥσπερ ἄλλα πολλὰ κατὰ χώρας συνήθειαν ἔλαβεν, οὕτω καὶ ἡ τοῦ πάσχα ἑορτὴ παρ ἑκάστοις ἐκ συνηθείας τινὸς ἰδιάζουσαν ἔσχε τὴν παρατήρησιν, διὰ τὸ μηδένα τῶν Ἀποστόλων, ὡς ἔφην, μηδενὶ νενομοθετηκέναι περὶ αὐτῆς.* Cf. *Nicephorus* hist. eccl. 12, 32.

†) Vid. *Ge. H. Ribov* de antiquitatt. judaico-christianis. Gott. 752. 2.

††) *Ἐι τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσῃ, καθαιρείσθω.*

†††) Lib. 5. cap. 17.

et ab *Ignatio* *) contra eos pronuntiantur, qui cum Judaeis celebrant pascha et symbola festi illorum recipiunt, ita sunt comparata, ut nihil minus, quam aetatem apostolicam aut Ignatianam redoleant.

Caput II. De variis festi resurrectionis nominibus. Ut a Judaeis festivitatem desumserunt veteres Christiani, ita et nomen festi a Judaeis in ecclesiam suam transtulerunt, *paschatis* nomine dies festos memoriae Christi morientis et resurgentis sacros, consignantes **). Quam autem vocem quod attinet, circa eam *Sam. Bochartus* ***), *Joh. Drusius* †), *Joh. Conr. Dietericus* ††), *Thom. Goodwinus* †††), et qui in hujus opere edendo laudabilem operam posuit, *Joh. Henr. Reitzius* †*), prae omnibus autem *Seb. Schmidtius* †**) et *Joh. Ge. Schnellius* †***) stupenda quadam industria tam multa contulerunt, ut in messe tam sollicita vix spicilegio locus quidam relictus videatur.

Vox pascha non graecae originis est, ut quibusdam veteris ecclesiae patribus visum, qui pascha dici putaverunt *ἀπὸ τοῦ πάσχειν*, quia paschatis tempore Christus *passus* est ††*), sed hebraicae, et derivanda

---

*) Epist. ad Philippenses ita scribente: *Εἴ τις μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελεῖ τὸ πάσχα, ἢ τὰ σύμβολα τῆς ἑορτῆς αὐτῶν δέχεται, κοινωνός ἐστι τῶν ἀποκτεινάντων τὸν Κύριον καὶ τοὺς Ἀποστόλους αὐτοῦ.*

**) Veteres vocem *Pascha* latiori sensu usurpabant, de paschate resurrectionis et crucifixionis loquentes. Illud *πάσχα ἀναστάσιμον*, hoc *πάσχα σταυρώσιμον* nominabant. Inde factum, quod veteres temporibus Theodosii M. quindecim dies paschales numerarent, unam hebdomadem memoriae passionis, alteram memoriae resurrectionis consecratam. *Bingham* Origg. 9, 88.

***) Hierozoicon I, 2, 50.

†) Commentar. ad vocc. ebraic. N. T. sub v. pascha; et in annotatt. ad N. T. 2, 218 ss.

††) Antiquitatt. bibl. Exod. 23, 14 ss.

†††) Moses et Aaron 2, 4.

†*) In notis ad l. c.

†**) Disputationum theologico-philologicar. Fasciculus (Jen. 712. 8.) disp. V., quae est de verbis Exod. 12, 11.

†***) De paschate veterum *ἀναστασίμῳ*. Lips. 717. 4. p. 5—15. Paucula tantum *Alb. Günzel* in diss. de orig. quinque vocum Manna, Pascha, Hosianna, Halleluja, Hysoppus (Viteb. 641. 4.) de nostra voce profert. Cf. etiam *G. L. Bauer* Gottesdienstl. Verfass. d. Hebräer 2, 200 ss.

††*) E. g. *Chrysostomo*, qui Homil. V. in ep. ad Timoth. haec habet: *Πάσχα λέγεται, ὅτι τότε ἔπαθεν ὁ Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν.* Cf. *Tertullianus* adv. Judaeos Cap. X. *Irenaeus* adv. haeres. 4, 33. *Gregorius Nazianz.* Orat. 42. postquam ex hebraica lingua vocem explicavit, addit, quosdam credidisse *τοῦ σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναι.* Non autem haec derivatio *Duportio* satis causae erat, cur eam derideret epigrammate:

A *κεφαλὴ Κηφᾶς*, a *πάσχειν Πάσχα·* verendum
Sic derivantis ne *κεφαλή τι πάθοι.*

Veteres enim, dum pascha a *πάσχειν* deduci dicerent, non tam ipsius vocis etymon, quam mysterii rationem habuerunt, et allusione tantum quadam respexerunt ad id, quod Christus in paschate judaico passionem sustinuerit, et per eandem judaicae illi festivitati finem imposuerit; ut patet ex *Zacharia* ap. *Au-*

a פָּסַח *parcere, parcendo transire*, et patet ex Exod. 12, 27, a quo פֶּסַח, quod LXX mutarunt in πάσχα. פֶּסַח autem (chald. פִּסְחָא *transitus* sive πάσχα proprie dictum est beneficium illud a Deo Israelitis in Aegypto tributum, quo angelus exterminator primigenitorum Aegypti פָּסַח *transiit* vel *transiliit* aedes Israelitarum, in quibus, ex Dei praecepto, agnus certo ritu mactatus et consumtus coena esset, et quarum postes sanguine agni eo fine mactati essent illiti*). In memoriam ergo sui *transitus*, quod aedes Israelitarum transiliit, quando Aegyptum internecione primogenitorum omnium reddebat funestam, festum פֶּסַח institutum est. Usus deinde loquendi mutavit primam illam significationem, et dictum est verbum *pascha* etiam de ipso agno, quem in hujus liberationis memoriam Judaei mactabant Exod. 12, 22; 2. Paralip. 35, 11, 13. et de convivio ex ejus carne facto; denique etiam de die, quo agnus mactaretur et comederetur. Nec alio sensu verbum pascha in libris sacris et ecclesiae scriptoribus ante-nicenis usurpatum occurrit. Denotat enim tam festos dies, quos servitute Aegyptiaca et pestilentia liberati Judaei in memoriam hujus rei variis cultibus et actibus religiosis, mactatione praesertim atque comestione agni obierunt, Luc. 22, 1; quam ipsum agnum immolatum Luc. 22, 7. et carnem paschalem Luc. 22, 13. Serius coepit, nostro more, de die memoriae reversi in vitam Jesu Christi sacro dici. Ex controversia vero de die, quo pascha celebrandum esset, Graeci duplex πάσχα fecerunt, unum σταυρώσιμον, memoriae Christi patientis sacrum, quod esset idem judaicum, die, quo Christi passio coeperit, alterum ἀναστάσιμον, in memoriam Christi a mortuis resurgentis, quod die tertio post fieret, quo Christus in vitam rediisset**).

---

gustinum in enarrat. in ev. Johann. ad cap. 13, tr. 55. ab init. cujus haec sunt verba: „Oportunissime occurrit in hoc nomine quaedam congruentia utrarumque linguarum. Qui enim *pati* graece πάσχειν dicitur, ideo pascha *passio* putata est, velut hoc nomen a passione sit appellatum. In sua vero lingua, hoc est in ebraea, pascha *transitus* dicitur.“ Vid. *Sal. Glassius* in Philologia sacr. edit. Dathii T. I. p. 692. Memorabiles sunt, quae *Durandus* rationar. divin. offic. 6, 86 affert, rationes, quibus originem vocis graecam defendit. Sunt enim haec: 1) ne in hoc videamur judaizare; 2) ne in hoc imitemur quosdam haereticos dicentes, evangelium sine ceremonialibus non sufficere ad salutem; 3) auctoritas graecae linguae, quoniam haec antiquitus Romae in Italia adeo fuit vulgaris, ut non solum dies sollennes graecis nominibus nuncuparentur, ut pentecoste, epiphania, verum etiam dignitates, ut patriarcha, episcopus etc. Cum Durando in eadem stat sententia *Joh. Tortellius* in libro de orthographia. Cf. *Andr. Alciatus* Parerg. 7, 10. — *Dies paschae Tertulliano* (de orat. c. 14.) est dies passionis Christi.

*) Hinc ab *Eusebio* festum paschatos vocatur, ἡ τῶν διαβατηρίων ἑορτὴ et in loco, quem ex *Anatolii* libro de Canonibus paschalibus affert, occurit phrasis τὰ διαβατήρια θύειν. Etiam apud *Philonem* respondent τὰ διαβατήρια hebraico פֶּסַח; *Gregorius* autem *Nazianz.* Epist. 54. Paschatis festum nominat ἑορτὴν διαβατήριον.

**) *J. A. Ernesti* in pr. de die paschatos constituendo. Lips. 775. 4. Cf. *Ant. Bynaeus* de morte J. Chr. Lib. I. cap. I. §. 17. et cap. II. §. 19. et *H. Val. Beier* de primor. Christian. more edendi agnum paschalem. (Lips. 770. 4.) p. 15.

Syriace festum paschatos vocatur *Pezcho* ܦܨܚܐ s. *Fezcho*; quae quidem vox a verbo *P'zaoh* ܦܨܚ s. *Fzuch* proxime derivanda esse videtur; quod inter alia etiam denotat *gavisus est, laetitia affectus est*, ita ut Fezcho etiam *diem gaudii et hilaritatis* indicare posse videatur. Sed dubitatur, an haec vocis significatio in denominatione festi adhibita fuerit, cum verisimilius sit, vocem *Fezchó* nihil aliud esse, quam corruptum hebraicum פֶּסַח, quamvis Syro perinde proclive esset, *gaudii* significationem voci admiscere, ac graeco *passionis*. Interdum magis proprie festum nostrum nominant *Ido dakjomtho d'moran* ܥܐܕܐ ܕܩܝܡܬܗ ܕܡܪܢ *festum resurrectionis Domini nostri*, vel brevius etiam *Ido dakjomtho*, ܥܐܕܐ ܕܩܝܡܬܐ *festum resurrectionis*.

Eodem etiam modo apud linguam *Arabum* loquentes Christianos, ad vocem פֶּסַח formatum nomen festi et *Fisch*, فِصْح vel فِسْح vel *Bauth* بَاعُوث seu *Idn'lba-uth* عِيدُ ٱلْبَاعُوث i. e. *resurrectio* vel *festum resurrectionis*. *Persae* usurpant ad denominandum nostros dies festos vocem *Idschi*, اجى cujus derivatio valde dubia et incerta. Inter *Aethiopes* pascha judaicum dicitur *Feseh*, ፋሢሕ፡ christianum vero *Fasicha* ፋሲካ፡

Cum ipso festo transivit ex oriente in occidentem etiam ejus enominatio, et in omnibus linguis, quae ex latina originem habent, effictae sunt usitatae appellationes festi resurrectionis e voce pascha e. g. in italico idiomate: *pascà vel pasque*; in hispanico *pascua*; in gallico *pasque, pasques, paques, pâque, pâques etc.* Sed haec notissima. Notatu autem magis dignum nobis videtur, quod his a pascha derivatis vocibus etiam *festa religionis* in genere denominantur, e. g. *festum pentecostes* apud Italos *pasca del maggio*; apud Hispanos *pascua de penteooste* et apud Gallos *pâsque de la pentecôte*; *sollennia nati Christi* apud Italos *pasqua di natalé*, apud Hispanos *pascua de natividad* s. *navidad*, apud Gallo-Francos superiorum secc. *la pasque de la nativité etc.* Ad distinguendum vero festum resurrectionis vocabatur illud *la grande pâque, la pasque di resurrezioni, lu pascua de resurrecion.*

Praeter populos latinizantes etiam *Belgae, Sueci, Dani* et alii septentrioni viciniores populi vocem paschatos in linguam suam retulerunt. Sic *Belgae* suum habent *paaschen* l. *paesdag*; Dani suum *paaske*; Sueci suum *päsk, päskdag, paoscha* et Islandi suum *pascha*. Causa in promptu est. Illae scilicet gentes non tam Germanis aut Anglis, sed Gallis e. g. *Ansgario, Remberto, Ebboni* eorumque sociis, christianam, qua imbuti sunt, debent doctrinam, aliter ac Germani atque Helvetii, in quibus ad religionem sanctam traducendis Anglos potissimum laborasse videmus.

Omnino diversa festi appellatio occurrit apud gentes germanicae originis, inprimis apud Germanos ipsos, Anglos et Helvetios. Germani

enim illud voce *Ostern* insigniunt*), de cujus etymo indagando mirum est, in quas diversas partes iverunt virorum doctorum labores**).

Nonnulli enim illam a vocabulo *Osten* deducunt, quasi sit festum orientis plagae, vel quod oriente sive orto sole resurrexerit Christus, vel quod Christus vocatus sit *Ost-Stern* i. e. stella matutina, vel denique quod in feriis paschalibus celebretur ortus solis justitiae s. resurrectio Christi a mortuis***). Sed recte monet *Ritzius* l. c., nunquam festorum nomina allusione sola ad quandam vel festi vel temporis circumstantiam niti.

Alii repetunt vocem *Ostern* a vocabulo *Urständ*, *Uhrstende*, *Utorstand*, quod veteribus usurpatum fuit pro *Auferständniss* i. e. resurrectio †). Cui autem derivationi saepe festi omnino convenienti, duo inprimis ex *Ritzii* sententia opponi posse videntur. Primum, quod literae radicales exciderint, et alterum, quod metathesis et omissio literarum, qualis hic occurrit, contra omnem linguarum sit usum.

Ex relatione *Hospiniani* ††) sunt etiam, qui vocem *Ostern* a latina dictione *hostia* derivent, quae sit Christus, pro peccatis nostris immolatus 1 Cor. 15, 3. Sed cum festum nostrum, in memoriam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi sit institutum, recte hanc derivationem rejiciunt, qui ejusdem meminerunt †††).

---

*) Ita appellat *Otfriedus* (Evang. 1, 22; 3, 4; 4, 8.) festum resurrectionis *Ostoron*; *Notkerus* (psalm. 3, 4.) *Ostirtag*; *Kero* (regula S. Bened. c. 15, 41.) *Ostrum* s. *Oostrun*; anonymus interpres harmoniae evangelicae Tatiani (harm. evang. c. 153, 2; 155, 1; 157, 1. 3. 4.) *Ostrun*, *Ostrunu*, *Ostruno*. *Ulphilas* contra usus est voce *Paska* s. *Pascha* (Marc. 14, 12; Luc. 2, 41; Joh. 6, 4; 18, 28.) Interpres anglosaxonicus semper adhibet vocem *Kastron*, et in fronte evangeliorum *Easter-daeg*, *Easter-aefen* (vesperam paschalem), *Easter-Wucan* (hebdomadem paschalem) etc.

**) Vid. *Phil. Grossbauer* pr. de ovo paschali (Vimar. 698. 4.) p. 3 ss. *Luneberg Mushard* de Ostera Saxonum, Bedae Eoster, aliis Astera, inde Ostera, Ostermonat ap. Eginhardum. Brem. 700. 4. *Andr. Ritz* cogitationes de orig. vocis *Ostern*, qua Germani paschatos festum indicant; in bibl. Brem. 8, 499 ss. (*I. Chr. F. Heise*) muthmassliche Ableitung des Worts Ostern; in Hannöver. nützl. Samml. a. 1758. p. 417—464. (*I. H. Ress*) Woher haben der Karfreitag und das Osterfest ihre Benennung? in Braunschw. Magazin. a. 1796. N. 18.

***) *Honorius Augustodün.* ap. *Pezium* anecd. 2, 1. 93. *Osterum* dicitur ab oriente: quia sicut ibi sol surgit (in occasu quasi moritur) ita hic sol justitiae, qui est Christus, qui in morte occasum subiit, hic resurrexit.

†) *Mart. Gerbert* vet. liturgica alemanica p. 863.

††) In historia festor. p. 118.

†††) Qui in refutandis aliorum falsis opinionibus admodum ingeniosus est *Andr. Ritzius*, in conjecturam de origine vocis *Ostern* incidit, quae nulli ab ipso rejectarum posthabenda est. Ex ejus enim sententia vocabulum hoc natales suos graecae debet linguae. Nempe Christiani vel precibus, vel hymnis memoriam resurrectionis Christi die illo recolentes ab initio eorum exclamasse sive psalluisse videntur *Ω ΣΩΤΗΡ*. Cujus de frequente usu tandem dies festus suam appellationem traxit (ut vox *Kirche* a frequente *τοῦ Κύριε* usu), dum Germani, quippe discipuli doctrinae christianae Patrum graecorum, de accentibus sive pronunciatione graeca non admodum solliciti, penultimam vocabuli *σωτηρ* corripuerint, tandemque per syncopen, compendii gratia, Graecos imitati, pronunciaverint *Ω ΣΤΗΡ* *Ostern*, unde *Oster-Tag*, *Oster-Fest* i. e. *Heilands-Fest*.

Ex aliquorum sententia vocabulum *Ostern* corruptum est ex voce *Austrag-Fest*, quia Israelitae massas suas azymas in paschate suo extulerint: quae vero sententia tam parum habet, quo se commendet, ut labori arguendi erroris commode supersedere possimus.

Plura, quibus se commendet, habet sententia eorum, qui vocem *Ostern* natales suos debere dicunt voci *Ostar* vel *Eostar*; et jam *Grassgebauerus**), Bedam Venerab. secutus, eam protulit eumque quam plurimi secuti sunt. Veteres Germani et imprimis Saxones venerabantur Lunam sub nomine *Ostar* s. *Eostar***), quod vocabulum, facta literarum μεταθέσει, quam proxime accedit ad nomen *Astartes* s. *Atergates*, quo Sidonii juxta atque Assyrii *Lunam* indigitabant***). Hinc lunae, quam sub nomine Ostar Germani venerabantur, sacer erat sextus quilibet a novilunio dies †); prae ceteris vero festus dies sextus mensis aprilis, qui inde etiam *Eastermonath* nominabatur et anni initium faciebat. Quam in rem dignissimi sunt duo loci *Bedae Vener.*, qui afferantur, unus qui est in lib. de temporum ratione cap. 13., alter quem nobis *Sebast. Münsterus* e cod. mspto libri de temporibus servavit ††). „Veteres Anglicani populi, scribit *Beda* loco posteriori, numeraverunt menses suos secundum cursum lunae appellantque lunam *Monam* et mensem *Monath*: decembrem vocant *Haleg Monath* i. e. sacrum mensem; aprilem *Eoster* vel *Easter-Monath* i. e. paschalem mensem, idque a dea quadam, cui Teutonici populi in paganismo sacrificia fecerunt tempore mensis aprilis, quae *Eostre* est appellata." Priori vero loco haec leguntur: „aprilis *Eostur-Monath*, qui nunc paschalis mensis interpretatur, quondam a dea illorum (veterum Anglo-Saxonum), quae *Eostre* vocabatur, et

---

Quamvis admodum verisimilem quidem hanc suam conjecturam diceret, album tamen suum calculum illi ademit, rationibus omnino non contemnendis adductus.

*) De ovo paschali p. 3.

**) Vid. *Theod. Hasaeus* de Saxonum idolo Ostera obs.; in bibl. Brem. 8, 475—97. *Flügge* üb. die Ostera der alten Saxen; in *Stäudlin*, Beitr. zur Philos. und Gesch. der Relig. und Sittenl. 3, 225—245. 5, 96—101. et *C. de Münchhausen* Wold und Ostar, zwo alttdeutsche Gottheiten; in *Gräter* Braga et Hermode 3, 1. 35 ss.

***) *Ritz* l. c. 5, 10: „Sub nomine *Eostre* s. *Eostar*, *Eoster*, *Ostar* Deam illam Graecis Ἀστάρτην dictam latere autumo. Prima enim litera vocis *Easter* mihi articulus videtur esse femininus ἡ, quem plerique Germanorum exprimunt per E, uti notum. Sive jam dicas *Ostar*, *Oster* s. *Aster* s. *Estar*, habes duas syllabas priores dictionis Ἀστάρτης. Vocali una saltem hujus vel alterius syllabae cum alia permutata, quod res haud ita mira, quando vox linguae peregrinae in aliam adoptatur, si permutationem quandam patitur. Id autem passim fieri, nulli, qui studia linguarum diversarum vel a limine saltem salutavit, obscurum esse potest. Ultima autem syllaba per apocopen deest. Fortasse enim Saxones a principio vocabulum hoc pronunciaverunt Eastart s. Eostart, postea autem *Eostar*." Prolixius de Astarta egerunt *Theod. Hasaeus* (expositio verae orig. et significationis vocis *Astartes*) in bibl. Brem. 8, 707—744. *Karsten Niebuhr* in *Velthusen Brem. und Verd. Magazin* 3, 188 ss. *F. Münter* in *Religion d. Kathager. Aufl.* 2. (*Kopenh.* 827. 4.) *p.* 62 ss. et *G. B. Winer* in *bibl. Realwörterb.* s. h. v.

†) *Plinius* hist. natural. 16, cap. ult.

††) In cosmographiae suae lib. 2.

cui in illo festa celebrabant, nomen habuit, a cujus nomine nunc paschale tempus cognominatur, consueto antiquae observationis vocabulo gaudia novae sollennitatis vocantes.“

Exinde ergo, quod veteres Anglo-Saxones circa tempus paschatos magnam celebrarent festum Deae *Ostar vel Eostar* sacrum, factum est, ut sequente tempore, postquam ab ethnicismo ad christianismum se converterant, hoc nomine ethnico festum resurrectionis Jesu Christi appellarent *).

Nulli dubitamus, hanc vocis originationem esse unice veram.

---

*) Saepius factum est, ut Christiani festorum dierum ritus a gentilibus mutuarentur et in sua transferrent sacra, quod praeter auctores, quos citat *Fabricius* in bibliographia antiquaria p. 163 ss. exemplis demonstrarunt *Ge. Chph. Hamberger* in diss., qua ritus gentilium in ecclesiam Romanam translatos enarrat. Gött. 751. 4. et (*Jo. Chph. Wernsdorf*) in progr. quod inscribitur: Dies sanguinis et hilaria Romanorum c. paschate Christianor. collata. Helmst. 763. 4.

XV.

Sigism. Jac. Baumgarten de veterum temporibus, memoriae Christi vitae restituti sacris*).

Prisci cultores Jesu Domini, religiosissimi mortales, legem, quam Paulus, Christi legatus, Timotheo (II, 2, 8) tulerat: μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν, jure suo ad se in universum pertinere crediderunt. Quam ob rem in pia hujus memoriae consecratione studiosissime elaborarunt atque obviam ituri oblivioni, quae vel gravissimas cogitationes ex animo delere solet, nisi excitentur iterum iterumque et ad imaginationis regulam, ope temporum rituumque ipsis consecratorum, ex fugientibus umbris crebro ad animum revocentur, huic inprimis beneficio recolendo plura tempora sacra esse voluerunt. In tres ordines illa commode satis distingui posse videntur, quod singulorum dierum, hebdomadum, annorum partem aliquam illi officio antiquitus devotam fuisse deprehendimus. Sicut enim ipsi Christi legati, testes evocati hujus resurrectionis (Act. 1, 22; 3, 15; 10, 41), et primi ipsorum discipuli nihil antiquius existimarunt mentione frequentissima hujus reditus Jesu ex morte (Act. 2, 24; 3, 15; 4, 10; 10, 40; 13, 30. 32; 17, 31.), ita ipsorum auctoritate factum est, ut dierum in festos profestosque ex Israelitarum tabulis discrimine sublato omnis sacrorum publicorum et conventuum agendorum celebritas Christo et huic ipsius per mortem in vitam itineri consecrando dicaretur. Ipse Paulus post unicum sacrificium Christi Corinthiis propositum, huic ferias peragi jubet (1 Cor. 5, 7—8). Neque primis a Christo seculis alia festa in veterum monumentis occurrunt, quam quae huic memoriae sacra fuerunt, ad quae temporis progressu anniversariae hominum supplicio in Christi causa enectorum commemorationes accesserunt et tandem reliquorum beneficiorum, quae Christo accepta referimus, sollennitates.

Atque ut per gradus haec tempora Christo ex morte suscitato consecrata lustremus, a quotidianis veterum sacris initum faciemus, quae antiquissima quidem fuerunt, pro illius temporis simplicitate tamen ad certam horam nulla lege adstricta, sed liberiora, ex temporum et locorum commoditate interdiu aut nocte celebrata, donec post ordinatas precum horas statas, antelucani conventus huic inprimis resurgentis Christi memoriae tribuerentur. In ipsas divinas tabulas relatum legimus, sub laetissimis regni Christi auspiciis coiviese cives ipsius quotidie ad preces fundendas, hymnos canendos, cibum divinum capiendum et memoriam

*) Prodiit, Univers. Hal. progr. paschale, Halae 1756. 4.

mortis vitaeque Servatoris sancte obeundam. Quae consuetudo diu satis continuata, tempore calamitatum publicarum observabatur maxime magnumque ad primaevam fortitudinem in superandis cruciatibus momentum habebat. Neque poterat epulum sollenne, ad memoriam Jesu piaculari supplicio sublati vitaeque restituti ordinatum (1 Cor. 11, 24—26), celebrari quotidie, sine quotidiana hujus transitus Christi ex morte in vitam celebratione. Quod in Africanis coetibus invaluisse Cyprianus *) perhibet. Hieronymus idem de Romanis et Hispanicis affirmat **). Augustinus autem in multis locis id obtinere suo tempore docet***). Et postquam saepius quotidie convenire coeperunt Christiani ad communes preces, quod mane ac vesperi primum, deinde alicubi ter, postea quinquies, et septies tandem labante et in formulas ritusque abeunte re sacra, factum esse constat †), vigilia antelucana singulorum dierum non facile praeteriit sine laeta grataque commemoratione excitationis Christi ex morte, quae in illud diei tempus inciderat, adeo ut illa convocatio nocturna ante lucem, quae *laudum* nomen sortita est, huic celebritati sacra esse videretur. Isidorus ††) testis est, *diluculo orari, ut resurrectio Christi celebretur* †††).

Major semper et sollennior fuit hac quotidiana Christi in vitam redeuntis memoria ejusdem celebratio singulis hebdomadibus instaurata, quarum primum quemque diem huic sollennitati sancte devoverunt Christiani, quod divini scriptores a primis initiis caetus Christo collecti factum fuisse non obscure indicant. L u c a s gravissimus hujus veterrimae consuetudinis testis est (Act. 20, 6—7), dum refert, Paulum Troade discedere noluisse ante sermonem in concione publica habitum eamque ob causam primam hebdomadis diem exspectasse, qua Christi discipuli tunc temporis coire consueverint. Quod ipse P a u l u s confirmat, quum Corinthios ad stipem pauperibus primo quoque die hebdomadis colligendam hortatur (1 Cor. 16, 2). I g n a t i u s ita jubet Christianos vivere †*), *μηκέτι σαββατίζοντες, ἀλλὰ κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες, ἐν ᾗ καὶ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν δι᾽ αὐτοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ*, et J u s t i n u s M a r t y r ita hanc consuetudinem commemorat †**): τὴν

---

*) *Epist.* 36 *ad Thibaritanos* et 54 *ad Cornelium* et in libro *de orat. domin.*

**) *Ep.* 1 *ad Pammach.* cap. 6 et *Epist.* 38 *ad Lucianum.*

***) *Epist.* 118 *ad Januar.* cap. 3. Cfr. Hildebrandi *enchirid. de sacris publicis priscae eccl. cap.* 3, *sect.* 1 et Binghami *origines lib.* 15, *c.* 9 §. 4. ubi pluribus testimoniis Eusebii, Basilii, Chrysostomi quotidianae synaxeos veterum fidem facit.

†) Cfr. Calvoeri *rituale eccles.* II, 2, 3 et Binghami *originum lib.* 13, 8. §. 7—8. ubi horarum precandi canonicarum ortus traditur.

††) *De eccles. officiis lib.* 1, 33.

†††) Cfr. Bona *de divina Psalmodia inprimis cap.* 5, §. 2. ubi veteres et medii aevi scriptores producit, qui resurrectionis memoriam principem finem gravissimumque argumentum matutinorum sollennium constituunt.

†*) *Ep. ad. Magnesianos n.* 8, quae verba Clemens Alexandr. *Stromat.* 7, de mandato celebrandi diem primam hebdomadis explicat. Idem Ignatius l. c. hanc diem vocat *τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν.*

†**) In *apolog.* II.

τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὰν — — Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. Qui simul indicant Johannem facta mentione diei Domini (Apoc. 1, 10), hanc primam diem intellexisse atque eadem hac denominatione, accedentibus veterum testimoniis evidentissimis idem perhibentibus*), edocemur, rationem hujus prae reliquis cultui divino et sacris publicis dicati diei, fuisse unam omnium facile principem, ut memoria reditus Christi in vitam, quae hoc primo hebdomadis die evenerat, sanctius coleretur. Neque potuit Plinius de alio die loqui, dum ad Trajanum scripsit**), *Christianos solitos esse stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem seque sacramento obstringere.* Quid quod ipsa calumnia ab hominibus adversus Christianos pessime animatis insidiose excogitata, qua cultus, quem soli exhiberent, accusabantur, hunc primi diei celebrandi morem comprobat, unde illam ortum traxisse, incrementa certe cepisse, et aliquem colorem verique speciem obtinuisse Tertullianus perhibet***). Nam quum fictarum divinitatum patroni animadverterent, novae huic religioni addictos imaginibus deorum carere, diem primum soli sacrum, unde ex consueta Romanorum et Graecorum formula solis dies vocabatur, religiose transigere, ad solis ortum convenire, preces sollennes a stantibus facie ad solem orientem versa fundi, sacra deinde ipsorum personare vocibus solis, luminis, lucis aeternae, qua ipsum Christum intelligebant, illuminationis et illuminatorum, uti aqua sollenni initiatos vocabant: perquam ipsis fictu facile erat, religione solis haec omnia fieri †). Qua obtrectatione certiores omnino reddimur de celebritate hujus diei ubique locorum a Christianis antiquitus observata ††). Soliti autem fuerunt veteres illo die sollenni feriari, a jejunio abstinere, laetitiam festivam curare, frequentiores conventus agere, cibum sacrum capere, unde eadem *dies panis* vocari coepit, lectioni tabularum divinarum vacare, recitationibus et adhortationibus doctorum operam dare, preces communes stantes fundere, numquam genibus flexis aut humi prostrati, quod in luctu fiebat, omnem denique diem piae hilarique memoriae et laudibus Christi ex morte in vitam reducis tribuere, quam ob rem eundem *ἀναστάσιμον* dixerunt †††).

---

*) Quae collegit Suicerus in *thes. eccl.* s. v. *κυριακή*.

**) Epp. 10, 97; ad quam conf. Boehmeri *dissert. juris ecclesiast. antiqui ad Plinium Secundum et Tertullianum.*

***) *Apologet. c.* 16. *Ad nationes c.* 13.

†) Cf. Christ. Kortholti *paganum obtrectatorem libr. II. cap.* 2, quod totum in hac heliolatria amolienda consumitur.

††) Uberius hoc confirmatum iverunt praeter plerosque histor. sacrae et dogmatum scriptores, Jac. Altingius in tractatu de *Sabbato*, *tom. V* operum, Casp. Calvoer in *rituali eccles. part. II sect.* 2, *cap.* 6. J. Pearson *ad symbolum apostolicum* pag. 469. edit. lat. et qui reliquos testimoniorum copia et selectu superat Jos. Bingham *originum lib.* 20, *cap.* 2. §. 1. Alios plures exhibet J. A. Fabricius *bibliograph. antiqu. cap.* 10 §. 14.

†††) Conf. J. Casp. Suicerus *in thesaur. eccles.* sub voce *ἡμέρα* et *ἀναστάσιμος*, atque inprimis Leo Allatius *de hebdomadibus et dominicis Graecorum* ad finem libri *de eccles. occident. et orient. consensione*, ubi pag.

Sequitur jam tertium tempus Christo vitae restituto devotum idque anniversarium, summa semper festivaque sollennitate et effusissimis laetitiis celebratum, quod pascha veteres dixerunt, voce non solum a Judaeis desumta, sed ex ipsa ejusdem proprietate huc translata. Licet enim nonnulli christiani populi doctores graecam ipsi dederint originem, et a cruciatibus Christi derivarint, quod in plerisque hebraeis vocibus ex nimio alios ad sacras cogitationes excitandi studio magis, quam ignoratione genuinae significationis factum fuisse videtur *), plures tamen rectiorem et exploratiorem illius nominis rationem reddunt, quod salutaris Christi transitus per mortem in vitam eo tempore festo celebretur. Auctoribus ipsis Christi legatis haec sollennia invaluisse, aut certum anni diem iisdem constitutum fuisse negat Socrates (hist. eccl. 5, 22.), qui asseverat, nullibi apostolum neque evangelia jugum servitutis Christianis imposuisse, sed festum paschatos et reliqua ex consuetudine ad salutarem memoriam Christi ordinata fuisse a Christianis, nulla lege Domini aut ipsius legatorum ea observare jussis; idem Nicephorus (hist. eccl. 12, 32) testatum reliquit. Nemini tamen in antiquis civitatis sacrae monumentis versato dubium esse potest, fuisse haec annua sollennia reliquis omnibus antiquiora, et a temporibus, quae ad Apostolos proxime accedunt, ubique locorum obtinuisse, quod ipsa occidentis ab oriente dissensio funestissima et controversia de die stato paschatis, magna animorum contentione sec. II. et III. agitata, et per patres conscriptos Nicenos demum composita, satis demonstrat. Numquam enim ita a se dissidere potuissent Christiani, siquid illius rei a Christi legatis sancitum aut certa consuetudine observatum fuisset, neque tamen ab utraque parte ad Apostolorum consuetudines provocatum fuisset, nisi eosdem annuam resurrectionis hujus memoriam celebrasse inter omnes constitisset. Hoc certe in controversiam numquam venit, esse hanc memoriam sollennissime consecrandam, cui negotio non solum integram hebdomadem, sed duas continuas, quae diem hunc sollennem proxime antecedit et eundem excipit, imo septem illas omnes, quae inter pascha et pentecosten intercedunt, veteres dicarunt. Praegressa hoc festum hebdomas magna et sancta, quam Graeci πάσχα σταυρώσιμον vocarunt **), inter jejunia, conventus sacros et supplicationes sollennes transigebatur. Ipsum autem paschatis diem, una cum nocte antece-

---

MCCCCXII ex euchologiis Graecorum demonstrat, singulis diebus Domini, in formula sollenni, qua sacerdotes post sacra peracta concionem dimittunt, occurrere verba: *Christi qui resurrexit ex mortuis*, aliis autem diebus eorum loco in missione coetus adhiberi verba: *Christus verus Deus noster*, quod documento esse potest, diem Domini semper habitam fuisse resurrectioni ejusdem celebrandae sacram.

*) Quod Is. Casaubonus *exercit.* 16 *ad annales* Baronii erudite disputat.

**) Cfr. G. J. Vossius *de vitiis serm. cap.* 6 et Leo Allatius *de hebdom. graec. pag.* MCCCCX, qui luculenter demonstrat Graecos consuevisse in fastis sacris hebdomadas non a die prima seu dominica, quae antecedit, sed a subsequente denominare, unde illa appellatio paschatos ad praegressam hebdomadem transvecta videtur.

dente, quam insomnem ducebant, dici non potest quanta festivitate sollenniumque sacrorum celebritate condecorarint antiqui Christiani in omnes laetitias, caritatem mutuam, conventuum frequentissimorum, hymnorum canendorum et sacramentorum peragendorum sollennitates toti effusi*). Sollenne sacramentum aqua lustrali initiandorum hoc potissimum die administrabatur, unde ob vestes albas, quibus recens initiati utebantur, λαμπροφόρος ἡμέρα**) magis quam a cereis sacris lucernisque nocturnis vigilias praegressas illustrantibus vocari consuevit. Cibus divinus corporis et sanguinis Christi eo die communiter capiebatur, a quo non facile quisquam tunc aberat aut arcebatur, unde postea rarius et semel duntaxat per annum eodem vescendi consuetudo sec. XIII. stabilita, perperam tamen, invaluit et contra sententiam primorum Christianorum, qui ab ejusmodi cibi hujus neglectu longe fuerant alienissimi***). Acclamationum praeterea mutuarum iteratione, cujus reliquiae inter Graecos manserunt, dum eo die conceptis verbis: *surrexit Dominus, vere surrexit* se invicem laetissimae hujus rei certiores faciunt, donis etiam et largitionibus publicis aeque ac privatis, atque sub imperatoribus Christum colentibus libertate et impunitate captivis donata, haec annua sacra celebrabantur, quae ad *antipascha* usque, seu *diem dominicam novam* et *in albis* dictam, atque ad ipsam quadragesimum diem omni festivitatis genere producebantur. Quam feriarum diuturnitatem Tertullianus†) testatur, Ambrosius††) autem sic describit: *per hos quinquaginta dies nobis est jugis et continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore neque ad observandum indicemus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus; instar ergo dominicae tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, et omnes isti dies velut dominici reputantur. Resurrectio enim dominica est, nam in dominica resurgens Salvator reversus ad homines est, et post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus commoratus.*

Ea si quis cogitaverit, certe non mirabitur, fuisse hanc diem paschatos a veteribus vocatam *principem omnium et maximam diem*, *festum festorum*, *fontem et fundamentum reliquorum festorum*†††), nec difficulter intelliget, illos tanti fecisse haec sacra, ut nihil supra, adeo ut quidquid sollennitatum divinis oraculis convenire crederent, id omne huc conferendum esse arbitrarentur. Verum ut sunt humanae res omnes aegerrime suis limitibus et mediocritate circumscribendae, religiosissimi hi veterum mores postquam ad fastigium excreverunt, temporum successu

---

*) Cfr. Chr. Wildvogelii *chronoscopiam legalem* c. 2. Casp. Calvoeri *rituale eccles. part. II, sect.* 2, c. 33 et Jos. Binghami *origines lib.* XX. *cap.* 5, §. 5—8 et *lib.* XV c. 9, §. 6.

**) Cfr. Suicerus in voce λαμπροφόρος.

***) Cfr. Paul. Antonii nostri programma *de pietate paschali veteris ecclesiae*, quod inter ipsius collecta programmata sectionis II. secundum est et celebritatem synaxeos paschalis pertractat.

†) *De idololatr. c.* 14. et *de baptismo cap.* 19.

††) *Serm.* 61.

†††) Potuit haec denominatio exinde enasci, quod festorum antiquorum mobilium computus a paschate pendebat et multi annum sacrum ab eodem inchoabant.

tandem in superstitiones, febriculosas nugas et umbras aut festivitates profanas et saturnalia, sanctissimo Christo indigna, degeneraruat. Cujus tamen corruptionis veterrimi Christiani, purissimi homines, non rectius accusantur, quam ipse Christus nefandorum scelerum, quibus sacra ab ipso instituta contaminata unquam fuerunt.

Satis pro instituto jam disputasse nobis videmur de ipsis temporibus Christo in vitam suscitato sacris; erunt jam rationes illorum consecratorum subducendae, ut quid animo voluerint cordatissimi majores, hac sua in Christum pietate his sollennibus testificata, intimius perspiciamus. Sicut enim neque omnia neque omnino nihil primis Christianis, Apostolorum discipulis, tribuimus, quos homines quidem, mirifice tamen in Christum amore divinoque spiritu animatos esse bene meminimus: ita neque ipsos coeco impetu sectamur, neque pios ductores negligimus, sed perspectis ipsorum agendi rationibus praeeuntes sponte et acriter, licet pro temporum calamitate impari gressu, sequimur. Redeunt autem, ni toti fallimur, rationes illae ad quatuor argumenta, quibus integerrimi homines ad memoriam Christi in vitam reducis toties recolendam et tam religiose consecrandam moti fuisse videntur.

Primum eorum est, quod Christum et ipsius piaculare hoc mortis vitaeque iter fontem et unicum principium salutis esse, probe cognoverunt suaque hac pietate declaratum iverunt. Erant enim ab ipsis Christi legatis edocti, Deum peccatis hominum lacessitum hac Jesu morte expiatoria, qua legibus violatis satisfactum fuit, non solum hominibus conciliatum esse, verum etiam consecuta ejusdem in vitam restitutione illam hominum expiationem reddidisse testatissimam fidemque publicam fecisse, tam rediisse se in gratiam cum genere humano, quam omnia a Christo dicta, gesta et sancita probari sibi rataque haberi (Act. 2, 24; 4, 10; 13, 25; Rom. 4, 24—25; Hebr. 13, 20 coll. Act. 16, 37.). Habebant praeterea exploratum, parasse Christum hoc transitu suo viam immortalitatis, dedisse hominibus exemplum huc transeundi ac peperisse iisdem et jus legitimum et vires necessarias, novam, divinam, aeternitate dignam neque ipsa morte finiendam vitam vivendi (1 Petr. 1, 3; 3, 21; Rom. 6, 4.). Neque ignorabant spem omnem restitutionis exuviarum, ossium cinerumque nostrorum et reditus animarum in pristina domicilia longe ipsis aptiora reddita, inniti hoc Christi capitis ex morte in vitam transitu (1 Cor. 15, 20 ss. Rom. 8, 11; 1 Thess. 4, 15.)*). Atque has doctrinas, in quibus cardinem omnis salutis verti providebant, hoc publico et sollenni cultu certissime conservari, ad usum commendari et ad posteros rectissime propagari posse crediderunt.

Secunda ratio, quae Christianos movit ad hanc temporum curam, fuit, quod experiundo didicerunt, nemini ante prodesse hanc Christi mortem vitamque, quam viva ejusdem cognitione certaque applicatione singuli salutis indigi cupidique utramque suam fecerint et ejusdem se-

---

*) Praeclare haec prosequitur Hamph. Ditton *in demonstrationis doctrinae christianae ex resurrectione Jesu parte* 3, 13.

cietatem iniverint (Eph. 5, 14; Rom. 6, 4. 11; Col. 2, 12; Act. 3, 1—2.). Intellexerunt animum excitandum esse ex somno morteque cupiditatum, incuria felicitatis et aeternarum rerum neglectu, convertendumque versus coelestium curam, ipsum Deum et ejus conjunctionem atque sursum semper subliminsque evehendum, neque id una alterave fugaci cogitatione peragi, sed seriis meditationibus, intensissimis curis et longiore animi in eo occupati et defixi studio omnino opus esse. Quam ob rem sollennem operam dederunt omnemque moverunt lapidem, ut gravissimis his doctrinis animus ad se rediret, concitatissimis cogitationibus, obtutibus et desideriis in Christum, salutis et aeternae felicitatis instauratorem, ferretur totusque in ejus amplexus rueret atque sic aeternitati restitueretur et vere aeternumque reviviseeret. Providerunt denique, vacandum esse huic studio feriandumque per tempus, ne animus in partes pluresque curas distractus minori, quam par est, intensione gravissimam hanc rem agat; neque semel duntaxat peragi, aut una, licet enixissima, opera absolvi arduum hoc et aeternum negotium, sed crebrius et frequentius iterandum esse, donec sanctissima consuetudo, quae altera natura est, contrahatur, Christum colendi, spirandi, vita moribusque referendi. Quam ob rem toties hoc officium instaurandum esse duxerunt.

Accessit tertia causa, quod partium suarum esse animadverterunt piissimi homines, Christum immortaliter de salute ipsorum meritum publice profiteri, laudibus celebrare et gratias, si non referre, agere saltem et habere se omnibus modis significare. Apprime perspexerunt, pertinere hoc, si quid aliud, ad officium hominis Christo devoti, ut non solum salute et immunitate Christi fruatur, sed eidem se haec omnia debere cogitet, honorem beneficiorum ab ipso profectorum eidem deferat, delatumque verbis sermone et omni vivendi ratione testificetur, atque sollenni laetitia, accepti beneficii professione et celebratione studiosissimam grati animi contentionem prae se ferat.

Quarta tandem ratio fuit, quod didicerant omnem hanc rem mirifice levari, si communiter agatur, plurimorum latentes sopitosque igniculos certius excitari et fortiorem flammam concipere in unum collatos mutuisque facibus admotis, sparsos contra disjectosque hinc inde facilius exstingui. Compertum simul habebant, Christum incredibiliter delectari sanctissima hac civium suorum inter se foederatorum societate communibusque studiis, illam autem animorum conjunctionem nec felicius coalescere nec certius conservari nec rectius augeri, quam communibus his sacris, conventibus sanctaque aemulatione.

Faciunt gravissimae hac rationes, ut nemo cum recta ratione negare possit, recte et laudabiliter haec sollennia instituta atque multiplici utilitati illis consultum fuisse.

XVI.

Frid. Imm. Schwarz, dominica gaudii Christianorum pascha*).

Festus paschatis dies, si inde ab ultima aetate sanctus fuit antiquae ecclesiae olim divinitus institutae notitiaque salutari ac certa spe promissi Servatoris impertitae, sanctior profecto fuit christianae, spe illa potitae et ingens fidei suae praesidium per mortem ejus reditumque in vitam nactae. Sanctae enim civitati, quae a Christo nomen habet, sollennissimus ille dies, uti antiquissimus, ita ob sanctitatem tam ceremoniarum et precum, quam mysteriorum, quae in illa festivitate celebrabantur, maxime sacer erat et reliquorum omnium princeps. Dictus est hac de causa antiquitus *dies magnus*, quod intelligeretur ab omnibus, majorem eo ab ecclesia non agnosci et celebrari. Venerando hoc nomine jam in concilio Ancyrano ejusque can. 6. insignitur, ubi de lapsis, quos ob impietatem, quod suppliciorum metu idolis gentilium thus adoleverant, thurificatos dicebant, qui tempore concilii conversionis suae consilium ceperant, hanc in modum decernit: Ἔδοξε μέχρι τῆς μεγάλης ἡμέρας εἰς ἀκρόασιν δεχθῆναι καὶ μετὰ τὴν μεγάλην ἡμέραν ὑποπεσεῖν τρία ἔτη. Ut vero constaret, ecclesiam diei illius magnitudinem non splendore et pompa rituum, sed summa mysterii sanctitate, cujus memoria celebretur, metiri, nomen ei dedit ἡ ἁγία καὶ μεγάλη κυριακὴ τοῦ πάσχα. Splendidiorem tamen pompam paschali illa sollennitate cum ecclesia non haberet, *dies splendidus* quoque dici consuevit. In monumentis enim antiquitatis ecclesiasticae graecae dies paschalis dicitur λαμπρὰ ἡμέρα, λαμπρὰ τῆς ἀναστάσεώς Κυρίου ἡμέρα, λαμπρὰ κυριακή, τοῦ πάσχα, λαμπροφόρος ἡμέρα. Disertissimi antiquae ecclesiae oratores, summi episcopi, doctores celeberrimi tantas non solum laudes reliquis diebus sacris et sollennibus omnibus, quantas paschali, non tribuunt, sed disertis etiam verbis diem illum vere splendidum, aliis omnibus praeferunt. Dulce et jucundum est in iis legere, quantum arte et eloquentia valeant, id ab iis omni studio intendi, ut exquisitissimis cumulatissimisque laudibus hunc maxime diem ornarent. Nihil profecto pietati in Christum vita sua de morte triumphantem religiosae posse jucundius esse credimus, quam excelsa illa profusarum laudum praeconia sollennissimi diei dominici resurrectionis in disertissimis ecclesiae oratoribus magna cum animi voluptate legere. Illis enim pascha est sol-

---

*) Prodiit, Univers. Lips. progr. paschale, Lipsiae 1780. 4.

lennitas omnium sollennitatum summa, dierum maxima, sollennitatum domina, sacratissimus dies, festum quo sacramentum salutis humanae maxime continetur, inter omnes dies, quos multis modis honorabiles habet christiana devotio, nullus excellentior festivitate paschali, per quam in ecclesia Dei universarum sollennitatum dignitas consecratur, divinum et salutare pascha, celebritas celebritatum, festum festorum, tantum reliquis omnibus, non humanis solum et ab hominibus institutis, sed ipsis quoque Christi diebus festis clarius, quantum sol stellas claritate superat, honor sanctae Trinitatis, dies exultationis, refertionis atque laetitiae. Quem non juverit, haec et similia e nectareis fontibus Gregoriorum Naz. et Nyss., Chrysostomi, Ambrosii, Leonis M. aliorumque hausisse et, quae animis veterum insita fuerit illius diei sancta reverentia summaque existimatio, animum informasse?

Inter splendidas celebritatis paschalis laudes et pia maxime religiosaque encomia, quibus a sancta antiquitate cumulari solet, unum inprimis deprehendisse arbitramur, quod reliquis praestantius et attentione nostra piaque meditatione in hac illius diei sollennitate dignissimum sit, illud nimirum, quod Christianorum pascha dictum est olim dominica gaudii. Observatum hoc est ab Anton. Pagi in Critica in Annales Baronii ad annum 370. n. V. ubi cum de epistola Athanasii super sancti Theodori mortem Orsiesio, eum consolandi causa scripta dixisset: *Scripta ea*, pergit, *epistola, ut notat Papebrocius in vita SS. Pachomii et Theodori Abbatum Tabennensium in Thebaide, die* 14. *maii a. Chr.* 368, *post Theodori mortem, quae, ut legitur in laudata vita, contigit dominica gaudii, i. e. paschatis, ut Papebrocius interpretatur.* In hac narratione non solum errores quosdam historicos magnus admisit Pagius, sed etiam veritatis probationem, quod Christianorum pascha dictum sit *dominica gaudii*, ex interpretatione Papebrocii repetit, quasi incertum alias esset, nisi Papebrocii dicamne conjectura an interpretatione firmaretur. Securo transcripsit Pagi verba Binghamus in Origin. eccles. Vol. 9, 20. 5. sine errorum admixtorum notatione et alio ad confirmandam sententiam non utitur argumento, quam hoc, quod viri illi docti, Papebrocius et Pagius dominicam gaudii non de alia, quam die dominica paschatis intelligi posse existiment. Verum si rem, uti decet, ex ipsis historiae fontibus petimus, non solum error a Pagio commissus detegitur, sed etiam argumenta perspicua et valida, quae nulla vel ambiguitate vel difficultate premuntur, pro veritate asserti, *dominicam gaudii esse paschatis festum*, sponte se nobis offerunt. Rem in *Actis Sanctorum* Tom. III. ad diem Maii 14. in vita *Pachomii et Theodori* cap. XII. n. 94. p. 333. sic expositam legimus: Adolescens quidam urbanus aliquamdiu inter fratres egerat, cui Heroni nomen, secundum a Theodoro Politico locum obtinens. Is medio jam paschate visus est a morte haud multum abesse. Ipsius igitur sabbati vespera, cum synaxin fratres instituerent, urgebatur ad finem. Quam ob rem e loco synaxeos abiens Theodorus, illum in extremis agentem reperit, verbisque supremis eum solatus, oculos morientis ipse clausit, ac dixit: frater iste, qui modo ex hac vita migravit alterius cujusdam, de quo minime putamus, morituri signum nobis

certum reliquit. Fratres itaque ad defuncti corpus vigilias egerunt, intenti lectioni sacrae. Secuto deinde mane, in *dominica gaudii* (*καὶ πρωῒ τῇ κυριακῇ τῆς χαρᾶς ἐνταφιάσας ἔταφεν αὐτὸν*, in textu graeco ad calcem libri exscripto) inter psallentium fratrum voces mortuum terrae mandavit. Post aliquot inde dies Theodorus ipse coepit aegrotare, cum prius fratres, qui ex omnibus monasteriis ad pascha celebrandum convenerant, multa cum consolatione dimisisset, spiritum suum creatori reddidit secundo die mensis Pachon. — Quae si cum verbis Pagi conferimus, eum festinato scripsisse deprehendimus quae ibi scripsit ejusque errorem documento esse, quod festinatio curam eximat. Non enim Theodorus Tabennensium Abbas fuit, de quo relatum legitur, eum in paschate mortuum esse, sed Hero, adolescens quidem urbanus, qui aliquamdiu inter fratres egerat. Huic enim animam agenti adfuit Theodorus eoque mortuo animus ei praesagiit mortem; nec Heronis mors, ut P a g i u s vult, qui eum eo Theodorum confundit, contigit dominica gaudii, sed ipsius sabbati vespera, funus vero dominica gaudii elatum est. At illum tam facile in errorem se abduci passum esse festinatione, miramur profecto, cum Theodorum creatori spiritum suum reddidisse secundo die mensis Pachon, ibidem memoriae proditum legatur, et idem Papebrocius, ad cujus interpretationem provocat, ad diem secundum mensis Pachon, quo Theodorus obiisse fertur, scribat: *hinc colligimus, mortuum esse Theodorum anno* 368. *dominica in albis.* Nec sola hujus, quem semel iterumque nominavimus, Papebrocii interpretatione veritas asserti nititur, dominicam gaudii esse Christianorum pascha sive diem, quo Christus in vitam rediit, sed ipso historiae testimonio et textu. Hero medio paschate graviter decumbit, (*μέσον τοῦ Πάσχα προσεδόκουν αὐτὸν ἀποθανεῖν* — textus graecus habet), sed nemo est antiquitatum ecclesiasticarum tam ignarus, quin sciat, paschatis nomine totam hebdomadem sanctam indicari; ipsius sabbati vespera, cum synaxin fratres instituerent, animam agit et praesente Theodoro, qui e loco synaxeos ad eum accesserat, decedit. Notum vero est ex historia ecclesiae, Christianos ante concilium Nicenum plerosque, post illud ex decreto ejusdem omnes, synaxin paschalem vespera sabbati ante diem dominicam memoriae resurrectionis Christi ex mortuis sacram instituisse, et tempore synaxeos illius decessit Hero, nocte fratres vigilias ad corpus defuncti agunt, secuto mane in dominica gaudii illud terrae mandant. Nonne igitur res ipsa loquitur, dominicam gaudii esse paschatis festum, Christianis ob reditum Christi in vitam, qui contigit primo mane diei dominicae sive solis, sacrosanctum? Nec funeris curatio eo die facta incertum reddit, dominicam gaudii ipsum paschatis Christiani festum esse, monente Papebrocio, qui ad hanc narrationis illius partem: *neque mireris*, scribit, *tam laeto die curatum funus, dominicis enim curare funera debuit monachis fuisse sollenne, quia tunc etiam aderant, qui alias extra monasterium in opere aliquo degebant.* Omnem denique dubitandi rationem, sitne *dominica gaudii* ipsum pascha Christianorum, an vero alius dies cultui Dei publico sacer, eximit historia, quae sequitur, mortis Theodori; Post aliquot inde dies Theodorus ipse coepit aegrotare, cum prius

fratres, qui ex omnibus monasteriis *ad pascha celebrandum* convenerant, multa cum consolatione dimisisset. Spiritum suum creatori reddidit secundo die mensis Pachon, quem diem in fastis 27 Aprilis, et dominicam in albis fuisse judicat Papebrocius. Quam igitur antea *dominicam gaudii* dixerat historia, eam post nominat pascha Christianum, ad quod celebrandum fratres convenerant, et secundus dies Pachon, si dominica in albis est, nulla dies inter hanc et hebdomadem paschatis, sive sanctam, praeter paschatis diem, dies dominica dici potuit. Dubio igitur caret, dominicam gaudii ex ipsa temporum ratione esse festum resurrectionis Christi ex mortuis. Talis omnino dies resurrectionis Christi auspicatissimus, dies summae laetitiae, dies sanctissimi gaudii fuit antiquae ecclesiae, et jure quidem fuit.

Gaudium, quod ecclesia Christi ex reditu ejus in vitam cepit, summum esse debuisse et vere fuisse, historia resurrectionis Christi condocet. Atrocissima mors Christi in cruce, acerbissimo tristitiae sensu animos non eorum solum, qui ab ore ejus pependerant, sed et bonorum et qui justitiae, virtuti, fidei et vitae morumque sanctitati justum statuunt pretium, omnium affecit, qui omnes summam aegritudinem ex ejus, qui universo generi humano carus esse debuerat, acerbissimo interitu perceperunt. Quis enim bonus non lugeret mortem Christi? Lugebat eam mater saevissimis vulnerata doloribus, lugebant amici, lugebat coelum et terra, hostes vehementer laetati gaudiis sibi damnosis exultabant. Sed promiserat Servator summum, post luctum acerbissimum ingentemque tristitiam, gaudium, teste Joh. 16, 20. 22. ubi immortaliter gavisuros esse ob reditum suum in vitam affirmat, eosque maximo cumulatos esse gaudio, ita quidem, ut quum majus esset gaudium, quam quod capere posset animus, plena fides plenusque assensus, se vere cernere, quem cernebant, aliquamdiu impediretur, testis est historia apud Luc. 24, 4. et Joh, 20, 20. Et quae major unquam laetandi causa mortalibus obtingere poterat, quam resurrectio Christi ex mortuis, qua sola religionis christianae veritas confirmari potuit ac debuit, cujus vis atque effectus nobis ad salutem necessarius est cognitu, adfirmante Paulo Phil. 3, 10. et quae ad justificationem nostram facta est, quippe quae fidem nobis firmavit, nos a poena peccati seu morte vere liberatos esse, cum Christi, qui, ut pro peccatis nostris satisfaceret, poenam eorum, mortem, pro nobis subiit, vinculis mortis solutis, in vitam redierit, quo facto significavit Deus, illos, pro quibus mortem vicariam sustinuit Christus, aeque resuscitatum iri ex morte, ac sponsor eorum et vicarius in sustinenda eorum causa et loco morte ex ea resuscitatus sit. Sed quaenam quaeso fortior causa laetandi, quam reparatio vitae toti generi humano parta?

Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus infernum vicit et astra tenet!

Vidit hoc sancta et venerabilis antiquitas, et splendidiorem toto aevo non illuxisse orbi ea, qua Christus per illustrem reditum in vitam, qui mortem destruxit et effecit, ut vitae et immortalitatis spes illustri exemplo confirmaretur, summa illa laetitia paschali significavit, ad quam in

celebratione festorum dierum principis, omnes tum verbis, tum factis excitavit idque efficere studuit in animis omnium, ut plurimum gaudii et voluptatis per dies paschales festos caperent, et vere diem festum agerent, vere sanctam et honestam ex dierum illorum celebritate perciperent voluptatem. Cujus rei Ambrosium inprimis habemus testem, qui Epp. 10, 83. ad episcopos per Aemiliam constitutos, quos de celebritate paschali instruit, resurrectionis diem exultationem refectionis atque laetitiae nominat, et ut juxta majorum exempla festum publicae salutis, pascha, laeti exultantesque celebrent, illos, et ut nihil nisi sanguinem Christi loquantur, quo mortem vicerimus, quo redemti simus, adhortatur. Et de *mysterio paschae* cap. 5. pascha exoptabilem anni festivitatem dicit, de eoque laetabundus ecclesiae acclamat: *Hic est dies, quem fecit Dominus, exultemus et laetemur in eo! Quis (inquam) dies? Nempe ille, qui tribuit vivendi principium, lucis exordium, auctor luminis, id est, ipse Dominus Jesus Christus. Hinc inquam exultationis et laetitiae dies est, in quo promissum perfectae gloriae consecuti, recte plebs sancta ad instar angelorum futurae laudis mysterium, adhuc in hoc saeculo constituti, Domino cum propheta cantamus: Hic est dies, quem fecit Dominus, exultemus et laetemur in eo!* Ambrosio jungimus Chrysostomum, qui in orationibus in pascha, quae inter dubia ejus opera referri solent, festum illud non solum summis extollit laudibus et reliquis omnibus antefert, sed etiam ut diem gaudii, quo majus et cogitari et percipi nequeat, multis praeconiis exornat et inter alia affirmat, licet omnes sollemnitates, quae in ecclesiis pro Dei honore celebrentur, sanctae sint atque venerabiles, tamen dominicae resurrectionis diem peculiarem festivitatem habere. Omnes enim alios dies viventium tantum in se continere gaudium, hanc etiam laetitiam defunctorum et communem esse infernis simul ac supernis istam festivitatem, esse diem salutiferae exultationis, quibus et aliis ejus generis celebritatis paschalis laudibus, tandem subjicit: Omnia nobiscum hodie contriumphant. Angelorum apparitio festa nobiscum sollennia concelebrat. Archangeli, throni, virtutes, dominationes, Cherubim et Seraphim laetitiae choros trahunt, dum nos tractamus paschae mysterium. Ideo laetentur coeli, et exultet terra!

Tantam igitur cum haberet causam laetandi Christianorum coetus, legem sibi posuit, celebritatem paschalem ita instituendi, ut metu, tristitia, luctu et moerore profligato, plurimum voluptatis, solatii et gaudii omnes et singuli, lugentes quoque et moerentes e publica illius diei laetitia perciperent. Laetabatur ecclesia, populus, magistratus, omnes in gaudium soluti, et ob id ipsum pascha *tempus laetitiae* nominant, id quod praeter alios ex Cassiodoro scimus, qui Variar. 4, 42. scribit: Clarissimorum adultorum Marciani atque Maximi nos querela pulsavit, cum *paschalibus diebus* paterni luctus essent vulnere sauciati, et ipso *laetitiae tempore* soli cogerentur tristitiam sustinere; et ex Celerini ep. ad Lucianum, quae est inter epistolas Cypriani 21: pro sororis meae fatis ego in *laetitia paschae* flens die et nocte in cilicio et cinere lacrymabundus dies exegi.

Majorum alii festo honorem et reverentiam, quam paschali, non ha-

buit ecclesia, quippe quod ob insignem beneficii magnitudinem, cujus memoriae sacrum erat, inprimis dignum judicavit, quod per integram hebdomadem et instituendo in fide et exercendo in sanctitate populo, magno pietatis exemplo celebretur. Laudabile imprimis est, totum illud septiduum instituendo populo datum fuisse, ne servis quidem exceptis, quos pietas christiana per illud otiari passa est, addita ratione, ὅτι χρεία διδασκαλίας, τίς ὁ παθὼν καὶ ἀναστάς, ἢ τίς ὁ συγχωρήσας ἢ καὶ ἀναστήσας. Illum enim scire et nosse, qui passus sit, qui resurrexerit, et illum, qui pati permisit et qui resuscitavit, quanta scientia, quantum requirit studium! Testantur scriptores rerum ecclesiasticarum, testantur ecclesiarum doctores, totum illud sacri septidui spatium instituendo populum in praecipuis fidei de Christi morte et vita, passione et resurrectione, cruce et throno, capitibus transactum fuisse, sed hoc praeterea illustri quodam universae ecclesiae testimonio confirmatur, quod conc. Constantinop. in Trullo c. 66. exhibet, ex sententia nimirum ecclesiae, a sancto Christi Dei nostri resurrectionis die usque ad novam dominicam, tota septimana in ecclesiis vacare fideles jugiter oportere psalmis et hymnis et spiritualibus canticis, in Christo gaudentes, festumque celebrantes, (εὐφραινομένους ἐν Χριστῷ καὶ ἑορτάζοντας) et divinarum scripturarum lectioni mentem adhibentes, et sanctis mysteriis jucunde et laute fruentes, sic enim nos cum Christo exaltari et una resurgere; simulque testatur sancta synodus, paschali hebdomade et equorum cursum et publica spectacula interdicta fuisse. Non dubitamus quidem, morem istum, pascha per integrum septiduum celebrandi, e synagoga in ecclesiam transiisse, sed origo instituti illius non obstat, quo minus insignem illam antiquae ecclesiae pietatem miremur, et quam maxime probemus, simul vero doleamus, quod nostram aetatem a laudabili illo studio et admirabili in pietate constantia immane quantum recessisse videamus, quippe cui triduum feriarum nimis molestum, et quia sine magna impietatis suspicione et specie consilium de eo toto abrogando dari non posse animadvertit, minuendum et pars ejus abroganda esse videtur.

Ut tum ecclesia ipsa de aucto Christianorum numero, tum ii, qui, dum ad eam accedebant, coetum Christianorum numerosiorum reddebant, plurimum causae laetandi haberent, pascha sollennissimum baptismo tempus antiquitus constitutum est, de quo jam Tertullianus (de bapt. 19) testatur, diem baptismo sollenniorem pascha praestare. Tria nempe, ut constat, sollennia baptismo tempora ab ecclesia designata esse, pascha, pentecosten et epiphaniam, qua Christum baptismum accepisse vulgo creditum est, sed sollenniorem reliquis diem baptismo praestare pascha judicatum fuit. Baptisma ipsum nocte paschali, quae diem resurrectionis dominicae antecedit, peractum esse, Brissonius in commentario erudito in l. *Dominico* p. 178. docte probavit ex Augustino, Rab. Mauro et Ruperto Tuitiensi et perspicua sunt inprimis verba Augustini ab eo prolata: *Nocte catechumenos in aspectum ecclesiae prolatos ac productos*, et Ruperti Tuio. de nocte paschali lib. 6. de div. offic. c. 201. *Quis enim dies nocte hac insignior? Quae alia nostra est nominatia, nisi illa, qua hac nocte in Christo per baptismum renascitur*

nova ecclesia? addi vel inprimis meretur locus e Paschasini epistola ad Leonem M. quae extat inter epistolas Leonis (p. 90. ed. Lov. 1566): *In ecclesiae Meltinatis baptisterio nocte sacrosancta paschali baptizandi hora, quum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur etc.*, et deinceps: *Consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cum presbyter secundum morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quae lucescebat in diem dominicam, 10. die cal. maji, fons sacer hora competenti repletus est.* Idem confirmatur per Cyrillum *Hierosol.* in Catech. Mystag. I. ubi τοῦ βαπτίσματος ἑσπέραν vigilias paschatos esse, ostendit Thomas Milles in notis p. 277. Nova illa ecclesia neophytorum commune gaudium augebat. Albis enim vestibus per integram hebdomadem paschalem induta, non solum diei resurrectionis Christi splendidum et illustre nomen λαμπροφόρου ἡμέρας dedit, sed et signum laetitiae paschalis fuit. Graeca enim antiquitas ideo diem illum dixit: *πρώτην ἡμερῶν καὶ κυρίαν, λαμπροφόρον, ἐν ῇ ἀγάλλεσθαι ἄξιον, τὴν τοῦ Χριστοῦ ἀνάστασιν, πιστῶν εὐφροσύνην.* Nec id silentio praetereundum est, ecclesiam id et documentum et causam laetitiae publicae esse voluisse, ut lapsos, acta poenitentia, imminente gaudio paschali in communionem suam reciperet, ne lugentes quidam inter Christianos reperirentur, qui digni erant percipere fructus gaudii resurrectione Christi ecclesiae parti. Collectis igitur in unum omnibus suis membris, exemplum praebuit ecclesia, *dominicam gaudii* laetissimae celebrandi, statim nocte paschali, quam et pervigilio transigere et oculos, aures, animosque populi luculentis gaudii signis, luminibus incensis, psalmis, hymnis, cantionibus, tanquam flumine quodam gaudii in sensus et pectora omnium influente replere coepit. Illustrabatur nox illa in signum gaudii luminibus, cereis, funalibus, lampadibus; quam laetitiam Prudentius Cath. hymno 5. exposuit:

Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera
Vertatim vigili congerimus prece,
Exstructoque agimus liba sacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quae suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natalibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro.
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare Trionibus
Et qua Bosporeus temo regit jugum
Passim purpureos spargier Hesperos.

Tam egregium et laudabile exemplum populus sibi, quod ipse sponte imitetur, propositum ratus, gaudii paschalis participes reddidit, quos partim servitute, partim paupertate premi in iisque omnem gaudii sensum dura illa vivendi sorte extingui sentiret. Ditiores enim pauperibus larga erogabant munera et beneficia, cujus insignis pietatis illustre exemplum praebuit Constantinus M. qui, teste Eusebio, illucescente statim die paschali omnibus gentibus, nationibus et populis opulentissima donavit munera; domini servos, insigni liberalitate in eos usi,

manumittebant, legibus imperatorum id non tam permittentibus, quam potius suadentibus, ut in Cod. Theodos. l. II. tit. 8. de feriis l. I. lege sancitum non sine magna voluptate legimus: *Gratum et jucundum est eo die, quae sunt maxime votiva, compleri: atque ideo emancipandi et manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, et super his rebus actus non prohibeantur*, qui scilicet in aliis causis, diebus quindecim paschalibus, legibus imperatorum prohibiti erant. Hoc nimirum natura celebritatis paschalis requirere videbatur, ut ab iis, quos e servitute damnosa in saluberrimam libertatem vindicaverat Christus, libertate donarentur ii, qui sub immani servitutis jugo denegata et vi ademta sibi humanitatis jura plorabant, et illi, quos Christus, in summa olim paupertate constitutus, ut ne haberet quidem, quo caput quieti daret, divitiis omne genus abundare fecerat, pauperes et egenos beneficiis, liberalitatis vere Christianae documentis, laetabundos, et sensus gaudii communis participes redderet. Ita ecclesiam antiquissimam sensisse, a Commodiano sec. III. scriptore, ob pietatem inprimis erga pauperes maximam summumque et constantissimum amorem Christi claro, accepimus, qui in *instructionibus pro christiana disciplina* c. 75. scribit:

Congruent in pascha, die felicissimo nostro,
Laetentur et illi, qui postulant sabbata diva,
Erogetur eis, quod sufficit, vinum et esca,
Respicite, fonte quo memorentur ista pro vobis.

Magistratus denique auctoritate sua effecit, ut partim gaudium paschale non damnosis impiorum et laetitia quasi insanientium gaudiis misceretur, partim eorum immodestiam in percipiendis gaudiis Christiani fugerent, qui inaniter et effuse exultant animo mentesque suas et aliorum ad perpetranda mala inflammant et scelerata libidine incendunt. Noluit igitur pius Christianorum magistratus populum spectaculorum voluptate et illecebris incendi, dum cultui Dei et institutioni uberiori in religione exercitiisque pietatis et disciplinae christianae vacandum erat, quae causa est interdictorum dominico, natali Christi, epiphaniorum et paschali spectaculorum L. *dominico*, *de spectaculis* in Cod. Theod. ut omni theatrorum atque circensium voluptate per universas urbes earundem populis denegata, solae Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Sic abesse jussit respublica christiana a festivitate paschali scenam theatralem, equorum cursum, certamina circensia, lacrymosa ferarum spectacula omniaque voluptatum incitamenta et pabula, suavisque hac etiam in re concordia inter sacerdotium et imperium fuit; vidimus enim antea, idem conciliorum sancitis interdictum fuisse. Nec actiones forenses illa festivitate permisit imperatorum religio, iis exceptis causis, quibus salus publica ob moram vel minimam periclitari videbatur. Sed omnium maxime in eo cernebatur piam magistratuum christianorum studium, gaudio paschali omnium, afflictissimorum quoque hominum animos perfundendi, quod eorum legibus sollennitas paschalis vincula carceri mancipatorum laxabat. Leges imperatorum, quibus ingens illud beneficium vinctis tribuebatur, quae indulgentiae paschalis nomen acceperunt, disertis verbis testantur, gaudium commune,

communem festivitatis paschatis laetitiam, communis vitae gaudia eorum animos flexisse, ut miseri vinctorum status ratione habita, ne hos quidem miseros in communi illa laetitia esse et optato indolentiae beneficio frui juberent. Voluit nimirum principum christianorum religio, hoc liberalitatis Augustae humanissimum extare documentum, ut in communi gaudio paschali ii quoque laetentur, quos carceris squalor et vinculorum durities, poenarum insuper metus anxios tenebat et sollicitos eaque de causa rei periculo carceris metuque poenarum tempore paschali eximerentur. Quod vero exoptata miseris istis criminum condonatio beneficio Augustorum in sollennitate sanctissima paschatis obtingeret et auroram paschalem iis amicissimam atque indulgentissimam esse humani juberent principes, *indulgentia poschalis* dicta est, quo nomine simul a reliquis sex indulgentiae generibus commode distingui solebat. Data omnium prima indulgentia paschalis a Valentiniano Sen. (quem et Jac. Gothofredus primum indulgentiae paschalis auctorem fuisse censet, Cod. Theodos. tom. III. p. 297 et 298. ed. Ritt.) Valente et Gratiano A. A. A. 3 non. maji a. D. 367 Remis, ubi tum versabatur Valentinianus. Extat ea in Cod. Theod. lib. IX. Tit. 38. l. 3. cum quatuor aliis, anni 368. ab eodem, 381. a Valentiniano jun. 384 et 385. ab eodem datis l. 4, 6, 7 et 8. quarum postrema, eaque unica, in Cod. Just. relata est l. 3 de *episcopali audientia*. Quibus accesserunt duae Theodosii indulgentiae in appendice Cod. Theodos. l. 7 et 8. ubi imperator enumerat malorum genera a quibus miseros liberari cupiat ob gaudium paschale; per omne hoc, ait, quod inter venerandos ac celebres dies fluat tempus, catenis levamus, exilio solvimus, a metallo abstrahimus, deportationibus liberamus. Missae sunt paschales illae indulgentiae per provincias ante vel circa diem paschatis. Sed quia et molestum erat, quotannis emittere nuncios cum indulgentia paschali, et interdum tardius, et forte, post festum indulgentiae judicibus tradebantur, et geruli earum, quos quidem castissimos esse alia lege iidem imperatores jusserunt, cupidi erant et turpi conludio quaerebant ex miseris pretium gaudiorum, Valentinianus jun. una cum imperii sociis V. kal. mart. 385. legem tulit, ubi primum dies paschalis extiterit, ut nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula solvantur. Voluit quidem indulgentissima principum liberalitas omnes reos laetitia paschali, solutis vinculis, frui; attamen atrociorum criminum reos, sacrilegum, in majestate reum, in mortuos veneficum sive maleficum, adulterum, raptorem, homicidam communione istius muneris separari. Nobis in praesenti sufficit, ex indulgentiae paschalis argumento et fine abunde probari posse, diem paschatis antiquae ecclesiae dominicam gaudii vere fuisse et esse debuisse. Impense enim laetamur, dum in indulgentia paschali legimus, imperatores, qui has tulerunt leges, summam huic festo reverentiam habuisse et testari, dies ejus communis laetitiae et gaudii dies fuisse, et principes id potissimum voluisse, ut in communi ob Christi reditum in vitam omnium gaudio nemo tristitiae sensu afficiatur. Scribi enim jusserant in legibus illis, quae dignae profecto erant, ut ad omnem posteritatis memoriam conservarentur, ne diem paschae intimo corde cele-

brare, eam paschae celebritatem a se postulare, ut, quoscunque aegra expectatio quaestionis poenaeque formido sollicitet, absolvant; paschalis laetitiae diem ne illa quidem tenere ingenia sinere, quae flagitia fecerint et requirere, ut pateat insuetis horridus carcer aliquando luminibus; religionem anniversariae observationis hortari, ut omnes omnino periculo carceris metuque poenarum eximi jubeantur; a solvendis vero ac liberandis discernendos eos esse, quibus contaminari potius gaudia laetitiamque communem, si dimittantur, advertant et raptorem, quem liberari vetant, summa etiam quiete et gaudio communi paschatos persequendum esse instantius; quae omnia luculenter confirmant, pascha festum gaudii praecipui insignisque laetitiae diem habitum fuisse ecclesiae et esse debuisse, quia et illos, quos tristitia tenebat et dolor excruciabat, libertate recuperata impense laetari voluit eb eamque libertatem miseris redditam pascha ἡμέραν ἐλευθέριον nominavit. Quo magis per indulgentiam paschalem gaudium cumulari et per animos omnium diffundi animadvertit ecclesia, eo atrociori opprobrio vertit suis violationem indulgentiae paschalis et immanitatem, quae tantum ab humanitate, quantum a religione et pietate recederet. Accusat Arianos illius saevitiae Athanasius (ep. ad Orthodoxos tom. I. p. 947.) quod die resurrectionis Christi homines ab ecclesia in carcerem compegerint, eo nimirum tempore, quo Christus omnes a mortis vinculis liberaverit et quasi repugnantes Salvatori et perfidis itidem Ariani auctoritate confisi, diem, qui servis Christi liber sit, in luctum converterint. Idem vitio datum est imperatoribus ab ecclesiae doctoribus, quod neglecto more majorum sanctis diebus hebdomadis ultimae paschatis, quibus solebant debitorum laxari vincula, stridere jubeant catenas et imponi collo innocentium, ut ex Ambrosio et Chrysostomo docuit Gothofredus Cod. Theod. tom. III. p. 296. e quo indulgentiam paschalem Theodosii M. quae intercidit et in codices non relata est, repetit, cujus verbis plane egregiis imperatori, a quo scripta erat, in memoriam revocatis, Chrysostomus animum ejus Antiochenis propitium reddi optat: *Tamen, imperator, mene tuorumque memor esto; domi tuae, vel a te ipso humanitatis exemplar habes; noluisti justam caedem facere, et injustam poteris admittere? convictos et condemnatos ob festi reverentiam dimisisti, et non obnoxios nihilque nocentes damnabis? Meministi nuper, cum hoc festo appetente epistolam per totum orbem misisti, jubentem eos omnes, qui carcere detinerentur, dimitti eisque crimina indulgeri. Quin atque si haec humanitati tuae testificandae non sufficerent, in haec verba scripsisti: Utinam mihi et mortuos revocare atque ad pristinam vitam reducere liceret.*

Quae hactenus de gaudio paschali ex imperatorum indulgentiis paschalibus disseruimus, ea per elegantissimam indulgentiae paschalis formulam, quam Cassiodorus (Variar. 11, 20.) integram servavit, mirifice confirmantur atque illustrantur, quam ob argumenti praestantiam et sermonis dicamne majestatem an elegantiam, dulce et jucundum est legere, saepius lectam relegere. En quasdam ejus partes delectas: *Macte indulgentia, quae solis deprehenderis. Tu patrona humani generis, tu afflictis rebus medicina singularis! Quia tuis non egent muneribus, cum sit*

peccare commune? Ab universis necessario peteris: quando sub te spes vitae sumitur, quae sub justitia non habetur. — Providentissime tanta res sacris solum temporibus videtur esse concessa, ut gratius mundus acciperet, unde pro rerum novitate gauderet. — Cella gemituum, tristitiae domus, apud superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte coecatus, tandem infusione lucis albescat! — Exite inclusi, vicina morte semper pallentes! Redite ad lucem, quos caligantes tenebrae possidebant, nihil amplius optata morte passuri, nisi quod adhuc poteratis occidi. Sed vos, qui nulla debetis ambitione jam decipi, delicta relinquite cum catenis, dierum beneficiis absoluti. Vivite nunc honeste, qui didicistis superstites mori. — Secreta pavescite, ad forum sine trepidatione venite. Illa juste refugitis, per quae tristia pertulistis. Mirentur vos liberos, qui viderunt vos reos. Ad te claustrorum magistrum verba revocemus. Patere, poenale secretarium tuum innocenter esse secretum. Torqueris quidem, quod nullus affligitur; a communibus gaudiis moestus exciperis, dum tibi soli non parcitur venia generali, lividae invidiae comparandus. — Illos tibi tantummodo vindica, quos lex pietatis gratia non relaxat, ne, cum truculentis parceret, asperrima facinora levigaret. Solvamus ergo cuncta, secularibus actibus implicati. Patitur omnis homo periculosos nexus, quos festinat evadere. Claustra reos dimittant! Nos vincula improbae cogitationis absolvant! Haec dum legimus, non tantum intelligimus, quam potius sentimus, pectus humanissimum, a quo haec profecta sunt, totum gaudio perfusum fuisse summamque inde percepisse voluptatem, quod laetissimum nuncium afflictis, inter spem metumque suspensis, catenis, vinculis, tenebris oppressis affere potuerit; quod eo magis sensisse videtur, quo majus gaudium illud, quo liberati, superata fortunae asperitate fruerentur, animo conceperat, et quo magis illud tanta laetissimi diei celebritate dignum esse censebat.

Antiquissimum fuisse morem, indulgentiam criminum carceri mancipatis in celebritate et laetitia paschali largiendi, historia evangelica docet Matth. 27, 15. et Joh. 18, 39. De origine vero illius et a quibus transierit ad Hebraeos, nihil certi constat. Gentibus id in more positum fuisse, ut certis quibusdam diebus festis, sollennioribus maxime, vinctos solverent, a Jac. Gothofredo ad C. Theod. lib. IX. tit. 28 l. 3. et Joh. Alb. Fabricio in *Bibliographia antiquaria* cap. 10 §. 6 observatum est, antiquitatem vero hujus consuetudinis aetatem Mosis superare, Pharaonis exemplo confirmatur Gen. 40, 20. Ob rigorem legis Mosaicae, quae ejusmodi indulgentiam plane ignorat, originem illius rei non ab Hebraeis repeti posse, sed a Romanis debere, Grotio placet, qui credibile sibi esse ait, ab Augusto hanc gratiam concessam populo Judaico, idque mandatis procuratorum fuisse comprehensum, alioqui enim praesides Romanos nullam habuisse ignoscendi libertatem. Alienae omnino originis consuetudo ista videtur, verum a Romanis eam hic repeti posse, vel ideo dubium et a verisimilitudine alienum est, quod praeses ipse Joh. 18, 39. eam Judaeorum, non Romanorum consuetudinem, *ἔστι δὲ συνήθεια ὑμῖν*, esse dicat, et Lucas id necessario fieri debuisse, *ἀνάγκην δὲ εἶχεν*, testetur 23, 17. Id igitur consuetudine, cujus vis, si vetustas accedit, maxima esse solet, forte jam tum rece-

ptum erat, cum regum Syriae imperio Palestina subjecta erat, quod Romani diuturno usu confirmatum, cum eam in potestatem suam redigerent, deprehendisse videntur, idque mutare haud consultum esse rati, intactum reliquerunt. Caeterum hoc a moribus Romanorum non alienum fuisse, Sal. Van Til in Matthaeum ad h. l. observat et ad Digesta provocat, in quibus ad Senatus consultum Turpillianum l. 8. definitum est, abolitionem aut publice fieri ob diem insignem vel publicam gratulationem vel ob rem prospere gestam. E quibus omnibus, tam quae apud antiquissimas gentes, quam quae apud Hebraeos, quam denique, quae in imperio tam orientali quam occidentali in usu fuerunt, id abunde confirmatur, in summae laetitiae eximiique gaudii signum vinctos dimissos fuisse, et imperatores, qui indulgentias paschales laetissimo illo die per omnes imperii sui provincias indixerunt, id ad summum, quo et ipsi tempore paschali fruebantur et alios frui optabant gaudium significandum suscepisse et sic horum quoque sapienti consilio et laudabili instituto pascha vere fuit, quod esse debet, *dominica gaudii.*

XVII.

Ern. Frid. Wernsdorf de paschate annotino *).

Pascha annotinum erat, quo, qui superiori paschate baptizati fuerant, circumacto anno, baptismi sui diem religiosis et sollennibus ceremoniis, ut oblationibus, precibus ceterisque in paschali festivitate alias usitatis ritibus, ut praecipuum, ita maxime festum atque sacrum habuerunt. Vocatur id pascha etiam annotativum; quod verbum posteriore aetate, in locum annotini surrogatum, videtur usurpari coepisse: ita ut a Durando**), qui fortasse hoc, quam illud alterum, significantius esse existimabat, adhiberi potuerit. Nam annotinum pascha nihil aliud, nisi anniversarium paschatis diem, quod est generalius, designat: *annotativum* tanquam indicio nobis alique, etiam ipsam illius rationem demonstrat. Intelligitur enim, qui christianam doctrinam amplexi sunt, quo primi paschatos die baptismum acceperint, eum diem quasi annotatum habuisse; ut insequentibus annis eundem diem, agendarum Deo pro tanti beneficii concessu et munere gratiarum causa, sollenni et stato cultu celebrarent. Qui dies, etsi saepenumero in aliud, quam paschatos tempus, propter hujus varietatem et mutationes, ipse certus et in perpetuum quodammodo fixus, incidit: nihilominus pascha tamen, eodem semper vocabulo, nominari solebat. Atque id non eo tantum factum est, quod ut Durandus***) observavit, quemlibet paulo magis festum diem pascha dixerunt, id quod in quibusdam provinciis fieri solitum constat, sed etiam, ac multo magis, quia eo die officium idem, quod in altero ipso paschate, celebrabatur, praeterquam quod, si dies in quadragesimam incidisset, eo anno Halleluja cantatum non est.

Originem hujus festivitatis repetendam Durandus†) existimat

---

*) Prodiit, Univ. Viteb. progr. paschale, Viteb. 1760. 4.

**) Ration. div. offic. 7, 1. n. 37. Vocabulum annotinum quoque gr. *ἐπέτειον, ἐνιαυσιαῖον, περυσινὸν* in *glossis* redditur.

***) l. l. n. 25. *In quibusdam locis quodlibet magnum festum pascha vocatur, quasi transitus, quia de vitiis ad virtutes transire debemus.* Hodie Itali adhuc omnes majores festivitates paschatos vocabulo insignire solent, et pentecosten *pascha rosada* appellant. Pertinet huc locus apud Ottonem Morenam hist. rer. Laudens. p. 54. *Quadam die, in qua fuit pascha epiphaniae venere Crimenses.* Ceterum ad paschatos vocabulum quod attinet stupenda Bocharti Hieroz. p. I. p. 555. Drusii *comment. ad voc. N. T.* v. pascha Dieterici *antiqu. bibl.* ad Ex. 23. industria rem omnem exhausit.

†) Durandus l. l. n. 37. *Pascha annotinum vocatur, quando aliquis*

a natalitiis profanarum gentium, quae, ut ipse ait, diem, in quo ad miseriam nascebantur, natalitium observabant. Ac simillimum vero est, qui, repudiatis erroribus, salutis viam ingressi erant, eos, ut diem ante miseriarum humanarum initium, sic alterum post ea, quo primum divinorum beneficiorum participes facti essent, maxima religione, tanquam feliciorem venioremque natalem colere voluisse. Sed mallem, si quid modo tale investigari posset, consuetudinem hanc diei baptismalis in ipso templo, convenientibus undique omnibus, tot pietatis exercitiis festi agendi repetere a natalitiis principium, martyrum christianorum festis antiquissimis, et, nisi hoc posterius invaluisset, episcoporum ecclesiae qui quidem diem, quo vel ad imperium vel ad aeternam vitam vel ad cathedram evocati fuerunt, quasi auspicium novae cujusdam vitae, omni ceremoniarum et laetitiae, cultus quoque Dei publici genere celebrarunt*).

---

diem, quo baptizatus est, celebrat annuatim, quod forte sumitur a gentilibus, qui diem in quo ad miseriam nascebantur, natalitium observabant. — Debent tunc Te Deum laudamus, Gloria in excelsis Deo, etc. *cantica laudis et laetitiae cantari, formulae:* Ite, missa est, *audiri,* quas deinceps formulas vet. eccl. insigniores satis inepte explicat. Casalius pariter ex gentilium ritibus morem derivat *de vet. sacr. Christian. ritibus* p. 50. edit. Rom. fol. *Apud antiquos solita fuit celebratio anniversarii diei, quo quis fuerat baptizatus, et haec dicebatur illuminatio seu de sanctis luminibus. Et haec sollennitas a gentibus fuit desumta, dum celebrabant diem* nominalium, in quo *nomen ipsis fuerat impositum, teste* Tertulliano *de Idololat.* c. 15: Circa officia privatorum et communium sollennitatum, ut togae, sponsaliorum, nominalium, nullum putem periculum observari de statu idololatriae, quae intervenit.

*) Vide eam in rem Wilh. Ern. Tentzel *de natalitiis episcopor.* Exercitat. select. P. I. p. 345. Jac. Ouzelium ad Minuc. Felic. *Octavium* p. 96. et Joach. Hildebrand *de natalitiis vet eec. et prof.* Serius quidem *natalitia episcoporum,* s. sacra anniversaria, ubi ordinationem seu cathedram acceperant, invaluere, sed *martyrum natalitia,* nimirum publica diei, quo denatus martyr fuit, memoria sacro in ecclesia anniversario celebrata, primis et antiquissimis Christianorum festis accensenda sunt, de quibus egregius libellus Casp. Sagitarii est. Probe haec natalitia respondent sacro anniversario, quo mysticae ac spiritualis nativitatis diem veteres celebrarunt, quorum stilo dies natalis erat, non quo in hac terra nati, sed quo per regenerationis lavacrum renati, denique quo denati mortuique ad meliorem veramque vitam translati pii homines erant.

Sane in veteris ecclesiae historia invenimus natales dictos non terrenae vel carnalis, sed spiritualis nativitatis diem, quo ex aqua et spiritu in spem vivam sumus renati, ita ut cujusvis Christiani et fidelis hominis habitus sit natalitius dies, baptismi dies, quo regeneratus est et filius Dei natus. De qua υἱοθεσίᾳ nocturna Servatoris opt. max. cum Nicodemo disputatio Joh. 3. Apposite Augustinus Tr. XI. in Joh. *Duae sunt nativitates, una est de terra, altera de caelo, una de masculo et femina, altera de Deo et ecclesia etc.* Itaque duplex nativitas hominis, alter natalis ad vitam naturalem, ad spiritualem alter. B. Lutherus puerperam regni coelorum illustri quodam loco dicit baptismum, nec sine causa, quia ex incorruptibili semine et corruptibili elemento, verbo nimirum et aqua, Dei filios parit. Quae miranda nativitas, quum multo majora nobis praestet beneficia, quam prior illa, quae peccatis sordet — quid enim profuisset nasci, nisi renasci contigisset beneficium — veteres Christiani diem, quo renati, ipso die, quo nati fuere potiorem saepe duxerunt et anno redeunte piis hymnis et publicis precum atque gratiarum actionum carminibus eundem sollennem habuerunt, addito quoque, si res ferebat, convivio, quod gentili ritu *lustricum* vocarunt.

Videtur autem, quantum argumentis aliquot colligendis intelligi potest, initio mos ille privata quorundam pietas fuisse, quae deinceps publica sit facta, postquam in vigiliis paschalibus aut sabbato magno sollennior baptismus adultorum, aqua lustrandorum, usurpari consuevit. Nam scimus hunc morem fuisse Romae atque aliarum ecclesiarum, ut, nisi diebus festis paschatos et pentecostes, baptismum nemini, praeterquam infantibus, aut gravi et periculoso morbo afflictis conferrent; propterea quod, veterum Christianorum opinione, ut jam sec. II. Tertullianus scripsit*), pascha praestaret. Idem etiam ex Basilio M.**) aliisque cognoscitur, neque aliud baptismi adultorum tempus, quam pascha, in conciliorum decretis definitum videmus***). Quod institutum ecclesiae veteris longe optima et plenissima ratio defendit. Alio die non tantum temporis institutioni examinationique eorum inprimis, qui baptizandi erant, dare poterant sacerdotes, quam statis his antepaschaliorum †) diebus, quibus luctui publico, poenitentiae, jejuniis omnes

---

*) De baptismo c. 18. *Diem baptismo sollenniorem pascha praestat, quum et passio Domini, in qua tingimur adimpleta est.* Vide Pamelium ad h. l. n. 131. et Th. Milesii not. ad Cyrilli Cateches. mystag. I. p. 277.

**) Exhortat. ad baptismum (T. II. p. 113. ed. Garnerii) *Τί δ' ἂν γένοιτο τῆς ἡμέρας τοῦ πάσχα συγγενέστερον πρὸς τὸ βάπτισμα; Τὸ δὲ βάπτισμα δύναμίς ἐστι πρὸς τὴν ἀνάστασιν· ἐν τοίνυν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἀναστάσεως τὴν χάριν ὑποδεξώμεθα.* Gregorius Naz. (40. T. I. p. 639.) *Τὸ πάσχα μοι τιμιώτερον. Τὴν πεντεκοστὴν ἐκδέξομαι. Χριστῷ συμφωτίζεσθαι βέλτιον. Χριστῷ συναναστῆναι κατὰ τὴν ἀναστάσιμον ἡμέραν.*

Quid Siricius P. R. de hoc more decreverit, ex genuina ejus ad *Himerium* epistola cognoscitur, quam vide illustratam a Wilh. Wall *in hist. baptismi infantum* ed. Schlosser T. I. p. 275. Obtinuit haec consuetudo adhuc tempore Caroli M. imp. Nam Capitulare 5, 104 praecipit: *ut baptismus non fiat nisi statis temporibus*, i. e. *pascha et pentecoste nisi infirmitas intercesserit* et l. 6, 178. *ut baptizare nullus praesumat nisi per duo tempora* i. e. *vigiliam paschae et pentecostes nisi immineat mortis periculum.*

***) Matisconense c. 3. *Non licet absque paschae sollennitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos grabbatarios dicunt.* Gerudense Can. 4—5. idem decernit: *de catechumenis baptizandis id statutum est, ut in paschae sollennitate vel pentecostes, quanto majoris celebritatis major celebritas est, tanto magis ad baptizandum veniunt.* Hinc Walafr. Strabo *de rebus eccl.* c. 26. scribit: *tempora baptizandi legitima pascha et pentecoste praefiguntur secundum decreta Siricii, Leonis etc.*

†) Nota sunt sollennia vet. eccl. antepaschalia, quae his maxime rebus ab aliis cultus publici exercitationibus distinguebantur, institutione catechumenorum, poenitentia, jejunio, quae singula peraccurate describit Joh. Mich. Fischerus *sollennia vet. eccl. antepaschalia.* Lips. 1704. Nec contemnenda habet Gerh. Theod. Meier in libro: *Tria novellorum nascentis ecclesiae Christianorum initiamenta, baptismum, catechesin et manuum impositionem* continente. Helmst. Joh. Faes libro *de hebdomade magna.* Quo pertinet innumerabilis multitudo eorum, qui de quadragesima scripserunt: Joh. Dallaeus, Joh. Filesacus et alii a J. A. Fabricio in *Biblioraph. antiq.* p. 332. laudati, quibus, ut multi addi possent, ita praecipue J. G. Walch *de jejunio quadrages.* Joh. Gottl. Ehrlich de eodem arg. Lips. et progr. Gotting. 1741. ed. *de jejunio antepaschali in eccl. Alexandr. sec. III.* Videtur illud jejunium pro diversitate ecclesiarum admodum variasse, aliis plus, aliis minus temporis eidem tribuentibus, aut majorem rigorem servantibus. Initio videtur tantum quadraginta horarum fuisse quam diu ablatus sponsus erat,

omnino; sacerdotes autem hoc amplius institutioni catechumenorum, quemadmodum hodienum nostris in ecclesiis fit, ita, hoc unum praeter cetera studiosissime agentes, vacabant, ut plures hebdomadas et uberioribus praeceptis illos instruerent et severiori disciplina praepararent.

Quos quidem, tametsi suum quisque nomen*) quadraginta totis

---

deinceps autem ad exemplum jejunii Mosis, Christi, Eliae ad quadraginta dies extensum fuit. Praeterea necesse erat, ut adulti in vigiliis paschalibus baptismo initiandi precibus, poenitentia, jejuniis aliisque status ipsorum mutationi convenientibus exercitiis aliquid temporis tribuerent, antequam sacrum illud foedus inirent, ut serio et constanti proposito firmati ad sacramentum accederent. Itaque, quia in pervigilio paschatos colendo maxima veterum Christianorum constantia atque concordia cernebatur, plurimis etiam illud in memoriam revocabat, quod tunc Christianorum sacris initiati novique ecclesiae filii Christo nomen dederint; quia denique magnus eo tempore proselytorum numerus esse solebat, et recta eorum vivendi ratione bonam partem spiritualis ecclesiae felicitas nitebatur: videbatur omnino res tanti momenti esse, ut coetus universus eo tempore, cum ipsis ac ipsorum causa, precibus ac jejuniis operam daret. Jejunium hoc, quamquam ejus in sacris libris mentio nulla est, tamen memoratur a Justino Martyre *Apolog. I. ad Anton P.* prope finem p. 88. ed. Thirlb. *εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς.* Idem quoque apud Tertullianum lib. de bapt. c. 20 legimus: *ingressuros baptismum, orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum.* Et haec, quod tam multi in vigiliis paschalibus baptizandi essent, haud postrema videtur fuisse causa nati jejunii antepaschalis, quod quadragesimale vocant. Eandem rationem etiam allegat Binghamus *Orig.* Vol. 8 p. 197; praemiserat tamen tres alias causas §. X. p. 184. vide Casp. Calvoer *rituale ecclesiast.* P. II. p. 300.

*) Haec est prima ceremonia, quod catechumeni, qui tingi cupiebant, nomen darent suum, ex quo tempore competentes dicebantur. Exhibebant nempe in scheda nomen, genus, patriam, aetatem etc. episcopo. Ex scheda ista ad baptismum ordine evocabantur sollenni hac diaconi formula: *Catechumeni procedant et vocentur ipsi infantes ab acolytho in ecclesiam per nomina et ordinem sicut scripti sunt.* Data nomina referebantur in diptycha ecclesiae. Hinc Conc. Carthag. IV. can. 85.: *Baptizandi nomen suum dent, ac diu sub abstinentia vini ac carnium et manus impositione crebro examinati baptismum percipiant.*

Altera ceremonia ante baptismum sunt: scrutinia s. exploratio, an firmiter credant et sincere, cujusmodi septem plerumque erant. Tertia est abrenunciatio Satanae et operum ejus. Constitut. Apost. 7, 42. Quarta, fidei professio. Quinta; signum crucis in fronte et pectore ad significandum, non autem aliquid spirituale efficiendum, potius indicandum, sub hoc signo militandum, hoc salutem sperandam, hoc victoriam partam. Sexta verba exorcismi non *ἐνεργητικὰ*, sed tantum commonefactoria, quibus Satanas per baptismum ejiciendus significatur. Septima: exsufflatio. Octava: gustus salis, ut condimentum sapientiae perciperent. Nona: Impositio manuum ac benedictio sacerdotalis. Decima: unctio oleo benedicto in pectore et scapulis. Undecima: abstinentia vini et carnium aliaque opera *poenitentiae*, non quidem ad satisfactionem, sed ut paratiores accederent ad sacramentum baptismi. Haec sunt ceremoniae ante baptismum. Bellarminus *de sacram bapt.* l. I. c. 24. numerat 22. et in tres classes eas distribuit, ante baptismum 12. quae eum comitantur 5. quae sequuntur 5. Durandus 6, 8. Burchardus *de sacram. eccl.* l. 6. plures enumerant. Omnes luculenter recitat Joh. Bapt. Casalius *de vet. sacris christianor. rit.* c. 5, p. 33—51. Inprimis copiose Josephus Vicecomes *Observatt. ecclesiast. de antiquis baptismi ritibus* (Mediol. 1615. 4.) Plures, qui de baptismi ritibus antiquis commentati sunt, laudat J. A. Fabricius *Bibliogr.*

diebus ante jam profiteri debebat, in doctrina tamen jam eo usque oportebat esse progressos, ut ab ipsis et symboli verba recitari*) et fidei ratio percontantibus atque interrogantibus viginti plus minus dies sacerdotibus, concurrente ad illorum examinationes et professiones audiendas populo, reddi posset. Hi igitur in sabbato magno, postquam ultimum scrutinium subierant, electorum sibi acquirebant ad perbreve horarum spatium nomen**). Iis ipsis enim vigiliis***) hora nona, vel, ut nostri loquuntur, tertia pomeridiana†), in conspectu et facie fidelium, quibus lucida illa nox in memoriam revocabat, quod in ea Christianorum sacris initiati novique ecclesiae filii Christo nomen dederint, in

---

p. 385. et Petr. Zornius *opuscul. sacr.* T. I. p. 725. adde Joach. Hildebrandi *rituale bapt. vet.* Walchii diss. *de ritibus bapt.* sec. II. Jenae 1749. Joh. le Sueur *histoire de l'Eglise et de l'Empire* T. II. p. 107. Car. le Cointe *Annal. eccl. Francor.* ad an. 496. ubi de baptismo Clodovaei.

Initiationis per baptismum ritus, ut est a Servatore institutus et mandatus, in nascente et adolescente ecclesia erat simplicissimus, ut ex Tertulliano (*de baptismo* c. 11.) discimus: *Nihil obdurat magis mentes hominum quam simplicitas divinorum operum, — sine pompa, sine apparatu novo, sine sumtu homo in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus, nihilo mundior resurgit, et incredibilis existimetur consecutio aeternitatis. Idolorum sollennia apparatu et sumtu fidem et auctoritatem sibi exstruunt.* Sed ut est ingenium hominis, non cupit adquiescere in scitis divinis, iis de suo aliquid superinducere gestiens, mirificeque talibus additamentis sibi placens. Factum hinc, ut ritui substantiali multos deinceps adjecerint ac varios, partim symbolicos, partim ad splendorem facientes, saepe ex superstitione. Ritus primarius habet duos actus, tinctionem et invocationem S. S. Trinitatis. Multitudinem vero et varietatem talium rituum cognoscimus ex ritualibus Romanae ecclesiae libris. Sane si evolveris Barth. Gavanti *Thes. sacr. rituum* quem novis observatt. et additionibus ed. Cajet. Mar. Merati (Romae 1337.) et T. II. p. 1127. quae de ritibus in sabbato sancto ibidem praescripta, de benedictione cerei paschalis, fontis baptismalis, et, quae uberius explicat Merati, obstupesces inanium harum ceremoniarum causa.

*) De hac fidei professione peraccurate agit Wilh. Wall *hist. baptismi infantum* P. II. p. 528. cujus commentatio Schlosseri observationibus ibidem eximie nobilitatur. Disquiritur ibidem quoque p. 563., an ex formula professionis fidei baptismali ecclesiae Romanae natum sit sec. IV. symbolum, quod apostolicum vulgo dicimus.

**) Vide Siricii P. R. *epistol. ad Himmerium* Tarraconens. supra adductam et Rupertum Tuit *de offic.* 4, 18.

***) Indolem spirantemque in vigiliis paschalibus Christianorum pietatem cognoscimus ex Jos. Faes *hebd. mag.* p. 523 ss.; ex instituto habemus eam expositam a Ge. Henr. Goetze diss. de *vigiliis paschalibus vet. Christ.* et a Mich. Ehrenfried Krause de *pervigilio paschatos*, ubi haec nocturna sacra, abstinentiae rigor, ardor precum, quae hanc lucidam nobilitabant noctem, describuntur, in primis autem de sollenniori illius temporis baptismo copiosus agitur, quem nuper admodum pec. progr. illustravit Heilmannus: *de baptismate paschali.* Gotting. 1758. 4.

†) Horam sabbati magni nonam vel, ut novissimis diem metiendi rationibus accomodatius loquar, tertiam pomeridianam initiationis sacramento fuisse maxime destinatam, ex Gregorio M., Paullino, Cyrillo Hieros. probavit Vicecomes *de antiq. bapt. rit.* l. I. c. 22. Sed adsunt numero plura loca veterum, quae nocturno tempore peractum baptismum monstrant adducta a Krausio cit. diss. p. 26. Quae quidem ita conciliari posse videntur, ut statuamus, crescente baptizandorum numero, qui una tingi solebant, saepius ad adultam noctem sacra illa fuisse protracta.

sacrum *) baptisterii fontem trina mersione ab episcopo immergebantur **). Qua initiatione peracta, et osculo pacis accepto, nec non lacte

---

*) Baptismus fiebat in loco publico, quo honore non adficiebantur clinici, qui urgente morbi vi, quando baptismi desiderio flagrabant, per adfusionem in lectulo suo baptizabantur.

Antequam vires eas christiana religio adquisiverat, ut templa haberet, *nulla*, ut Tertullianus ait, de bapt. c. 4. *distinctio erat mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur*, *alios Johannes in Jordane*, *alios in Tiberi tinxit*. Post, quum templa obtingerent, partem exedrarum aut locum eis vicinum huic usui destinarunt, qui *baptisterium* dictus fuit, cujusmodi temporibus Constantini M. amplissima exstruebantur, ut ingentem hominum multitudinem capere potuerint, quandoquidem in ejusmodi aedibus saepe concilia habita scriptores ecclesiastici memorant. Habebant illa *baptisteria* cisternam, fontem aut lacum, satis amplum, ut plures simul aquam ingredi possent, divisumque aliquo discrimine in patres duas, quorum altera maribus, feminis altera inserviebat, siquidem ordine fieri sacra lotio posset. Data opera haec descripsit Jo. Henr. Wedderkampf *de baptisterus veterum* Helmst. 8.; alios etiam auctores indicavit J. A. Fabricius *bibliogr.* p. 301. et 391. Cfr. Binghamum *Orig.* Vol. 3. p. 252 et Vol. 4. p. 258. Car. du Fresne in *Constantinopoli christ.* p. 73.

Primum Cloduvaeum regem in ipsa sacra aede baptizatum fuisse, Vicecomes *rit. ant. bapt.* l. l. c. 6. auctor est, sed repugnat Lecointe *Annal. Franc.* ad a. 496. p. 144. recentiorem multo baptisteriorum in templis construendorum morem esse, observans.

**) Ordinariae *immergendo* sacra fiebat ablutio, morbi casu et similibus adfusione aquae in faciem utebantur. Priorum XI. sec. historia id constat, quae simul modum mergendi memorat, nempe et totum corpus, et prorsus nudum, et ter aquis mersum fuisse. Cf. Vossium *de Baptismo* T. VI. Oper. p. 275. Ritum esse apostolicum, nullum est dubium, sed praxeos, non praecepti apostolici, VI. jam sec. in occidentalem ecclesiam invectam fuisse adspersionem credit Beausobre *histoire critique du Manicheisme* T. I. p. 419. Gallia eam prima emisit, deinceps in aliis quoque provinciis fonti peluis substituta est. Vid. Wallii *hist. bapt. inf.* T. II. p. 487. Trinae mersionis usus, qua ter baptizandi caput sub aquas deprimitur, constanti antiquitatis consuetudine obtinuit, quo ritu velut argumento utitur *contra* unam tantum personam in trinitate statuentem *Praxeam* c. 26. Tertullianus. Est ad repraesentandam triduanam Christi sepulturam atque ad S. S. Trinitatem exprimendam. Ostenderunt trinam mersionem per plura secula observatam Joh. Dallaeus *de cult. Latin.* l. l. p. 84. Forbesius *Instruct. hist. th.* p. 466. T. II. Opp. Edm. Martene *de antiq. eccl. rit.* I. l. p. 129. Pet. Arcudius *de concordia eccl. or. et occ. in septem sacram.* 1, 9. Administratores baptismi fuisse episcopos, nonsolum ex ep. Ignatii constat ad Smyrn., sed etiam ex Tertulliano, *dandi*, ajente, *jus habet summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc episcopi et diaconi*, *non tamen sine episcopi auctoritate*. Hi igitur ter caput baptizandi in aquam demergebant, mersionibus singulis ad nomina S. S. Trinitatis singula adhibitis, denique frontem cruce signabant. Detrahebatur baptizandis toga et in pallium mutabatur, quae actio in proverbium apud profanos deinceps abiit: *a toga ad pallium.* Cfr. Tertull. *de pallio*, ubi etiam de suscepto christianismo laetabundus exclamat: *Gaude pallium et exuito*, *melior jam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire coepisti.*

Hujus stolae albae primus mentionem facit Cyrillus *Catech.* p. 322. (ed. Toutée. Paris. 1720.) et significabant ea neophyti, ablutos se esse criminibus suis sanguine agni, Christum induisse, lucis et diei filios factos. Cfr. Godofr. Wegner de *de alba veste baptizatorum.* 1715. 4. Regiom. Ritum non cum C. G. Schwarzio ex manumissionibus Romanorum ad sancti baptismi negotium translatum statuerem, diss. *de ritu manumiss. ad bapt. transl.* Altorf. Gestabant per octiduum candidas vestes, in octava paschatos s. dom. quasimodo-

et melle delibato *), candida cohors sacrae eucharistiae particeps reddebatur. Itaque hujus diei memoria, quo immortali a Deo beneficio ornati, discipuli Christi redditi, et in viam ad salutem aeternam perducti erant, non poterat non veteribus christianis esse gratissima, cujus servandae causa hanc λαμπρὰν τῶν φωτῶν ἡμέραν**) sollicite annotatam anniversario sacro celebrandam duxerunt.

Cujus religionis causa convenere ad cultum Dei publicum eo ipso, quo quondam tincti fuerant die, in templis, quae precibus, laudibus divinis, congratulationibus et hymnis hallelujaticis, ut in sollennitate paschali mos erat, personabant***). Factae sunt oblationes †), et omne

---

geniti deponendas, quae ideo dominica in albis dicebatur. Erat symbolum fidei, innocuae vitae quamdium viverent, et innocentiae, ad vitam olim aeternam consequendam. Usus in infantum pariter ac adultorum baptismo fuit.

*) De hac *infantatione* singulari opera commentatus est Chr. Henr. Zeibichius *de infantatione baptismali per concordiam lactis et mellis*. Cfr. Pet. Zornium in *hist. Eucharistiae infantium* c. 2. p. 17.

**) Gregorius Naz. orat. 40. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα (T. I. Oper. p. 637.) statim sub initium dicit se *splendidum τῶν φωτῶν diem* oratione panegyrica celebrasse, quod non de epiphaniorum festivitate, sed de *paschate annotino* intelligo et causas hujus meae conjecturae in ipso hujus orationis Gregorii exordio mihi quidem reperire videor. Nam, ait, majori illum diem laetitia prosequendum esse, quam eum, quo nati in his terris vel matrimonio juncti simus. Aliam nativitatem sacros libros agnoscere ἐκ σωμάτων, aliam ἐκ βαπτίσματος. Alterum nativitatis genus esse nocturnum et servum cum libidine conjunctum, alterum diurnum et liberum, vim habens depellendarum vitiosarum affectionum a nativitate contractarum.

***) Gregorius Nyss. *orat.* 3. *in Christi resurrect.* (T. III. p. 419.) universum feriis paschalibus terrarum orbem, veluti unicam domum, summa omnium consensione precum studio intentum esse adfirmat. Fiebant autem preces iis diebus pro salute inimicorum, pro captivorum libertate, pro ejectis in solitudines et rel. Praecipuum paschatos caput erant Dei laudes, Dei memoria, Dei gloria, ut praeclare monuit Gregorius Naz. *orat.* 38. Hinc persaepe aures Christianorum pulsabat divinum illud *Hallelnja*, quod Romae nonnisi semel anniversario ritu primo paschatos die cantitatum fuisse Sozomenus hist. eccl. 7, 19 tradit. Sollenne etiam illud: *Gloria in excelsis Deo!* hoc duntaxat die, teste Grgorio M. s. init. *Sacramentarii*, audiebatur. Hymnis vel maxime gaudium spirituale excitari poterat, quod illo inprimis tempore omnium perfundere mentes debebat.

Praecipue cantabantur *psalmi*, et quidem ii, quorum clausula *Halleluja* erat, et in ecclesia V. T. judaica jam sollennes fuerant. Ostendit enim P. Jurieu (*histoire critique des dogmes et des cultes* p. 329.) quondam, quum in templo mactarentur agni paschales et sanguis adspergeretur, cantica fuisse adhibita ex Psalmis 114, 115 ss. contracta. Quod igitur in festivitate triumphantis Christi, idem et in paschate annotino.

†) *Oblatio* persaepe denotat eucharistiam, quam in magnis festis praecipue paschatos, sumebant fideles. Horum *oblationes fidelium* in genere appellabantur, quaecunque a piis Christiaris offerebantur ecclesiae, sive fierent in pane et vino, ex quibus symbola eucharistica sumebantur, sive pecuniariae essent, ex quibus pars in usum pauperum, pars in usum cedebat clericorum. Et erat haec veterum in paschate religio, ut liberalitatem publice demonstrarent. Novissime hoc argumentum copiose satis, magno volumine excussit Franc. de Berlendis: *de oblationibus ad altare communibus et peculiaribus*. Venetiis 1743. 4.

officium peractum, quod in maximis festivitatibus obtinebat, epulum quoque amicorum lustricum, peractis sacris, institutum *).

Haec fuit paschatos annotini facies florentissimis ecclesiae temporibus, quibus adeo minus superstitionis et inanium ceremoniarum ritibus admixtum deprehendebatur, ut in hac nostra expositione ad ea perpetuo duceremus respiciendum.] Sequentibus autem secalis ab hac paschatos annotini celebrandi ratione mirifice descitum est. Baptismum procrastinandi vitium, non adultorum solum, sed etiam infantum, effecit tandem, ut concessa passim praeter stata paschatos et pentecostes tempora baptizandi libertate, tacito velut consensu istud temporum discrimen paullatim desierit**), cui in graeca orientis ecclesia jam antiquioribus temporibus parum fuerat tributum***).

Quo sublato discrimine, publicum et maxime sollenne baptisma ad paschatos tempus adstringendi, inprimis quum, longe lateque prolata religione christiana, adultorum, qui una tingi potuissent, sensim decresceret numerus: paschatis annotini quoque celebratio decrevit, denique sublata est. Viguit adhuc sec. p. Chr. VIII. Hincmari Rhemensis †) temporibus sollenmioris baptismatis consuetudo, sed sub finem sec. XI., quo floruit auctor Micrologi ††), qui perperam Johannis nomen praefixum habet, deprehendimus conquerentem de neglecta paschalis annotini celebratione †††). Verba ipsa jam adscribamus: *Romani annotinum pascha quasi anniversarium pascha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori pascha baptizati erant, insequenti anno eadem die*

---

*) Videtur Gregorius Naz. orat. 40. t. I. ejusmodi conviviis probabiliter sobriis vix applaudere, medio certe aevo in annotino paschate talia non fuerunt, sed longe diversa. Nam Rudobertus Magister *S. Galli* convivia in annotino paschate memorans ep. 7. scribit: *Quaeris a me quid sit* pascha annotinum? *Est conventus compatrinorum ad missas ejusmodi per omnes octavas sabbati sancti, id est baptismi per annum, et per ordinem cujuscunque cum ceteris convivium. Quod vidimus, hoc testamur. Presbyter symbolum super infantem dicit et mensae participat aquam sapientiae.*

**) Indicat hoc non obscure Rupertus Tuitiensis l. 4. *de div. offic.* c. 8. *Postquam christianitas crevit, et sagena illa verbi Dei piscibus impleta est, quia periculosum erat, tantam multitudinem differre, propter occasiones mortis, quae in multitudine hominum multae sunt, maxime propter turbam infantium ex fidelibus parentibus nascentium, quorum tenera vita persaepe levi occasione succiditur, visum est sanctae ecclesiae, passim indulgentia baptizandi concessa, immo oblata, cuncta antevenire pericula, baptismi tamen sollennitatem vel in paucis, cum dominicae resurrectionis, cui similis est, celebrare.* Vide Casp. Calvoerii rituale eccles. l. I. Sect. II. p. 275. et 283.

***) Probavit hoc ex illustribus, Basilii, Chrysostomi ipsius etiam Tertulliani locis Binghamus *Orig. eccles.* 4, 11. p. 256.

†) *Opusc.* 55. *capitulor.* c. 31. Docent id abunde *capitularia regum francor.* a Steph. Baluzio edita T. I. p. 418. 955. T. II. p. 1402. Vide ibidem *notas* Baluzii p. 1211.

††) Micrologus *de ecclesiast. observ.* c. 56. T. 4. *Biblioth. patr.* Paris. p. 628.

†††) Eadem habet Honorius Augustodun. 3, 137 et Beletus *de divin. offic.* c. 83. *Vocatur pascha annotinum, quando aliquis diem, quo baptisma suscepit annuatim celebrat: atque eo tum ipsius diei paschae officium integre cantari debet, praeter* Halleluja, *si accidat tempore quadragesimae.*

ad ecclesiam convenere, suaeque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus sollenniter celebraverunt. Cujus diei hoc erat officium: Resurrexi per totum. *Lectio:* Vidi ostium. *Evangelium:* Erat homo ex Pharisaeis Nicodemus, *cum orationibus ad hoc competentibus, quae omnia apertissime de gratia regeneratorum agere videntur. Sed quamvis hujusmodi anniversarius a paucis uspiam observatur, authentici tamen libri ipsum observari debere innuunt, qui nobis lectionem et evangelium sub titulo paschae annotini, annuatim praescribunt. Si enim quilibet suum natalem, quo ad aeternam mortem natus est, observat, quanto magis illum observare deberet, quo ad aeternam vitam regeneratus est.*

Varias deinceps vicissitudines habuit illa festivitas et corrupta neglectaque jacuit, inani veluti titulo in breviariis et missalibus ecclesiae libris spirans *). Erat ille baptismatis natalis non semper status ac fixus, propter paschatis diversos in singulis annis dies, celebrandus ipsomet die recurrente, quo quis antea in sacrum immersus fuerat fontem **). Singuli praeterea fideles sua propria habebant paschata annotina, eaque celebrabant missa, haeteriis, conviviis ***), prout quisque acceperat baptismum. Tandem dominica in albis videtur statutus, incerta tamen lege, ab ecclesia dies, ad omnium baptizatorum diem anniversarium †). Ab aliis tamen pascha annotinum collocatur in sabbato ante dominicam in albis, sive clausum pascha, quemadmodum habetur in vita Petri Martyris ord. praedicat ††), aliis vicissim contendentibus cum Hugone Menardo †††) post dom. in albis fuisse celebratum. Sane fe-

---

*) Edm. Martene *de antiq. eccl. rit.* l. 3, 26. T. III. p. 511. edit in fol. In antiquioribus sacramentatorum libris et in breviario eccl. Paris. notari obsoletum *pascha annotinum*, scribit, ut ille anniversarii paschatis dies anni praecedentis, festive recoleretur.

**) Atque hunc in modum pascha annotinum incidere poterat in quadragesimam vel in ipsam hebdomadem magnam, quo in casu negant scriptores de divinis officiis licitum fuisse cantari Halleluja, quamquam alias integrum ipsius paschatos officium in paschate annotino retentum et cantatum fuerit V. Durandus l. 7. c. l. n. 37. 38. Beletus *de div. offic.* c. 84. Putabatur autem Halleluja magis canticum laetitiae, quam alia ejusmodi cantica, quae sunt magis obsecrationes seu gratiarum actiones.

***) Vide Ruodberti Magistri locum supra allegatum.

†) In plurimis enim missalibus libris officium s. missa paschatos annotini ita adjungitur officio dominicae in albis, ut eodem celebratum par sit credere die.

††) Habetur haec vita in Bollandi actis sanctorum Antwerp. ad 29. apr. Tom. III. p. 698. Memoratur ibi dies, quo Petrus in via a sicario interfectus fuerit: *Sabbato, qui est septuagesimae finis, quodque sabbatum in albis et annotinum pascha vocatur athleta Christi de conventu suo ad pugnam Mediolani rediens etc.* Notavit ad hunc locum Papebrochius, annotinum vocabulum quasi consummatum et absolutum indicare velle idem ac pascha conclusum. Apud Bedam *de computi ratione* dici, quod computus in primo circuli decem novennalis anno, propter rationem saltus lunaris duodecim diebus annotinum cursum praevertere soleat, ibi motum annotinum pro perfecto sumi. Sabbato autem ante octavas paschae, quo alba vestimenta deponuntur a neophytis, dicitur finiri septuagesima in ordine Romano.

†††) Notis ad *sacramentarium* Gregorii M. Papae, T. III. oper. Greg. ed. Benedict. p. 390. In *Martyrologio Victorino*, pascha annotinum dicitur

stivitatem hanc, licet saepius ita neglegctam, ut plane abrogata videri potuerit, tamen passim inventi sunt, qui eam revocandam censuerint et ornandam. Habetur ejusmodi votum ex *Herardo Turonensi* archiepisc. apud Edm. Martene*), nec bina dum fluxere secula, ex quo Carolus Borromaeus concilio a. 1582. auctoritate romani pontificis munitus, Mediolanum convocato, festi restituendi causa decretum formavit**), suis non defraudandum laudibus. Videtur tamen majoribus depraedicanda laudibus eorum religio, qui quemlibet anni diem, divini et plane immortalis beneficii, per baptisma in nos collati, grata memoria insignire consueverunt.

---

dominica, quae paschalem subsequitur. Sed id negat Hugo Menardus putatque fuisse post dominicam in albis celebratum, quum in codicibus MCS. ejus missa assignetur tantum post praedictum diem, quod etiam innuere videtur *Ordinar.* MSS. *ecclesiae Rotomagiens: Nota, officium de annotino paschate non potest fieri, nisi evenerit post octavam paschae.* Ei alibi *de festo S. Romani: si in die octavarum paschae evenerit, fiat memoria tantum de illo in ultimis verbis et in crastino celebretur, nisi fuerit annotinum pascha et tunc reservetur usque ad tertiam feriam.* Inclinatiori quoque animo est, *pascha annotinum* post dominicam in albis collocandi Edm. Martene e. l. T. 3. p. 511. et rubricam cap. ibidem fecit: *de diebus infra octavam paschatis et de paschate annotino.* Ponit deinde variis adductis rationibus in alterum diem post dominicam in albis pascha annotinum.

*) L. l. refert decretum Herardi in *Capitulari* artic. 93. *de pascha annotino notamus, ut rememoretur.*

**) Tom. II. Summae Concilior. Bailii p. 496. *De baptismo religiosi instituti olim fuit, diem baptismi quotannis a fidelibus pie celebrari, id quod Gregorius Naz. aliquando ostendit. Quae sane institutio, quum ad pietatis cultum piamque morum disciplinam non parum adjumenti, inprimis adjutrice Dei gratia afferre possit, eam in usum revocari vehementer in Domino cupimus, Itaque parochus et confessarius, prout occasio tulerit cohortationis officio, in id incumbat, ut fidelium, quorum gerunt curam, unusquisque quo baptizatus est, quotannis ardentiori prece, eleemosyna, si per facultates potest, omnique caritatis opere atque officio, spiritualis gaudii celebritate recolat, memor se chirographo damnationis deleto, hereditatis coelestis participem in Christo Domino factum esse.*

XVIII.

Joh. Andr. Schmidt de cereo paschali *).

Quamvis ab initio, dum in persecutionis aestu Christianis ipsa solis luce, velut aqua et igne, interdicebatur, dura necessitas eam illis praescripserit legem, ut pernoctationes ad lucernas instituerent atque ante lucem convenirent **); omnes tamen illae noctes, etsi lucidae, cum sollenni paschatos vigilia, qua toto anno non erat splendidior ulla, minime conferri poterant. Certatim enim fideles confluebant ad preces, ad hymnos lectionesque sacras, atque ad seram usque noctem in iisdem perseverabant; ex traditione forte apostolica, in die vigiliarum paschae ante noctis dimidium populos dimittere non licere, exspectantes adventum Christi ***). Ex quo vero ecclesiae pax et quies restituta fuit, ex quo illius nutritii, nomen Christi profitentes, tenebras, quibus involuta videbatur, Dei nutu dispulerunt, ita splendere coepit nox ista, ut superiori tempore auroram duntaxat praeluxisse et nunc mage claram successisse diem dixeris. Constantinus M., qui ecclesia stabilienda, amplificanda, ornandaque omnem operam posuit, sacram vigiliam in diurnum splendorem converterat, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis per eos, quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accensae cuncta passim loca illustrabant, adeo ut haec mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur †). Quod Christiani hucusque in ecclesia solum fecerant, Constantinus etiam extra eandem fieri voluit, more in magnis civitatibus alias usitato, ut in praecipuis sollennitatibus noctu lumina accenderentur in compitis. Hujus principis ad exemplum reliquis componebatur orbis, haud impari pompa festum illud deinceps celebraturus, publice id depraedicante Gregorio Naz. ††) atque huic consentiente Gregorio Nyss. †††). Vel si Prudentium, poetam christianum, audire malumus, eleganter illum paschales ceremonias, de quibus loquimur, descripsisse deprehendemus †*):

Pendent mobilibus lumina funibus
Quae subfixa micant per laquearia:

---

*) Prodiit, Univers. Helmst. progr. paschale, Helmst. 1692. 4.
**) Plin. epist. 10, 97.
***) Hieronym. ad Matth. 25. 6.
†) Euseb. de vit. Const. 4, 22.
††) Orat. 42.
†††) Orat. paschal. quarta.
†*) Hymn. ad incensum lucernae v. 141 ss.

Et de languidulis fota natalibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro.
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare trionibus
Et qua bosporeum temo regit jugum
Passim purpureos spargier Hesperos.

Adeo quod primis temporibus fuit necessitatis, postea facultate concessa ecclesiae, sacra sua liberius celebrandi, res omnis in eam abiit magnificentiam, an devotionem?

Tam splendida autem nox *cereo paschali*, qui in ecclesia Latina quotannis in festi hujus vigilia consecrari solet, originem occasionemque dedisse putatur Chemnitio *) et Hildebrando **); licet Gretserus ***) cereum istum non duntaxat ad tempora illa, sed ad vigilias usque Christianorum, primis jam seculis noctu convenientium, reducere malit. Damus quidem illi hoc, usum cereorum seu candelarum seu lampadum accensarum jam tum extitisse, quia neque olim Christiani vigiliis insistentes in tenebris sessitabant, sed noctis caliginem facibus funalibusque superare contendebant. Praeter hunc vero usum paschalis cereus commune nihil habet cum illis, utpote non consecratis et publice privatimque accensis, in templis aeque ac in compitis. Circumspecte magis scripsit Henr. Valesius †), columnas illas cereas, quas a Constantino positas memorat Eusebius, *cereum paschalem optime designare*, quem in vigilia paschali accendere solent et de quo nos ipsi infra dicemus, columnis quoque eum fuisse impositum. Primam potius originem primamque occasionem non solius cerei, verum et benedictionis circa illum usitatae, definire velle, uti admodum difficile est, sic neminem id praestitisse scimus. Quicquid enim testimoniorum ex sequentis aevi scriptoribus producitur, magis rem jam extitisse, quam tunc demum coepisse probat; quemadmodum et alterum, non ubivis statim illum obtinuisse morem consecrandi cereum et lucernas, dissertationis hujus progressus monstrabit.

An autem *Prudentio* cereus iste in peculiari hymno laudatus sit, ut Baronius ††) contendit et cum eo Gretserus †††) atque alii, neque inscriptio hymni, quae in exemplaribus nonnullis *de cereo paschali* legitur nec carmen ipsum nobis persuadere potest. Praeterquam enim, quod tituli sermonum, homiliarum atque hymnorum ab aliena manu adjecti saepe minus convenienter, ut in Augustini, Maximi Taurinensis aliorumque sermonibus cuivis, rubrum nigro attente conferenti, observare licebit; certe plura exemplaria legunt *ad incensum lucernae*, quam cerei paschalis, notante Weizio, qui in octo manuscriptis non alium invenit titulum, neque in editionibus variis, si Fabricii atque Sichardi excipias. Eandem quoque lectionem suadet ordo hymnorum, quo illos *ad gallici-*

---

*) Exam. Conc. Trid. part. 4.
**) De sacris publ. eccl. prim. tit. de vigiliis.
***) De festis 1, 25.
†) In not. ad Euseb. de vit. Const. 4, 22.
††) Ad a. C. 418. n. 76.
†††) Loc. cit. p. 195.

nium, ad matutinum, ante cibum, post cibum, justo ordine excipiunt hymni *ad incensum lucernae et ante somnum.* Atque ex his hymnis, tanquam opere potiori et primo loco posito, sive a Prudentio sive alio quovis, denominatum fuisse puto totum librum cathemerinon, hoc est, quotidianorum seu diurnorum; quamvis sollemnibus festis, quae toto anno se offerunt, certos etiam devoverit hymnos. Si porro carmen ipsum relego, si methodum in reliquis ab auctore observatam perpendo, hoc agit, ut ad acensionem lucernae animum ad veram extollat lucem. Hunc in finem sibi sistit Deum spinifera in rubo lumine conspicuo flammeum et radium sole micantiorem, qui populum olim Israelis noctis per medium ducebat: meditatur beneficia eidem in deserto tam varie exhibita et eandem numinis unici pietatem agnoscit, *cujus subsidio nos quoque vescimur, pascentes dapibus pectora mysticis.* Delabitur tandem ad illam noctem, *sacer qua rediit Deus stagnis ad superos ex Acheronticis: non sicut tenebras de face fulgida, surgens oceano Lucifer imbuit, sed terris Domini de cruce tristibus major sole novum restituens diem;* et post descripta Christianorum officia, quae illa nocte suscipi solent, ad veram ascendit lucem, Christum, atque in eo finem imponit hymno. Neque exinde, quod Prudentium vigilias paschales sub hymni finem respicere dicimus, quicquam lucrabitur Gretserus, qui sequentia ad cereum paschalem absque dubio alludere putat: *Lumen, quod famulans offero, suscipe tinctum pacifici chrismatis unguine;* cum Victor Giselinus *), per haec verba, ex loco apud Prudentium simili **), debere intelligi jam dudum notaverit *illud lumen aeternae spei, non succulentis influens obtutibus, nec corporales per fenestras emicans, puris sed intus quod relucet mentibus.* Quale autem lumen intendit Prudentius, tale quoque chrisma illi additum voluit, spirituale nimirum, ab igne Spiritus S. accensum et gratiose tinctum, quod Deo acceptum maxime esse novimus.

Cum ergo manifestum esse videatur, Prudentium non laudasse peculiari hymno cereum paschalem, ad alios sequentium temporum doctores tendimus, visuri, quid veri falsive de cereo isthoc nobis reliquerint. Officii divini scriptores Alcuinus ***), Amalarius †), Rabanus Maurus ††), Micrologus †††), Rupertus Tuitiensis †*), Durandus †**) et alii Zosimum Pontificem Rom. instituti hujus auctorem faciunt. Sed recte observarunt Baronius †***) et Gretserus ††*) cum aliis, quod ante a Walafrido Stra-

*) In notis edit. Weizianae insertis p. 433.

**) Peristephanon 14, 432 ss.

***) De div. off. in sabbat. sanct. paschae p. m. 256. edit. Paris. per Melch. Hittorpium curatae a. 1610.

†) De eccles. off. 1, 18 p. 341.

††) De institut. cleric. 3, 38. p. 605.

†††) De eccles. observ. c. 23. p. 762.

†*) De div. off. 6, 27. p. 970.

†**) Rational. div. off. 6, 80.

†***) Ad a. Chr. 480.

††*) Loc. cit. p. 196.

bone*), *Anastasio bibliothecario***) et *Sigeberto****) notatum legimus, non instituisse Zosimum vel cereum vel ritum ipsius, sed tantum ecclesiis parochialibus consecrandi quoque cerei paschalis potestatem fecisse, cum antea in majoribus duntaxat basilicis consecrari et accendi soleret. Ex eodem capite judicandum erit minime convenire, quae in Gemma animae et Durando legimus, cereum benedici, Zosimum constituisse, *Ambrosium* episcopum vero benedictionem composuisse. Inter opera *Hieronymi* †) refertur epistola ad Praesidium de cereo paschali, ut inscriptio habet, in qua rogatus de cereo commentari quaedam debebat, nisi maluisset rem omnem ad colloquium differre, ut si quid forte nesciret, in alterius aure moreretur. Fucum alicui haec epistola facere posset, nisi Erasmus in censura illius nos monuisset, non esse hanc epistolam unius hominis et eum, qui priorem scripsit partem, aemulatum fuisse divi Hieronymi stilum, ut qui ex hujus epistolis ad Heliodorum ac ceteros, sententias quasdam ac verba sublegerit, hominem, sicut apparet, nec ineruditum nec infantem. In missali Gothico vetustissimo, quod tomus sextus bibliothecae Patrum exhibet ††), habetur *benedictio cerei beati Augustini episcopi, quam adhuc diaconus cum esset*, edidit et cantavit. Sed praeter id, quod pauci forte ausi fuerint dicere, Hipponensem hoc loco intelligi Augustinum, cum et alios episcopus sec. VI. fuisse Augustinos sciamus, Nebiensem nimirum et Augustodunensem, Hipponensis ille statim, reluctans licet et lacrymans, a Valerio episcopo, laicus, fuit ordinatus presbyter, ut adeo diaconi officium nunquam exercuerit, quemadmodum ex Posidonio, vitae Augustinianae scriptore, discimus. Ad *Theodorum* I. episcopum Romanum, qui cerei originem referre volunt, aegre id faciunt, neque in eo sibi satis constare videntur. Illo ergo omisso, concilii Toletani quarti, sec. VII. habiti, canon octavus se nobis offert: *Lucerna et cereus infra vigilias, apud quasdam ecclesias non benedicitur et a nobis cur benedicatur, inquirunt. — Et quia haec observatio per multarum loca terrarum regionesque Hispaniae, in ecclesiis commendatur, dignum est propter unitatem pacis, ut in Galaeciensis ecclesiis conservetur.* Sed neque hic nobis quicquam de prima tradit origine, potius confirmat quae super monuimus, non ubivis multo tempore obtinuisse morem illum, etsi Zosimus voluerit cereum etiam in ecclesiis parochialibus consecrari; quemadmodum et alterum nunc constare posse putamus, primam cerei benedicendi occasionem determinare difficile admodum esse, cum testimonia vel illorum temporum non sint, vel non intendant, quod probandum erat, vel moris saltem ampliationem indicent.

Quocunque tandem tempore coeperit mos iste, nobis erit perinde, qui solliciti nunc sumus de cerei ipsius consecratione, quam magno apparatu primis temporibus non fuisse factam, sed sensim eundo cere-

---

*) De reb. eccles. cap. 30. p. m. 694.
**) Ad ann. 417.
***) De antiq. ritu miss. 3, 102.
†) Tom. 2. fol. 168. edit. Basil. 1516.
††) Edit. Paris. 1610. p. 214 ss.

moniarum multitudine crevisse arbitror. Rem omnem enarrabo, prout eam officiorum divinorum scriptores ante laudati tradunt, sive ubivis observatam sive minus. Postquam cereus benedicendus, ex candida cera paratus fuit, excutitur ignis de lapide foris ecclesiam, vel ex chrystallo soli objecta elicitur et ex eo accenduntur carbones. Ante Zachariae Papae tempora vero, Romae novus ignis ex lampadibus servatis in feria quinta sumebatur *). Sacerdos facta processione de sacrario, ante portam ecclesiae, si commode potest, vel in ipso aditu ecclesiae benedicit novum ignem et quinque grana incensi ponenda in cereo; quod in ecclesia Laudunensi fit in domo episcopali. Tum diaconus accipit arundinem cum tribus candelis in summitate illius triangulo distinctis, quarum una post alteram diversis vicibus, in ingressu, in medio ecclesiae et ante altare accenditur. Dein illuminantur ex eodem lumine septem lampades ante altare, quae tamen prius sine lumine erant, ita compositae, ut absque ullo impedimento possint accendi. Cereus vero magnus, qui benedicendus est, ponitur in candelabro ante altare in medio ecclesiae, congregato hinc inde omni clero seu populo. Veniens post haec archidiaconus facit crucem in eo et illuminat illum de novo igne et benedictionem ejus absolvit, quam ideo necessariam esse putat Durandus, quoniam cereus ex simplici sua natura absque benedictione non potest transire ad significationem mysterii columnae ignis. Cereo benedicto illico illuminantur ab eodem in duobus candelabris alii duo cerei, staturam hominis habentes, ad latera majoris collocandi; imo cetera ecclesiae luminaria ex igne majoris cerei accenduntur, similiter et in omni domo, quia omnis ignis anterior, qui tunc ardebat, extingui debet. Benedictioni cerei finis imponitur sequenti formula **): *Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnem clerum et devotissimum populum, una cum beatissimo Papa nostro N. et gloriosissimo rege nostro N. ejusque nobilissima conjuge N. nec non et antistite nostro in his paschalibus gaudiis conservare digneris.* Si imperator nondum est coronatus, ei additur electi titulus. Cum vero imperator vita functus erat, mutantur illa verba hunc in modum: *Respice etiam ad Romanum imperium, cujus tu Deus fidelium vota praenoscens etc.* ut anno 1519 et 1658 observatum fuisse scribit Dominicus Macer ***). In his autem recensendis plerumque secutus sum ordinem Romanum, ne habuerim necesse ex Gavanto aliisque plures notare ceremonias †).

Ipsa benedictionis forma vulgo, ut supra diximus, adscribitur S. Ambrosio, cujus principium quidem iisdem prorsus verbis praescriptum est ac Romanum, sed reliquus textus longe dissidet. Praeter illam Augustino adscriptam, in ordine Romano aliquot benedicendi formulae

*) Baron. ad ann. 751. Macer. hierolex. p. m. 141. Gavanti in thesaur. sacr. rit. Tom. I. part. 4. tit. 9. p. 240.

**) Quae in ordine Romano observatur p. m. 79.

***) Loc. cit. p. m. 142.

†) Quas cum circa ignem benedictum, tum cereum ipsum videre licet passim in agendis ex gr. ecclesiae Moguntensis p. m. 268 ss. Trevirensis p. m. 116 ss. Wurzburgensis p. m. CLXXXII. ss.

observantur, quales etiam in diaconatu suo duas habuit Ennodius *). Varie enim haec benedictio a quolibet diacono componebatur **). Et licet illa alias inter benedictiones sacerdotales numeretur, nihil tamen obstat, quominus a diacono, sacris induto vestibus, expleri queat et debeat etiam praesente sacerdote vel episcopo, sed ita ut is a sacerdote benedictionem palam et publice deposcat. Diaconum autem vere et constitutive benedicere, ut loquitur Dominicus Macer, probat idem tum ex illis verbis: *Vere dignum et justum est etc.* tum etiam ex titulo alicujus missalis, nempe *consecratio cerei*; cui suffragari videntur varii ordines ecclesiastici et officiorum divinorum scriptores, qui actionem illam benedictionis nomine appellitant.

Candelabrum, cui imponebatur cereus iste, in multis ecclesiis erat lapideum vel ligneum in forma columnae, cujusmodi candelabra in antiquis Galliae ecclesiis visuntur et hoc quoque aevo in Laudunensi ***) cerni solent. Romae etiam talia observavit Macer, ut in S. Paulo extra muros, ubi columna est, quae inserviebat pro cereo: hodie extra hujus ecclesiae portam ex parte tribunae crucem sustentans erecta, perspicitur, in cujus basi hi versus leguntur:

Arbor poma gerit, arbor ego lumina gesto,
Porto libamina, nuntio gaudia; sed in die festo
Surrexit Christus: nam talia lumina praesto.

Praeter grana incensi quinque per modum crucis cereo impressa, etiam solet Deiparae virginis imago in medio hujusmodi columnae collocari, ac subtus virginis imaginem schedula quaedam, tabula paschalis vulgo nuncupata, sacris inscriptionibus exornata. Veteres enim Christiani in appensa ad cereum tabella annum currentem creationis orbis et incarnationis notabant †); hodieque Cistercienses annum incarnationis, epactas et indictionem in ea consignant. In ecclesia Laudunensi olim post assignatam indictionem Rom., primus locus tribuebatur anno a creatione mundi; secundus anno Christi; tertius literae dominicali; quartus numero aureo; quintus epactae; sextus anno fundationis ecclesiae; septimus pontifici, proprio antistiti et regi christianissimo. Quae alia titulo huic sive tabellae paschali inscripta quondam fuerint, videri possunt apud Carol. du Fresne ††).

Quamdiu cereus iste accensus durare debeat, a scriptoribus eodem modo determinatum non legimus. Ex ordine Romano id duntaxat colligimus, quod per octavam paschatos accensus fuerit. In annalibus fratrum minorum, referente Macro, anno 1263. decretum fuit, hanc accensionem in missis saltem sollennibus, usque ad ascensionem continuari debere. Tandem Sacr. rit. congregatio 1607. accendi eundem stabilivit in tribus paschae diebus, in sabbato in albis et in omnibus dominicis, missa cantata vesperisque durantibus, et ad libitum secundum re-

*) Opusc. 9 et 10.
**) Cf. agend. var. supra citat.
***) Vid. observatt. ad ritus eccles. Laudunens. redivivos p. 824.
†) Cf. Bedam libr. de temporum ratione cap. 45.
††) In Gloss. med. et infim. latin. 1. p. 936.

gionem usum. Deinde per totam paschatos octavam accenditur (cum sit ejusdem festi continuatio) ac in omnibus dominicis (quae resurrectionis repetitiones sunt) usque ad ascensionem, quod fit incipiendo a sabbati vesperis et extinguitur in fine evangelii diei ascensionis. In ecclesia vero Turonensi a sabbato sancto remanet continuo accensus usque ad secundas paschales vesperas et in aliis diebus, matutini, missae et vesperarum tantum tempore ardet, atque ideo ibi ingens cereus ac durabilis formatur. Quicquid sub finem anni residuum est, cum cera virgine et oleo benedicto miscetur, ut inde *agnos Dei* conficiant.

Mystica haec omnia esse et altioris indaginis volunt ad unum omnes, qui de officiis divinis scripserunt. In genere quidem concilium Toletanum IV. supra citatum in resurrectione Christi mysterium quaerit: *Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum, hoc sollenniter benedicimus, ut sacrae resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus noctis votivo advenit, benedictione sanctificati luminis incipiamus.* Sed nominati jam scriptores ad minima quaeque in benedictionis actu occurrentia descendunt. His enim significat cereus Christum resurgentem; et quidem cera corpus, ellychnium animam, lumen deitatem. Antequam vero illuminetur representat columnam nubis, illuminatus autem columnam ignis, quae precedit catechumenos hodie transeuntes per mare baptismi. Crucis figura in cereo solet inscribi, ut Christum demonstret crucifixum et grana quinque incensi, forma crucis in eo confixa, idem sonant et plagas ejus quinque. Sicut tres illae candelae inclinantur versus cereum, et hic cum una tantum ex iis accenditur; ita resurrectio Christi est effectus quidem totius Trinitatis, sed potissimum Verbi, quod animam carni rursus univit et immortalitatis gloriosa luce vestivit. Accenduntur duo cerei minores et lampades vel a cereo ipso vel a candelis arundinis, ut sicuti cereus significat novam gratiam et doctrinam Christi; ita ab eodem oriri demonstretur tum gratia tum doctrina apostolorum, qui sunt lux mundi. Et Christus ipse post resurrectionem statim accendit in apostolis ignem Spiritus S., quando insufflavit et dixit: Accipite Spiritum S. Fit denique benedictio per diaconum, inferioris gradus ministrum, quia per inferiorem sexum, mulieres nimirum, dominicae resurrectionis miraculum, viris non quibuslibet, sed ipsis apostolis annunciatum est. Prolixum omnino foret, si omnia ex rationali Durandi, pleraque mystice explicantis, Ruperti abbatis Tuitiensis libro sexto de divinis offiiis, aliorumque scriptis adducere vellem. Ex eo scil. tempore, quo cultus Dei externus per varia symbola tractari coepit, ecclesiarum praesides saepe ex devotione, saepe peculiari quodam casu moti, ceremonias certas precesque addiderunt, quas illorum successores velut legem quandam ad posteros transmiserunt *), cum tantis nonnunquam accessionibus, ut his intenti cultui interno non omnes aeque pares esse possint.

Cum hoc more ecclesiae Latinae confundi non debet ecclesiae Graecae, praecipue Hierosolymitanae, consuetudo fraudulenta, quae

---

*) Socrates hist. eccl. 5, 22.

sabbato magno in sepulchro Christi observatur. Jactitat nimirum patriarcha cum clero suo, per miraculum hoc die coelitus descendere ignem in monumentum. Ex eo patriarcha primus accendit cereum suum et lampades in crypta suspensas, feria V. extinctas, dein prorumpit in templum et credulo omni populo facultatem concedit accendendi cereos. Meram autem fraudem esse observarunt dudum Turcae, Judaei aliique ex Christianis, lusus hosce intuentes *).

Nostrae ecclesiae reformatoribus placuit ex gravibus causis, eandem ad primitivae ecclesiae infantiam reducere in doctrina et ritibus, utinam etiam moribus sanctis. In tanta igitur rituum simplicitate caremus utique etiam cereo paschali ejusque benedictione. Sed remota figura rem, sublata umbra corpus ipsum nobis fuisse relictum, nemo non agnoscet. Christus enim, primus et novissimus, quique vivit in secula seculorum, *lux illa vera est, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum.*

---

*) Vid. Leo Allat. epist. de quorundam Graecorum opiniationibus §. 30. et Ferdinand de Troilo, eques sancti sepulchri, in orient. itinerario p. 234 sq.

XIX.

Joh. Gabr. Beil de causis risus paschalis*).

Quod pii primitivae ecclesiae majores dies resuscitato Christo sacros magno gaudio summisque coluerint tripudiis, ad satietatem norunt omnes idque literarum monumentis consignatum passim legimus. Haec festivitas, Gregorio teste, recte dici potest sollennitas sollennitatum, quia spes coelestis patriae nobis est aperta, quia non terrae tantum, sed et coeli praesens est sollennitas. Divus Augustinus festivo hocce tempore verba sacra ad populum facturus, vocabulis exquisitissimis, voce admodum sonora, gestibus laetissimis, attemperatis tamen et praeconem sacrum decentibus, ipse prae laetitia gestiens, utebatur**). Ut autem rite gauderent et ritu vere sollenni laetissimum illud tempus peragerent, non solum decenti modo satisque diu omnia apparabant, sacras, ceu dicuntur, instituebant vigilias, quo tempore populus laetabundus undiquaque gregatim confluebat***), ii, noctem cantando, orando et meditando consumentes †), copioso igne candelarum lampadumque tenebras collustrabant ††), suos sacro fonte tingebant catechumenos †††), festiva salutatione Christiani se excipiebant, quem ritum jam quoque servant Russi †*). exosculabantur se, pacem sibi invicem apprecantes, ut alia gaudiorum laetitiarumque impraesentiarum sicco pede praeteream specimina. Laude et encomiis omnino digni sunt hi ritus paschales, praedicanda sunt sanctissima ista sanctorum gaudia, extollenda est innocentissima piorum majorum laetitia; abominamur vero abusum, qui sensim sensimque succedente tempore est enatus et in ecclesiam tacite irrepsit. Pudeat Christi resurgentis asseclas ex spirituali isto gaudendi modo ad mundanam et quavis reprehensione dignam deflectere laetitiam, pudeat illos tempus sanctissimum jocis intempestivis, nugis anilibus, fabulis scurrilibus inutiliter terere vel potius perdere. Ad abusus ejusmodi abominabiles et

---

*) Prodiit, Lycei Chemnit. progr., Chemnitii. 1746. 4.

**) Excerpta haec lege de laetitia Gregorii et Augustini ut et aliorum patrum paschali in Misandri del. ev. 5, 9 ss.

***) Eusebius hist. eccl. 6, 9. et Lactant. institut. div. 7, 19.

†) Gregor. Naz. orat. 2 in pasch.

††) Idem loc. cit. et apud Prudentium.

†††) Basil. M. in exhortat. ad baptism.

†*) Petr. Petreius p. 6. Chron. Moscov.

ex Christianorum templis proscibendos referendus certissime est ineptissimus ille risus paschalis, qui olim increbuit et adhuc inter adversarios viget*), cujus causas breviter sum enucleaturus. Patet historiarum indagatoribus et maxime historiae ecclesiasticae scrutatoribus, quod antiquioribus temporibus concionatores populi applausum admodum appetiverint omnique studio et adhibita simul opera conciliare et quasi elicere laboraverint. Transierat mos iste perversus et ridiculus a theatris et comoediis gentium veri Dei ignararum in Christianorum templa sanctissima, quantum licet conjicere ex illorum temporum ratione et moribus. Sicuti aliis erat despicatui et contemtui ille, qui in scenam prodierat et non applaudente illinc discesserat populo, veluti ex Plauto et Terentio apparet: sic indignabantur oratores sacri quoque, quibus non applaudebat concio. Non videbitur mirum, si, quod prioribus seculis multi hujuscemodi oratores ex gentilium scholis prodierint, curatius paulo perpendimus. Multi ergo fuerunt, quos impulit ad acquirendum eum applausum amor sibi aliisque placendi, superbia et arrogantia, loquacitas et inscitia. Istiusmodi furfuris homo fuit quondam Paulus Samosatenus, sec. III. doctrina falsa tumidisque moribus et verbis inclarescens, qui intra ecclesiam, (verba sunt Eusebii) tribunal sibi multo altius, quam fuerat, exstrui et thronum in excelsioribus collocari jussit, qui, verba faciens ad plebem, jactare supra modum, dextram ac palmam femori illidere, pede quoque subsaltare ac scabellum ferire cum sonitu consuevit**). Non quidem omnes emunctioris naris viri perverso isti et insulso concionandi modo suum adjecerunt calculum, sed graviter potius de turpi hoc seculi more sunt conquesti***). Quae cum ita sint, non inique censendum est, risum hunc paschalem ortum et causam quasi palmariam debere applausui illi indecoro et portendoso. Non exiguam etiam hujus risus paschalis causam requirendam esse in spissa et crassa hominum ignorantia, sequentia si spectes et justa mentis trutina ponderes secula, liquet, ubi Scholasticorum inprimis, uti dicuntur, nugae, mendacia, imposturae, figmenta et somnia omnes ferme oppresserunt terras. Quotusquisque enim eruditorum est, quem fugiat corruptissimus istorum temporum status, bonarum litterarum ignoratio et litigandi de rebus inutilibus studium? Nihilominus admirationem populi affectabant homines eruditionis sacrae atque profanae ignari, hinc adeo nefarie et turpiter nugati sunt concionatores paschatis tempore auditores rebus futilibus decipientes et ad risum parum honestum eos incitantes. Optimus

*) Vide de hoc risu paschali generatim Rud. Hospinianum de origine, progressu, ceremoniis et ritibus festorum dierum Christianor. fol. 64. Oecolampad. ep. de risu pasch. (in Burch. Gotth. Struvii Thesauro variae eruditiou. sec. XVI. et XVII. p. 485.) D. Godofr. Wegner de risu paschali. Regiomont. 1705. it. Gabriel d'Emilliane Le Passe par-tout de l'Eglise Romaine etc. p. 4. p. 423. et alia.

**) Cf. Euseb. hist. eccl. 7, 26.

***) Hieronym. in ep. ad Nepotian. 2. Augustin. de civ. Dei 4, 16. Chrysostomus et sexcenti alii.

et gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare et multa sibi etiam atque etiam esse discenda*); isti vero thrasones, sesquipedalium verborum amatores, quia solida haud raro destituuntur notitia, fumum aliis vendunt et cum cachinnantibus miros risus edunt. Tenerarum est puellarum ad quoslibet ridere jocos**); viri vero autoritate et dignitate graves suo tempore suoque loco subrident modice levique nutu***). Christus quod risum sonorum moverit, in sacro codice extat nullibi; M. Crassus, vir a veri tamen Dei cognitione alienus, semel in vita risit, ex quo vocatus est ἀγέλαστος†); isti vero homunciones ridiculi malunt cum Democrito etiam inter seria tollere risum. Facile tali ratione perspicit unusquisque, ex supina hac ignorantia alia enasci vitia, risui istiusmodi ansam et causam porrigentia. Oritur inde negligens animorum stupiditas, quam in auditoribus alere potius, quam ex eis pellere conati sunt olim. Spectat huc defectus scholarum et sacrarum literarum oppressio, quarum jacturam semper sunt questi aequi rerum aestimatores. Reperiebantur quidem quondam scholae bene institutae in monasteriis, quantopere vero illae postea, maxime circa sec. XI., fuerint corruptae et perditae, eruditis luculentissime patet. Scholae, quod uno ore confitentur omnes, plantaria sunt reipublicae et regionis ornamenta, quae si pereunt, necessario tetra prodit barbaries. Prono quasi de cetero alveo ex eodem fonte stulta hominum emanat credulitas, quae facile credit omnia et hoc etiam modo facile decipitur, unde et nugas istas cum risu paschali libenter arripit et eis mirifice delectatur. Taxavit et perstrinxit has suo tempore fabellas paschales Joh. Matthesius††), ut taceam Erasmum aliosque, quibus hujuscemodi sine sale sales displicuerunt, nauseam excitarunt, bilem commoverunt. O quanta fruimur, quae Dei est gratia, felicitate, quod liberati simus a crudeli illa credulitate, a risu eo vere flebili, tristi atque periculoso! Laetamur laeto hocce tempore cum laeto Salvatore, verae et salutaris laetitiae reparatore et restauratore, ridemus mortem mortuam et mali spiritus arma debellata, at risum paschalem nunquam movemus eoque neutiquam oblectamur, scientes, quod risu inepto res ineptior nulla sit†††). Seria docent docto-

---

*) Cicer. Tusc. Quaest. 3.

**) Ovid. art. am 3, 283 ss.

***) Sir. 21, 29. Martial. 6. epigr. 82.

†) Cic. de Fin. 4, 30. Plura exempla virorum ἀγελάστων recenset Ravisius Textor in Officin.

††) Dicit Matthesius in conc. 7. de vita Lutheri: „Etwa pflegte man um die Osterzeit Ostermährlein und närrische Gedichte zu predigen, damit man die Leute, so sich in der Fasten durch ihre Busse betrübet und in der Marterwoche mit dem Herrn Christo Mitleiden getragen, durch solche ungereimte und lose Geschwätze erfreuet und wieder tröstet, wie ich solche Ostermährlein in meiner Jugend etliche gehört, als: da der Sohn Gottes für die Vorburg der Höllen kam und mit seinem Kreuz anstiess, haben zwei Teufel ihre lange Nasen zu Riegeln fürgestreckt, als aber Christus anklopfte, dass Thür und Angel mit Gewalt aufgieng, habe er denen Teufeln ihre langen Nasen hinweggestossen, etc.“

†††) Catull. Carm. 40, 20.

res sacri, quod arduo praesint muneri, ubi reverenter dicenda et agenda sunt mysteria sacra, bene memores. Posteaquam enim indecentes risus paschalis causae curatissime sunt obstructae, scenici quoque in cathedris sacris cessarunt effectus. Cum nullum immodicus risus ornet et deceat oratorem *); multo minus oratori sacro, quem ab auditoribus elicit, convenit cachinnus. Scholarum insimul magistri juventutem verum idque pium et salubre edocent paschale gaudium, verum enim vero risum opprimunt paschalem et eum discipulis diligenter dissuadent.

---

*) Vid. Quintilian. Institut. Orat. IV. 4.

XX.

Joh. Fridr. Gottl. Erdmann de ovo paschali*).

De ovo paschali dicturus viam emetior haud plane intactam; etenim non defuere viri doctissimi, qui accuratissimam suam falcem hanc in messem misere; M. Joh. Grossgebauerus et M. Joh. Fridericus Mickelius erant, qui istud negotii sibi datum fuisse crediderunt; alter in programmate quopiam, alter vero in Oologia paschali non infelici successu hunc tractasse videntur laborem. Jam omnium sapientiorum consensu radiat veritas, non incassum agere, qui momenti cujusdam obscurioris illustrationi fulgentius accendere satagunt lumen. Satis excusationis esset, nisi et illud accederet argumenti, esse illa opuscula nostris his oris haud sane pervulgata, quin et meos adhuc subterfugisse oculos. Itaque ipsius rei primordia moliar; priusquam ad interiorem hujus ritus paschalis explicationem pertingam, aliquid in universum de origine consuetudinis munera diribendi praelibaturus.

Vita hominis licet multis calamitatum jactetur fluctibus, candidus nihilominus, interdum redire solet dies, qui animum mirifica perfundit laetitia. Mortalibus, quorum pectus gaudio tumet, haud pauca enascuntur sufflamina, quae affectum istum retardent; potiores gaudii remoras indicemus. Homo, cujus laetitia fervet pectus, cum sociis, qui vel tristiora perpetiuntur fata, vel qui aequum nullisque perturbatum affectibus gestant animum, versatur. Igitur gravatus gaudii affectum, quo exaestuat, intra sui ipsius pectoris cancellos retinere, confestim de aliis in societatem laetitiae alliciendis cogitat, idque prout viribus valet, vel majori vel minori cum successu conficiet negotii; occurrunt primo homines illaetabilis plane conditionis: objiciuntur ejus visui, qui extrema cum paupertate luctantur; laetitia affectus aegre fert misellam istam sortem. Hinc pauperes munificentia beat, argento exhilarat, animum addere audet; prorsus ut interiori pectoris affectui nullum resistat offendiculum; obversantur, qui carceribus intrusi durissimo vitae genere miseram trahunt animam. Homo laetus nec illo spectaculo affectum, qui in animo pullulat, retineri patitur. Vires si sint angustiores, ad minimum muneribus exhibitis ergastuli molestiam levat. Sin rerum moderetur clavum, squalenti carceris pulvere pressos facile liberat. Occurrunt deinde homini exhilarato, qui animum omni affectu fovent liberum; ille et hos ad eundem, quo ipse exultat, revocare satagit affectum verbis usus ad maximam hilaritatem compositis. Non pigebit exemplum

*) Prodiit Lips. 1736. 4.

foemellae illius, quam Servator allegat, huc evocasse, quae ubi reperto nummulo, quem anxie omni conquisiverat angulo, in eximiam effusa est laetitiam; omnes suos vicinos socios sui gaudii efflictim cupit. Luc. 15, 9. Itaque affectum laetitiae isti consuetudini munera distribuendi ortum praebuisse, quid vetat, quominus statuam? Inprimis diebus sollennioribus munera circumlata fuisse in scriptis observo veterum*).

Antiqui Romulidae, praeter alia tria ista eaque palmaria festa celebrabant: diem natalem, saturnalia atque januaria. Hisce diebus quilibet hoc agebat, ut ea omnia diceret faceretque, quae boni faustique ominis esse viderentur, id quod eleganter effatur Ovidius**):

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Diei natalis celebratio magna religione observata est. Sic enim accepimus, id moris institutique tenuisse majores Romanorum, ut die natali munus annale genio***) solverent, quod plerumque pulte, fibilla sacra, mero quoque, libris, floribus et thure confectum erat†). Munera natalitia alia atque alia ab antiquis enarrantur auctoribus. Amasis coronae munus floribus pulcherrime contextae Partamidi regi sub natali obtulit. Epidicus Stratippoclis minister apud Comicum virginem illum sese ignorare simulantem ita alloquitur††):

Non meministi me auream ad te afferre natali die
Lunulam atque anellum aureolum in digito?

Sat prata nostrae commentatiunculae bibisse videntur. Liceat nunc quaedam de muneribus saturnalitiis libare. Variasse et illa pro hominum sorte facile est evictu; alia lautiores, alia inferiores offerebant. Memoriae proditum est a Suetonio, Caligulam Caesarem viris forensia, s. vestes, quas sumebant viri foras prodituri, pueris ac foeminis fascias purpurae ac conchylii distribuisse†††). Tradit Festus Pompejus†*) candelas a pauperibus, cereos locupletibus litatos fuisse. Sciens praetermitto alia publicae laetitiae in Saturni festo effusioris irritamenta. Reliquum est, ut et munera januaria, quae caeteris facile palmam praeripiunt, in scenam producamus. Munera illa, quae et nomine strenarum a Dea Strenia vel Strenua deducto insigniuntur calendis januariis dilargiri consueverunt veteres Romani. Initio temporis, quum dira habendi cupido nondum animos invaderet, caryotides, palmarum poma et mella, ut dulcis annus a dulcibus rebus inciperetur, loco munerum habebantur. At ubi pestiferum istud sidus pectora mortalium adflarat, adeo invaluit strenarum usus dicam? an abusus, ut munera aurea et

---

*) De donis ecclesiae antiquae variis vid. Laroquanus advers. sacr. 2, 4.

**) Fast. I. v. 72.

***) Censorinus de die natali 2.

†) Alexander ab Alex. dier. genial. 2, 12.

††) Plaut. Epid. 5, 1. vid. Taubmanni Comment. in h. l. p. 528.

†††) Calig. 19.

†*) Lib. III.

argentea, nummos scilicet, annulos, patellas aureas, vel saltim auro obductas relictis dulciariis amicis quisque suis mitteret *).

Multos ex hac gentilismi colluvie hausisse impuros rivulos Christianismum priscum gravis ille doctor antiquus Tertullianus ita asserit **): *nobis, quibus sabbata extranea sunt, et neomeniae et feriae aliquando a Deo dilectae, Saturnalia et Januaria et Brumae et matronales frequentantur ludi, munera commeant, strenae consonant, lusus convivia constrepunt.* Summam nostrae disquisitionis reculturi facile perspectu erit, moris istius, quo festo paschates ova distribuuntur, primam scaturiginem esse illam, quam explicuimus, consuetudinem, festis diebus offerendi munera.

Tria animadvertimus momenta, quae ad dilucidationem ovi paschalis, justo ordine persequendam, quam maxime facere videntur. Primo ritum ipsum clare describamus; deinde occasionem ejusdem percontemur; quo facto significationes hujus consuetudinis paschalis allegoricas, quas dicunt, quoad ejus fieri poterit, ex ipsis antiquitatis visceribus exsculpamus.

Ritus istius claram descriptionem primo polliciti sumus; qui quidem nostris hisce oris tenuior esse videtur, retro licet seculis frequentiorem ejusdem usum obtinuisse haud difficile esset demonstratu. Ubi enim increbescens ovi paschalis abusus gravi quodam electorali edicto Saxonico eliminari coeperat ***); sensim paulatimque tolerabilior hujusce munusculi festo resurrectionis circumferri soliti usus diminutus in lentam abiit desuetudinem. Dehinc hospes plane esset, qui verbosiorem ovuli paschalis, uti hodieque nostro terrarum tractu floreat, deposceret enarrationem. Idcirco quo magis nostris regionibus exulasse videatur, eo fixiores sedes *Moscovitica terra*, in qua reliquias veteris ecclesiae graecae deprehendimus, constituit munusculum ovi paschalis. Res sane digna, propter quam quidem ne statim deseras vadimonium, attamen quae hisce pagellis enodatius proposita legatur. Non abs re alienum erit, libellum quendam a venerando nunc in numero beatorum collocato Joh. Georgio Pritio primitus in Germania editum consulere †). Ibi enim refertur, festo resurrectionis cujuslibet imperatoris faciem, quem *Czarem* vocant, patere oculis, manibusque ejusdem osculo exceptis, rubicundum ovum in memoriam rei accipi eodemque die festo quemlibet, sive splendidioris sive inferioris conditionis per quatuordecim ferme dierum spatium circumgestare ova colore suffusa passimque in publicis plateis occurrere, qui talia vendunt, hos qui sibi invicem obviam effunduntur, his verbis oscula sibi figere: *Christos Woskresti* (Christus resurrexit) retribuitoque basio respondere: *Woistin Woskresti*: (reapse resur-

*) Conf. pluribus Lipenius de strenis et Christianus Wildvogelius *vom Rechte des neuen Jahrs.*

**) Lib. X. de idololatria.

***) Anno 1542.

† *Moscowitischer oder Reussischer Kirchenstaat, zum erstenmal mit einer Vorrede herausgegeben von* M. I. G. Pritio. Leipz. 1698.

rexit) haud facile quempiam inventum iri, sive sit sexus prioris sive sequioris, sive lautiori, sive abjectiori vitae genere utatur, qui talem deosculationem *rubentis ovi* oblatione conjunctam occurrenti denegaret, quin et imperatorem ipsum, si genius ita ferat, tempore antelucano hos, qui carcere detineantur adire donumque *rubri ovuli* ut et ovinam pellem addere, posteaquam ita ipsis animum accendere voluerit: *Gaudete*, qui enim vestorum criminum causa oppetierat, en! tandem confractis sepulcri repagulis exiit redivivus *).

Tali modo ritum *ovi paschalis* pandit iste libellus. Talia meditanti occurrebat Heineccii opus elegantissimum, quem de adumbratione ecclesiae graecae inscripsit. Quem ubi flagranti studio evolvo, variatis ex parte rerum circumstantiis enarrari *ovuli paschalis* distribuendi consuetudinem animadverto. Iste enim me edocet, festo resurrectionis in ecclesia graeca quam maxime esse memoratu dignum, quod nec minus in templo, quam plateis salutationes festivae peragantur, additis verbis: *Χριστὸς ἀνέστη*. Pergit deinde, Russos etiam tribus viribus se invicem exosculari, nempe frontem, genas et ora, idque salutationis inprimis horis matutinae devotioni consecratis sacerdoti exsolvi; ipsum vestitu suo amictum ad sanctam chori januam persistere, librum evangelii adversum manu tenentem; quo facto, singulos admoveri primoque sanctas imagines, postea vero effigiem in evangelio osculo excipere; tum illo rite peracto negotio ambabus palmis prorui in sacerdotem, ejusque humeris osculo injuncto dictionem istam annecti: *Χριστὸς ἀνέστη*; istaque suavia ad genas et ora retribuere antistitem sacrum ita regerentem: *ἀληθῶς ἀνέστη*, quae ubi omnia facta fuerint, Graecos varii generis donaria, praesertim placentulas quasdam, *κολλικια* ipsi vocent, pariter et ova variis, inprimis aureo delibata colore sibi invicem erogare **).

---

*) P. 47. lib. 1. *An diesem heiligen Ostertage kann ein jedweder des Czaaren klare Augen zu sehen bekommen, wie sie es also heissen, d. i. er kann an des Czaaren Hand, selbige zu küssen, gelassen werden, und empfähet dabei ein schönes rothes Ei zum Gedächtniss. Von diesem heiligen Ostertage an trägt sich ein jedweder, vornehm und gemeines Volk, jung und alt, mit gefärbten Eiern. wohl 14 Tage lang, und sitzen auch auf öffentlichen Gassen, hin und wieder gar sehr viel dergleichen Eierverkäufer. Alle Leute, so einander zu dieser heiligen Zeit begegnen, grüssen und küssen einander mit diesen angehängten Worten: Christos Wosgresti. d. i. Christus ist auferstanden! worauf er oder sie mich wiederum grüsset und antwortet: Woistin wosgresti, d. i. er ist wahrhaftig auferstanden. Es wird auch niemand, es sei Manns oder Weibesperson, hohen oder niedrigen Standes, einem andern dergleichen Kuss oder Gruss nebst einem rothen oder anders gefärbten Eie versagen oder verweigern. Es pfleget auch der Czaar dann und wann selbsten des Morgens vor der Sonnen Aufgang die Gefangenen zu besuchen, und ihnen ein rothes Ei auch ein rauhes Schaaf-Fell zu verehren, auch also zuzurufen: Freuet euch und seid fröhlich, denn Christus, der vor eure Sünde gestorben, ist nunmehr wieder auferstanden*

**) Heineccius *in der Abbildung der griechischen Kirche im III. Theil cap. 3. p. 233. Am Ostern, da Jedermann communiciret, ist das Merkwürdigste, dass man sowohl in der Kirche, als auf der Strasse und in den Häusern einander also zu grüssen pfleget:* Χριστὸς ἀνέστη. *worauf der andere antwortet:* ἀληθῶς ἀνέστη. *Dabei sie einander dreimal küssen, nämlich auf beide Wan-*

Quos si inter se conferre liceat scriptores, potioribus hujus rei momentis facile illos conspirare observamus. Lancem meam saturam video, ast haud plane a scopi mei tramite abhorrentem, si adhuc aliam elegantissimam eamque carmine heroico conscriptam addidero enarrationem. Rachlizius est, qui olim Grypswaldiae degens ritus Ruthenorum carmine depingere non infelici instituto ausus est. Ille igitur de ritu ovi paschalis ita:

Multum ovant ovis, donatur ovantibus ovum,
Quisque gerit vario secum picta ova colore
Dum mediae tenet urbis iter dat se obvius ipsi,
Vir notus, matrona gravis, seu virgo venusta,
(Quae clausae latitant alias sub limine tecti
Annum per totum ferit ostia si advena quidam;
Virgo obdit coeco sese defensa cubili).
Nunc ex via licet faciem velamine tectis,
Oblatis cum aliis ovis paulisper ovare.
Obvius ergo aliis variatum porrigit ovum.
Magnates fulvo gestant obducta metallo.
Talia succurrunt linguae socialia amicae,
Christus surrexit mortis redivivus ab umbris,
Accipiens addit: certe surrexit iisdem.
Basia deinde sibi sinceri vinculum amoris
Mutua dant, sit vir, mulier, seu innupta virago;
Seu Caesar Corydon, quando datur obvius illi.
Istis si renuens aliquis contrarius iret,
Russum erga Russus committeret ille nefandum
Crimen Russorum nulli laudabile sano.
Carnibus impune niveis et vescimur ovis.
Tristia desierunt nobis jejunia, io! io!

Uti ex ritibus alii prioribus cognatiores conflari possent, ita et ovum paschale spurium quondam peperisse videtur consuetudinem, ludum videlicet *ovilegii* *), hac quidem regione infrequentem, aliis tamen terrarum tractibus notiorem. Hic pro me dicat quidam societatis Jesu, quam jactat, consors Papebrochius **): *Ovilegii ludus notior est Teutonibus, quam ut*

---

gen und auf den Mund, welches auch die Freunde zu thun gewohnt sind. Diesen Gruss legen sie sonderlich in der Frühmetten gegen den Priester ab. Denn dieser stellt sich nach geendetem Gottesdienst in seinem priesterlichen Habit vor die heilige Thüre des Chors, und hält das Evangelienbuch auf die Brust, darnach tritt einer nach dem andern hinzu, küsset erstlich die heiligen Bilder, darnach das Bild im Evangelio, und umfasset darauf den Priester mit beiden Händen, und küsset ihn auf die beiden Schultern mit den Worten: Χριστὸς ἀνέστη, der Priester aber küsset ihn wieder auf die Wangen und den Mund und spricht: ἀληθῶς ἀνέστη. An diesem Tage schicken auch die Griechen einander allerhand Geschenke zu, sonderlich eine gewisse Art Kuchen, die sie κολλύκια nennen, wie auch bunt gemalte und vergüldete Eier.

*) *Eierlesen*, quod etiam terris orientalibus viget; conf. Hyde. de ludis orientalium populorum.

**) Qui explicat verba eines alten paderbornischen Praesentienbuchs: *Memoriae venerabilis D. Walburgis abbatissae et fundatricis ecclesiae Herisiensis; et ministratur sollenne ovilegium, de Abbatia et Praepositura ita observatum est. Anno* 1805. Tom. V. Sanct. d. 20. maji. Exinde colligi potest, ludum ovilegii non minus, quam torneamenta, fuisse sollennem. Ex nostratibus vid. Tenzelius Tom. I. Colloq. Menstr. p. 962.

explicari hic debeat, pro exteris satis sit dicere, certamen currentium esse, uter prius vel ingens loci spatium uno tractu viae emetiatur, vel brevi in spatio disposita certis intervallis, certo numero, ova sic legat, ut quoties unum sustulit, rursus ad metam redeat totiesque recurrat, donec et a meta remotissimum legerit. Istius quidem ludi genus licet non plane abhorreat a ludis Romanorum Circensibus, quippe in quibus et curricula et ova lignea, quae *Dio Cassius* ὠειδῆ δημιουργήματα vocat, inventa fuisse narrantur, nollem tamen eundem ex istis Ethnicismi rivulis promanasse cum Danhauero asserere*).

De strenarum usu sic percepimus, quod in dies magis magisque in religiosam mendacitatem fuerit transfusus; cui quidem abusui latius effuso grave opposuit edictum imperator Tiberius**). Ubi vero Caligula rerum potitus erat, laxati effrenioris strenarum commercii freni videntur***).

Etenim ipse eo avaritiae processit, ut strenas acciperet non solum, sed et emendicaret. Idem ferme evenisse videmus ovi paschalis ritui, quod sub nomine sanctissimae religionis obstetrices (sit venia dicto) a foemellis suis foetum enixis, pueris sanctioris lavacri sui testibus, janitores, horarum nocturnarum proclamatores, ludi magistri et aeditui ab incolis et quoscunque tandem inveneris infimi subsellii homines, suo quodam jure poscunt †). Quod ad aedituos attinet, qui etiam hierophylaces appellantur, exinde illi sibi vindicare poterunt munus ovi paschalis, quoniam elapsis seculis, cum adhuc errorum papalium alta vigeret existimatio, vas illud Pontificiorum adspersioni attemperatum et aquam lustralem circumgestaverint, id quod eisdem dari decrevit olim Saxoniae Elector Augustus ††).

---

*) Ita enim loquitur im Evangelischen Denkmal p. 352. *Es haben vor Zeiten die blinden Heiden um diese Jahrszeit* (paschalis) *ihre Ludos Circenses, Eierfest und Eierspiel gehalten, da sie den beiden Eiergötzen* Castori et Polluci ove prognatis ab uno a Jove Cygno in nido Ledaeo) *zu Ehren in Circo ovali (in einem eierrunden Platz) um die Eier in die Wette gelaufen, von welcher Osterfastnacht auch unter uns Christen, deren Ruhm nicht fein ist, ein Sauerteig überblieben, dass man auf den Ostermontag um die Eier läuft.* Etenim ita sese habebat res Circensis. In circo medio murus lateritius, qui et *spina* vocabatur, constructus erat; in ista spina collocatae erant columnae, quarum apex ove ligneo praefulgebat. Jam vero septem curricula erant consummanda, quae *missus* dicebantur; igitur ne in numero curriculorum erraretur, ex istis ovis ligneis finito quolibet curriculo unum tollebatur. Vid. G. H. Nieupoort comp. ant. rom. 4, 5. p. 222. et Tom. III. Antiq. Graevio collectore editorum edit. Venet., ubi tabulae aeneae visuntur.

**) Vid. Suetonius Tib. 34.

***) Ibid. Calig. 47.

†) *Das sogenannte schöne Ei.*

††) Ita enim in ordinatione Ecclesiastica: *Und wie es verschiedener Zeit Gewohnheit gewesen, dass man den Kirchnern auf den Dörfern den grünen Donnerstag etc. das Osterei geben, so sie den Sprengekessel oder geweihet Wasser umgetragen. nun aber, weil solches gefallen, nicht mehr geben wollten, so erachten wir für gut und billig, dass ihnen solches gegeben werde.* Idem sancivit rerum Magdeburgicarum Praesul, qui in novissima ecclesiarum dicti loci ordinatione ita infit: *Was sonst dem Küster über das wöchentliche Schulgeld an Brod und Ostereiern, oder dergleichen gegeben wird etc.* Conf. Christ.

Prima tractationis parte absoluta ad alteram procedimus, qua occasio munusculi paschalis ovi explicanda erit. Ut rem arctiore pomoerio concludamus, vitatis verborum ambagibus, primo aliorum sententias, deinde et nostram, quaecunque tandem erit, in scenam adducamus. Dantur, qui diribitionem ovi paschalis ex laetissimo illo more festis diebus munera dandi et accipiendi, quem supra persecuti sumus, optime derivari autumant. Quodsi velis istam consuetudinem pro origine remotissima profiteri, facile me tibi habebis subscribentem; meum est, in causa proxima eruenda, uti loquuntur philosophi, operam gnaviter collocare. Sunt, qui ejusdem ovi paschalis ritus prima stamina in *ludis Circensibus* jam esse pertexta haud vano conatu asserunt, quippe in quibus, ut jam supra dictum a nobis, corpuscula ovalis formae inventa fuerint; qui mihi exinde non probantur, quoniam ova lignea ludorum Circensium non porrigebantur, sed sumebantur.

Restat ut et nostram adjungamus sententiam, quam rotundo ore ita enunciamus, *occasionem munusculi ovorum paschalium fuisse illa* varii generis jejunia antepaschalia, quae a veteribus uno nomine *quadragesimae* designantur. Quam quidem denominationem doctissimus Henr. Valesius*) ex isto deducit principio, quod cum plerumque spatium jejunii per quadraginta horas fuerit extractum, memoria vel intervalli mortis Christi, vel jejunii ejusdem Servatoris per 40 noctes totidemque dies observati redintegrata fuerit. De jejuniorum istorum observatione accuratiori trutina cogitaturis, ex scriptoribus christianis in promptu erit, eorundem determinationem primo fuisse liberiorem, multo minus ad genium quadragesimalis pontificiorum jejunii, quod hodierno die observatur, attemperatam, sed successu temporis paulo arctiorem fuisse, posteaquam quorundam praesulum inconsulta et inofficiosa pietas atque pontificis Romani nimia arrogantia undique diffusa atque adeo quadragesima papalis exsculpta fuerit**).

Nunc ut occasionem ovi paschalis penitius perspiciamus, probandum nobis erit, in istis jejuniorum variis generibus inprimis contestatis***) etiam esum ovorum exulasse; id quod ex variis, quae referunt scriptores, circumstantiis colligi poterit. Agedum! exordiamur telam. Constat inter fercula antiquorum epulorum, ab ovorum comestione prandium vel coenam semper coeptam fuisse, itaque ova non minimam con-

---

Wildvogelius *vom Rechte des Osterfestes.* Isti mendicandi infucato ritui merito accensentur ova ita dicta de crucibus, quorum occurrit mentio in tabulario Fossatensi, quod produxit Carolus du Fresne in gloss. med. et infim. lat. *Habet et percipit dicta abbatia ibidem a quolibet foco dicta illa tria ova, quae vocantur ova de crucibus.*

*) In notis ad Eusebii hist. eccl. 5, 24.

**) Quod clarissime elucescit ex fragmento quodam Irenaei apud Euseb. hist. eccl. 5, 24. *οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ πλείονας· οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας τε ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν·* Vid. Tertullianus de jejun. Concil. Laodic. c. 5. de jejun. Socrates hist. eccl. 5. 22.

***) Quo spectat canon. IX. concilii, quod an. 653 habitum perhibetur, Trullanae etiam, quae anno 692. habita fuit, synodi canon. 56.

viviorum partem absolvebant*); quodsi ergo veteres jejunaturi solita prandia neglexerint, veritas erit exploratissima, ipsos etiam nec ovis vesci potuisse. Sed et aliud ingenii tentamen instituamus. Scrupulosa ista a certo genere ciborum abstinentia tametsi ex ascetica et Montanistica priorum seculorum disciplina maxima ex parte profluxerit, infitiandum tamen non est, si ultimam ejusdem originem spectaveris, ex Aegyptiorum sacerdotum institutis, utpote qui nec carnibus nec lacte nec ovis, quae pro carne liquida habebant, vescebantur, esse repetendam. Igitur quid obstat, quominus asseramus, veteres Christianos, jejuniorum suorum rationem jejuniis Aegyptiorum accommodantes, ovorum fruitionem posthabuisse**). Suppetit adhuc aliud argumentum, cur Christiani antiquiores tempore jejuniorum ova haud potuerint comedere. Scilicet victus ovorum gravat stomachum: stomachus infartus neque studet neque preces fundit libenter, si trito adagio uti liceat. Ergo in aprico est, ovorum usum ex jejuniis antepaschalibus omnem fuisse sublatum, quandoquidem eum praefixum obtinuerint finem veterum jejunia, ut animi eo alacriores ad cultum sanctiorem redderentur***). Ergo priores Christi confessores tempore antepaschali ovis comedendis plane abstinuisse, quis est, qui dubitet? Festo resurrectionis die frenum laxatum, atque adeo libertas ovis vescendi data est; hinc Christianis ritum istum diebus sollennioribus munera sibi invicem offerendi, quem supra fusius significavimus, procul dubio observaturis haud sane commodior muneris occasio enasci potuit, quam quae ab ovorum largitione desumta fuit †).

Tandem ut significationes hujus ritus allegoricas pandamus et ordo rerum jubet et alia non minus gravia momenta. Etenim veteri ecclesiae sollenne fuit per externi cujusdam ritus observationem, hieroglyphicam, quam dicunt, indicare explicationem: id quod vel sola thuris suffumigatione sec. IV. obtineati, qua ardentium precum sacrificium Deo

*) Hinc Cicero ad Fam. IX. 20. integram famem ad ovum affero. Cf. Ciaccon. de triclin. p. 54.

**) Vid. Fr. Spanhemii hist. eccl. Sec. IV. Sect. VIII. p. 804. Huc pertinet, quod refert Joh. Pierius in hieroglyph. lib. VIII. c. II. p. 705. Aegyptiorum sacerdotes ovum pro carnibus vitasse nec minus lac, quorum alterum carnem, alterum sanguinem dicebant colore mutato.

***) Ideo canon. LII. concilii in Trullo cautus est: *αἱ τῶν νηστειῶν ἡμέραι πένθους εἶναι ἐκρίθησαν καὶ κατανύξεως.*

† Posset mihi hic quispiam illud obvertere, vanum me agere laborem, cum conceptus jejuniorum abstinentiam ab omni ciborum genere adeoque et ovis complectatur; sed iste sciat, me duplicem ob causam illud fecisse. Primo nominatim demonstrare volui, veteres in jejuniis antepaschalibus ova prorsus non comedisse, deinde, quoniam in ista jejuniorum ratione, quae obtinet apud Papicolas, ubi certa quaedam ciborum genera palato permissa sunt, v. g. pisces, placentulae, etiam ova prohibita sint, unde liquet, ovum paschale jam labentis ecclesiae seculis ortum acquisivisse. Hinc et B. Dannhauerus l. c. *Das Papstthum hat auch seinen Chrysam darein geschmieret und geordnet, dass nachdem man bisher 40 Tage sich des Fleisches und Eier enthalten müssen, und nunmehr auf den Ostertag der Pass, Fleisch und Eier zu essen, eröffnet, dass man die Eier in die Kirche tragen und mit abergläubischen Ceremonien weihen soll.*

pergratum denotabatur, haud sane obscure patescit. Asseritur a nonnullis, veteres per ovorum oblationem istud innuere voluisse, ac si mundi istius machina tempora paschali condita fuerit. Deinde et illud affirmatur, istum ovi paschalis ritum vires et incrementum ex sententia quorundam philosophorum ex ovo orbem universum exclusum fuisse nugantium, idemque veteres significatum voluisse*). At enim vero leviusculae istae videntur conjecturae, enarrandas potiore jure existimo illas, quae solidioris sint argumenti meditationes. Primo res in propatulo est, ova cum epulis hilarioribus, tum etiam feralibus adposita fuisse**). Hinc duplicis argumenti, laetabilioris et tristioris, facta, passionem et resurrectionem servatoris recolere recordationemque eorundem refricare facile ipsis esse poterat proclive. Illud etiam commemoratione haud indignum videtur, ova antiquae puritatis et purae antiquitatis symbolum fuisse; unde et proverbium ἐξ ὠοῦ ἐξῆλθεν de illis, qui supra modum puri essent ac nitidi, enatum est; hinc in eam adducor sententiam, veteres Christi asseclas per ovum paschale et pulchritudinem Christi, ex foedissima sepulchri spelunca redivivi et corporis humani, tandem aliquando ex pulvere et cinere multo formosius prodituri testatiorem voluisse***).

Superiori loco observatum fuit, in circo olim illud obtinuisse moris, ut quolibet cursu absoluto corpusculum ovalis formae in culmine columnae suspensum desumtum fuisset; hinc non obscure colligitur, veteres oblato ovo sese ad sequentis vitae cursum instigasse. Tandem cum et saepissime inter exquisitissima cruciatuum primis Christicolis intentatorum genera haud raro adhiberentur ova ignita†), credendum sane erit, oblationem ovi paschalis ad constantiam imminentibus persecutionibus exhibendam non minimam addidisse animis exstimulationem, cum, priusquam turbulenta calamitatum procella oboriatur, animus ad eam patienter excipiendam obfirmandus sit atque communiendus.

Haec fere inveniebantur, quae de ovo paschali essent dicenda. Nunc isti opuseulo coronidem impono hisce B. Danhaueri verbis additis, quae latine vetere religioni mihi duco††): *Keinen bessern und angenehmern Osterdank können wir unsern erstandenem Siegesfürsten bringen, als uns selbst, als die mit dem Blute Christi gefärbte Ostereier, zu seinem Opfer und Dienst gänzlich zu übergeben. Gleichwie eine natürliche Henne ihr Ei legt, aber todt und leblos: setzt sich bald darauf, brütelt dasselbe durch ihre beiwohnende Wärme mit viel Guxen und Kaxen, auch bis*

---

*) Idcirco etiam Baccho in orgiis fuit ovum dicatum tanquam exemplum omnia gignentis et in se continentis. Vid. Plutarchus in sympos. 2, 3.

**) Juvenalis Sat. V. 84.

Sed tibi dimidio constrictus lammarus ovo
Ponitur exigua feralis coena patello.

***) Caeterum Servatorem praestantissima corporis forma praeditum fuisse demonstrarunt Franciscus Vavasser de forma Christi, et J. Reiskius de imaginibus Christi.

†) Socrates hist. eccl. 2, 38 vocat ὠὰ ἐς ἀχρὸν θερμανθεῖσα.

††) Loco et libro citato.

die Schaale erbrochen, das Küchlein herausgeschlossen, doch noch roh und fluglos, darum die Henne noch ferner an ihm arbeiten muss, dasselbe unter die Flügel nehmen, erwärmen, locken, ruffen, schützen wider den Raubvogel, bis es endlich flüg wird und selbst davonfliegen kann: Also die geistliche Henne Matth. 23. *Christus legt die Eier in der ersten Geburt, aber leblose Eier, die das rechte Leben, daraus Gott ist, noch nicht empfangen haben; brütelt darnach dasselbe aus, durch die überkommende Kraft und übernatürliche Wärme des heiligen Geistes in der gleistlichen Wiedergeburt, bricht die Schaale des alten Menschen mit dem lieben Kreuz, färbet das Ei roth mit seinem Blute, arbeitet ferner an dem neugebornen Küchlein, locket, sammelt, schützet und erhält dasselbe, bis es durch einen seligen Flug sich emporschwinget in das himmlische Leben. Uns als Christi Ostereiern und Osterküchlein gebührt Christo unserm Herrn uns zu lassen ganz und gar, und ihm zum Dienst zu ergeben und also wirklichen Dank für so theure Wohlthaten zu erweisen. Dabei stehet nun wohl des Geistes Alleluja, und endlich das ganze Alleluja.* Faxit ter sanctum numen, ut omnia illa rite experiantur omnium, quicunque Christi nomen profitentur, pectora!

XXI.

Ern. Frid. Wernsdorf de quinquagesima paschali *).

Ut nullum facile diem praetermittebant veteres Christiani singulari quodam beneficio insignem, quem non sollenni unius vel plurium dierum, quin et hebdomadum, festivitate celebraverint: ita praecipue magnitudinem beneficiorum, ex gloriosa Christi resurrectione et missione Spiritus Sancti ad homines redundantium cogitantes, sollennem rei memoriam septenario hebdomadum numero circumscripserunt. In qua veterum pietate, quia non solum innoxia prisci ardoris exempla spectamus, quae ad similia decora consectanda inflammare possint animum, sed etiam multa deprehendimus, quae intelligendis veterum, quos patres vocant, doctorum scriptis et illustrandis nobilissimis primaevi christianismi ritibus lumen adferre possint, non inutilem aut injucundum laborem futurum duximus, si qualicunque scriptione nostra in describenda hujus quinquagesimae paschalis sollennitate occupemur. Etsi enim hac de re scriptores, qui historias festorum composuere **) pariter ac alii ***) pe-

---

*) Prodiit Viteb. 1752. 4.

**) Ut Rud. Hospinianus de *Festis Christian.* p. 64. Joh. Andr. Schmidius *Histor. Festor.* et *Dominic.* p. 139. Theodor. Thummius de *festis Judaeor.* et *Christ.* Christ Wildvogel *Chronoscopia legalis* sive de *jure festorum.* Exercit. IV. Lud. Thomasinus: *Traité des fêtes.* Paris. 1680. 8. Adr. Baillet: *Histoire des fêtes fixées.* Paris. 1703. Joach. Hildebrand: *de diebus festis* p. 79. Matth. Dresserus, Wilckius alii, quibus addatur inprimis Jos. Bingham *Orig. antiquit. eccles.* 20, 6. p. 120. Vol. 9. ex edit. Grischov. Novissimus *Origin. et antiquit. christian.* editor Tho. Maria Mamachi, qui libros XX. promisit et duo priores Romae vulgavit 1749. 4. mai. sine dubio libro undecimo, qui aget de temporibus sacris, solide, ut primo jam volumine probavit, hoc quoque argumentum erit pertractaturus, haud neglectis nostri coetus doctorum scriptis, quae, quod mireris, magna copia adducit, depravatis tamen persaepe nominibus, nec facto sententiarum discrimine dum quae G Arnoldus et C. Thomasius aut alii H. E. depravatores errarunt, coetui nostro in universum tribuit.

***) J. Andr. Schmidius progr. de *quinquagesima paschali* Helmst. 1710. 4. et J. Christ. Hebenstreit dissertatio de *pentecoste veterum.* Lips. 1715. 4. His jungendi sunt alii, qui de pentecoste exposuerunt: Isaac. Faustius diss. de pentecoste. Argentorat. 169 . Mich. Hoynovius de *festo pentecostes.* Regiomont. 1693. J. Elias Reichardt de *pentecoste.* Jen. 1693. J. Dieter. Winckler oratio de *iis, quae circa festum pentecostes sunt memorabilia.* Lips. 1734. Christ. Reuterus. De *eo quod theologice sanctum et justum est circa tempus pentecostale.* Servestae 1718.

culiaribus dissertationibus exposuerint, nec novi quidquam, quum his antiquitatis auctoritate nitendum sit, promittere possimus; juvabit tamen expeditiori forte aut faciliori ad intelligendum via hoc in argumento incessisse, et, qua ratione in tradendis his antiquitatum christianarum deliciis nostris hactenus versari consueverimus, dedisse specimen.

Universum illud intervallum a prima resurgentis Christi feria ad diem quinquagesimum post pascha jugis et continuata fuit sollennitas in antiqua ecclesia *). Graecis absolute dicebatur πεντηκόστη **), ultimus vero dierum ἡμέρα τῆς πεντηκόστης, praeterea etiam Γαλιλαῖα.***), quia in Galilaea regione omne illud tempus exegit post rupta mortis vincula optimus Servator. Latinis scriptoribus audit illud spatium: *Quinquagesima paschalis*, ad differentiam quinquagesimae illius, quae ante quadragesimam in ecclesia solet esse sacra †).

A quo primorum seculorum et rerum Christianarum tempore initia hujus festivitatis repetenda sint, vix certo definiri poterit. Non diu post apostolica tempora coepisse eam, haud a vero alienum videtur et sec. II.

---

*) Teste Irenaeo apud *aut. quaest. ad Orthodox.* Qu. 115. Tertulliano de *idololatria* c. 14, et de *baptismo* c. 19. 264. et Origine c. *Celsum* l. 8. p. 392. ed. Spenc.

**) Duplici sensu apud antiquae ecclesiae doctores accipitur: vel sensu lato, pro quinquagesimae spatio, vel strictiori, pro tempore commemorationi Spiritus Sancti super apostolos praestito. Vocabulum pentecoste ex graecitate accersitum in sequiores annos in ecclesiam admissum est, cujus usus ipsis Judaeis non ignotus fuit, quinquagesimum a pascha diem ita nominantibus. V. Joh. Gottl. Carpzov in *apparatu crit.* ad *antiquit. hebr.* l. 3. 5. Notionem dat Isidorus Hispalens. de origg. 6, 18: *Pentecoste sicut et pascha, celebris dies est, post quinque decades paschae celebratur.* Ingeniose satis passim in homiliis ad istum quinquagenarium numerum adludunt antiquae eccl. patres, ut Gregorius Naz. orat. de *sancta pentecoste*, a Matthaeo Dressero Lips. 1582. edita p. 17.; imprimis Basilius de Spiritu Sancto c. 27. *Omnis*, inquit, *pentecoste est resurrectionis, quam in seculo illo expectamus, admonitio. Unus enim ille et primus dies septies septuplicatus, septem sacrae pentecostes hebdomades efficit. A primo enim incipiens in eundem desinit per similes, qui in modo revolvuntur quinquagesies. Quare et aevum similitudine imitatur, tanquam in motu circulari ab iisdem signis incipiens et in eadem desinens.* Hinc cum factum esset, ut ἐπαγγελία τοῦ πατρὸς nempe τὸ βάπτισμα ἐν πνεύματι ἁγίῳ apostolis promissum perauspicato in pentecostes Judaicae diem incideret, quo memoria latae in monte Sinai legis recolebatur, nomen cum anniversaria celebratione benedictae effusionis in Christianos transivit. Cui appellationi non refragabantur Christiani, potissimum ex Judaeis collecti, nec apostoli invidebant, qui ad lucrandos Judaeos et honestam synagogae sepulturam et haec, et alia prudenter tolerarunt. V. Christ. Sonntag de *synagoga cum honore sepulta.* Altorf. 1 02. Joh. Franc. Buddeus de *ritibus ecclesiae latinae judaicis* in Parergis hist. theol. Halae 1703. 8.

***) V. Suicerus in *thesauro eccl.* T. I. p. 723. it. Meursius in *Glossario*, etsi *Leo Allatius* ex Zonara evincere voluit, dominicam in albis tantum ita fuisse appellatam. Cf. Nic. Koepen de *Jesu Christi apparitionibus post resurrectionem eorumque ordine.* Gryphisw. 1701. Joh. Fecht. de *apparitionibus Christi post ascensionem ipsius factis.* Rost. 1699.

†) Ita in lege Theodosii Jun. *Cod. Theodos.* l. XV. tit. V. de spectac. l. 5. apud Rabanum, Honorium *Augustodun.* alios.

jam obtinuisse Irenaeus*) et Tertullianus**) sec III.***) Origenes****) sec. IV. concilium Eliberinum†) in Hisp. Niceno coaevum, nec non Eusebius††) testantur, ex quo tempore omnes de ea tanquam re, de qua nemo dubitarit, loquuntur, ut Hilarius†††), Ambrosius††††), Hieronymus†*), Chrysostomus†**), Augustinus†***), Maximus Taur.†****)). Neque enim moramur romanenses scriptores, qui, quemadmodum ubique ritus apostolicos clamant, ita etiam de instituta quinquagesima paschali faciunt††*). Frustra hi ad Ambrosium††**) et Hilarium††***) provocant, quum Tertullianus††****) aevo apostolico propior, istam sollennitatem ad ecclesiae traditionem et consuetudinem jam rejecerit; frustra Clementis Rom. constitt. apostol. allegant, quum fatentibus multis ex ipsis Pontificiis ille apostolicam aetatem mentiatur*†).

Sane praeter pascha et *τὴν κυριακὴν καὶ τὴν ἀναστάσιμον* nulla erunt festa institutionis apostolicae in ecclesia, quae primis seculis admodum pauca habuit, nimirum diem dominicam, pascha et pentecoste. Haec deinceps suavi vinculo per quinquagesimam conjunxit forte Asiaticorum Christianorum pietas. A quibus tradita occidentalibus sec II. potuit commemorari.

Erat autem satis longa festivitas haec quinquagesima paschalis et continua quinquaginta dierum sollennitas a primo Christi resurgentis

*) l. c.

**) c. l. et de *jejuniis* c. 14. p. 696, de *corona milit.* c. 3. p. 264.

***) l. c.

****) Ex *sermone* Cypriani de *Spir. S. Opusc.* de *cardinalib. operib. Christ.* locum adferrem, si cum aliis errare vellem. Est enim illud opus Arnoldi Abbatis Bonaevallensis, cui vindicatur adjectum edit. Joh Felli opp. Cypr.

†) Can. 43.

††) In *vita Constant M.* 4, p. 155.

†††) *Prolog.* in *Psalm.* p. 7.

††††) *Comment.* in *Luc.* c. 17, l. 8. p. 176.

†*) *Epist.* ad *Lucin* p. 126.

†**) *Hom.* 8. de *resurrect.* p. 313.

†***) *Tract.* 17. in *Joh.*

†****) *Serm.* 3. in *Pentec.* p. 639.

††*) *Bellarminus* lib. de *cultu Sanct.* 3, 13. et qui hunc defendit, Jac. Gretserus de *festis Christian.* p. 203. loc. Act. 11, 1. 10, 44; 1 Cor. 16, 8. de pentecoste christiana explicant, quae tamen de judaica sine controversia agunt, explosi ideo ab. Is. Faustio *c. diss*

††**) *Auctor* Sermm. qui *Ambrosio* tribuuntur, T. V. Serm. 6.

††***) c. l.

††****) De *cor. milit.* cap. 3. scribit: *harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem traditioni, consuetudini fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces.* * L. V. *Constitutt. Apostol.* c. 19. *Ab ascensione dies, qui est pentecoste*, i. e. *a prima dominica, quinquagesimae, sit nobis maxime festus. Tunc enim hora tertia misit nobis Dominus Sp. S.*

*†) Praestitum id est a Christ. Lupo., Natal. Alex., Franc. Pagi, Halloixio, Tillemontio, aliis, ostenderuntque viri eruditi, hominis Ariani foetum vix ad sec. IV. tempora accedere.

sacro, usque ad diem, quo descensus Sancti Spiritus super Apostolos accidit, currens. Nam universum illud tempus, quo cum discipulis suis conversatus est Servator, ut resurrectionis suae illis documenta daret, intelligit Tertullianus *), quando de profanis quasi triumphans ait: *Ethnicis semel annuus dies quisque festus est: Tibi* (apud Christianum loquitur) *octavo quoque die* (i. e. die dominica). *Excerpe singulas sollennitates nationum et in ordinem texe, pentecosten implere non poterunt.* Praeterea longum illud intervallum clarissimis verbis indicat Ambrosius **): *Maiores tradidere nobis pentecostes omnes quinquaginta dies, ut pascha celebrandos, quia octavae hebdomadis initium pentecosten facit.* Ad quod satis longum festivitatis tempus forte respiciens Eusebius c. l. pentecoste vocat ἑορτὴν τῶν ἑορτῶν, μεγίστην, πανσεπτὸν καὶ παναγίαν.

Sed quia illud tempus initio sine dubio directum fuit ad tempora Judaeorum, inter quos nata fuit religio christiana, Asiatici autem Christiani initio festum paschatos eodem cum Judaeis tempore celebrarunt, Latini contra mature se ab hoc instituto distinguebant, diversitas auspicandi et finiendi quinquagesimam in orientali et occidentali ecclesia orta est, qua per concilium Nicenum maximam partem sublata, antea quinquagesima paschalis fixa, nunc mobilis facta est ***).

Nec improbandus hic veterum zelus, quod e vulgari dierum sorte eximere et prae caeteris sanctos habere voluerunt illos dies, quibus vitae redditus Servator cum discipulis sermones miscuit et discessu suo vehementer turbatos blande et suaviter erigere dignatus fuit. Inter illa, quae a scriptoribus notata deprehendimus, cur hos dies prae aliis caput extollere voluerint, Chrysostomus †) rationem ponit in visibili Christi post resurrectionem in terris praesentia et cum discipulis usu, quod etiam auctor sermonum ††), qui Ambrosio tribuuntur, facit et causam a comparatione temporis pascha praecedentis et subsequentis subjicit †††),

---

*) De *Idololatr.* c. 14. p. 173. edit. Pamel. Cf. de jejun. c. 4. p. 696. de *corona milit.* c. 1., ex quo etiam pariter ac aliis, probat, totum illud quinquaginta dierum a paschate spatium sollenne fuisse iis, qui Christo primi nomen dederant, et pentecostes nomine venisse, Jacobus Godofredus ad L. V. *Cod. Theodos.* de spectaculis §. 4. Cf. Guil. Beveregius ad *Can.* 37. *Apostol.* in edit. *Clerici* patrum Apost. T. I. p. 468. et in *Codice Can. vindicato* p. 361. it. p. 298.

**) *Comment.* l. 8. in Luc. c. 17. p. m. 176.

***) Non repetam controversias de paschate motas, inprimis inter Polycratem Ephesium et Victorem Romanum, in mediis persecutionibus, quibus tunc imperatores in ecclesiam saeviebant, mutuis excommunicationibus agitatas nec cum decretis Conc. Nic. plane extinctas. Vid. Thom. Ittig. *Append. diss.* de *Haeresiarchis aevi apostolici* p. 46—65. et *Select. hist. eccl.* cap. II. p. 79. Joh. Schmidt diss. de *Quartodecimanis* Lips. 1685. Chr. Frid. Tresenreuter *controv. praecip. post. conc. Nic. de paschate ortae.* Altorf. 1744.

†) Hom. 8. de ressurrect.

††) l. c. *Nam in dominica resurgens Salvator reversus ad homines est, et post resurrectionem tota quinquagesima* (potiorem illius partem intelligit a resurrectione ad ascensionem) *cum hominibus commoratus est. Necessarium ergo, ut aequalis eorum sit festivitas, quorum aequalis sanctitas est.*

†††) *Sic enim disposuit Dominus, ut sicut ejus passione in quadragesimae jejuniis contristaremur, ita ejus resurrectione in quinquagesimae feriis laetaremur.*

cum quo facit Augustinus *), scribens: *cum labore celebramus quadragesimam ante pascha; cum laetitia vero, tanquam accepta mercede, quinquagesimam post pascha.* Ipse vero Ambrosius ex alio veluti fonte hanc festivitatem deducere laborat **). Cum his rationibus vix pugnare poterit, si hoc summae laetitiae tempus ex synagoga ad Christi gentem transmigrasse defendimus. Nam constat, quinquaginta illos dies, messis honori apud Judaeos destinatos, maxime in anno laetabiles fuisse nec necesse est, ut cum Ambrosio, ad annum jubilaeum post quinquaginta annos revertentem hic alludamus ***). Pentecostes Judaeorum potissima sua conditione erat sollennitas messis, propterea quod prima messis apud eos tunc finiebatur; erat dies primitiarum, ubi panes de novo frumento offerebant. Hinc festum hebdomadum etiam datae legis appellabatur, ex antiqua traditione promulgatae eo tempore in monte Sinai legis. Quam ob causam putant quidam ecclesiae patres, primos Christianos in hoc festo constituendo ad pentecosten judaicam respexisse eoque nomine comparationes passim faciunt, quae quanquam non absonae, tamen adhuc probatione indigere videntur †).

Voluit potius Christianorum veterum pietas summa beneficia ab optimo Servatore per resurrectionem parta, per adscensionem in coelos comprobata et adveniente Sp. S. collata animis laetis inter omnes amplificare et collaudare, ad haec rudiores et catechumenos de iisdem instituere et confirmare ††).

Singularis autem hujus festivitatis fuit sanctitas, quod ex religione veterum sub hoc tempus apparet. Alia acta hujus magnae et continuatae festivitatis omnibus hebdomadibus fuere communia, alia certis hebdomadibus propria. In prima statim hebdomade, festum resurrectionis Christi proxime insequente, recens baptizati *vestem candidam* septem diebus ferebant, ut testarentur se exuisse involucrum peccatorum, induisse

---

*) Tract. 17. in Joh.

**) l. c. Comment. in Luc. *Nec illud otiosum*, ait, *quod sabbato sepultus est, magnum significans fore sabbatum, quo mors detinetur a Christo. Quodsi Judaei sabbatum ita celebrant, ut et mensem et annum totum quasi sabbatum habeant: quanto magis nos resurrectionem Domini celebrare debemus!*

***) In praef. ad Ps. 50. *Et in lege habes, quia Jubilaeum dicitur quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodum, quo debita vacuantur, confirmantur Hebraeorum libertates, possessionum refusiones. Hunc numerum laeti celebramus* post *passionem Domini, remisso culpae totius debito, chirographo vacuato, ab omni noxa liberi, et suscipimus advenientem in nos gratiam Spiritus Sancti die pentecostes etc.* Convenientiam caeteroquin pentecostes judaicae et christianae describunt Joh. Elias. Reichardt sup. cit. diss. Jo. Andr. Danz de *festo septimanarum judaic. abrogato, surrogato in ejus locum christianorum festo pentecostes* Jenae 1715. Bened. Gottlob Clauswitz de *analogia pentecostes V. et N. Test.* Halae 1741.

†) Vid. de illis Guil. Durandus in *rat. div. offic.* 6, 17. et Christ. Reuterus *diss. cit.* §. 10. Putat etiam Calvoerius in *Ritual. Eccles.* II, 2, 22. occasionem Christianos a Judaeis fuisse mutuatos.

††) Cum sec. IV. Oriens Ariana haeresi scateret, cura major ad fidem orthodoxam de Sp. S. restituendam in istam festivitatem posita est, diligentia imperat. Theodosii M., ut refert Sozom. hist. eccl. 7, 5. v. Cod. Theodos. l. 3. de fide cathol.

innocentiae casta velamina *). Hinc a Latinis dicta fuit *hebdomas in albis* ab isto habitu neophytorum laetitiae innocentiaeque symbolo **). A Graecis νεά et διακαινίσιμος audit, ex augusto resurgentis Christi triumpho, quo omnia renovata, instaurata et ad meliorem statum reducta cernuntur ***).

Augebat sollennitatem istius temporis anni ecclesiastici festivitas, quae ab ista hebdomade initium sumebat. Nam, quum duplicem annum veteres Christiani observarent, civilem a kalendis januariis et ecclesiasticum a paschate, hebdomas nova et laeta a Latinis dicebatur, a Graecis διακαινίσιμος, ob hanc pariter et adlatam rationem †)

Deinceps sequebatur media pentecoste μεσοπεντηκοστή, ea sollennitas, quae per dies octo celebrabatur incipiebatque ab hebdomadis quartae post pascha feria quarta et desinebat in feriam quartam hebdomadis quintae, adeoque, ut Leo Allatius loquitur, *duas mutilabat hebdomadas, primam cauda, alteram capite.* Illam vero Graeci, ut ex eorum ecclesiasticis libris constat, sacram habuerunt, in honorem magnarum duarum festivitatum, paschatis nimirum et pentecostes, tanquam eam, quae utrasque unit et colligat ††).

Alia acta omnibus hebdomadibus fuere communia, quae in compendio ita describi possunt, quod ea omnia peracta fuerint in quinquagesima, quae tempore paschatis et die dominica †††), vel quod istos dies paschate et dominica sanctitate pares habuerint veteres Christiani †*).

---

*) Albus color nullo non tempore innocentiae et venerationis argumentum in se continuit utentesque eo velut quodam sanctitatis velo obnupsit. Gens hebr. eundem amavit, praecipue in vestitu Aaronis et sacerdotum. In sacris libris coelitibus et sanctis stola alba adscribitur. Notissimus etiam habitus candidatorum et manumissorum apud veteres Rom. Celebratissima quoque stola alba Pythagorae. Primi vero Christiani ejusmodi coloris vestitum aliis praetulere. V. Joh. Schmidius de *usu vestium albarum* Lips. 1604. Chr. Potschius de *candido cleric. vet. vestitu sacro.* Viteb. 1685. Urbanus Godofr. Siberus de *Albatis.* Lips. 1713. Chr. Sonntag, de *Stoechariis.* Altorf. 1704. Vestitus hujus ceremonia adeo necessaria visa est antiquae ecclesiae, ejusmodi candida cohorte vehementer delectatae, ut iis neophytis, qui suis sumptibus tales stolas sibi comparare non poterant, ex ecclesia datae fuerint. vid. Godofr. Wegner, de *alba veste baptizatorum* Regiom. 1700. Jo. Georg. Joch de *stola alba neophytorum vet. eccles.* Tremon 1711.

**) Octava infantum s. clausula paschae ejusmodi stola deponebatur, quam ideo *dominicam in albis depositis* dictam ait Joh. Andr. Schmid. diss. de *dominica in albis* Helmst. vulgata.

***) v. Suiceri *Thes. eccles.* T. I. p. 860.

†) v. J. B. Casalius de *rit. vet. Christ.* c. 62. p. 316. Jos. Scaliger. l. I. de *emendat temp.* cap. de diebus.

††) de *dominicis et hebdomad. Graecorum* p. 1460. ad calcem *consensus eccles. orient. et occid.*

†††) Ambrosius *comm. in Luc.* c. 1. *omnes quinquaginta dies ut pascha celebrandi, et sunt tanquam dominica.*

†*) Ut haec recte intelligantur, repetenda erunt ea, quae obtinuerunt in die dominica, cujus sacra ab initio paucis ritibus constabant, lectione sacri textus, concione, precibus, oblatione panis et vini, oblatorum consecratione, communione praesentibus data et absentibus missa atque collectione eleemosynarum.

Publica per id tempus sacra frequentarunt et commemorarunt *τὰ μεγάλεια τοῦ Θεοῦ*, in exaltatione *Θεανθρώπου* vindicata, laudibus et precibus publicis. Partes sacrorum librorum quasdam, inprimis apostolicas passiones, ab episcopo vel presbytero publice praelectas, audiebant, mentibus miraculorum, per Apostolos ad confirmandum Evangelium patratorum, commemorationi intentis.

Nam Actus apostolicos per id tempus legi moris fuisse, ex illustri quadam Theodos. Jun. lege *) et ex Chrysostomo **), inprimis illa homilia, quae respondeat quaestioni, cur in pentecoste Acta legantur, intelligitur, Augustino ***) et Cassiano †) idem affirmantibus.

Putabant esse illud tempus sollennioris adorationis, quo deceat recolere memoriam consuetudinis viventis Christi cum Apostolis et aliis credentibus, porro celebrare servatoris majestatem praesentiamque gloriosae potentiae et gubernationis ecclesiae Christi incessantis; denique venerari Spiritum S. in Petrina concione Actor. II. praedicatum, elogiis et supplicationibus institutis.

Quia tunc mentes Dei cultu occupatae esse debebant, erat hoc tempus quoque *indulgentiae et remissionis* ††), ubi theatrorum atque Circensium voluptas non concedebatur †††), et otium a laboribus erat †*), etsi non ab omni opere servili. Nam cessatio a laboribus non simpliciter, sed in sensu comparato accipienda est, quod scilicet a durioribus

---

Postquam veteres gloriam sabbati jud., ut scribit Augustinus serm. 25. de temp., *in diem dominicam contulerant, ut, quod ipsi in typo, nos in veritate celebremus*, sollennis erat cessatio a laboribus, statio, abstinentia a jejunio, atque alia, quae omnia observata in quinquagesima. v. Eusebii *Orat. de die dominico* cum observatt. Jo. Guil. Jani edita Lips. 1720. 4. Binghami *Orig.* T. IX. p. 13.

*) Cod. l. XV. tit. V. de spectaculis. leg. V. *paschae etiam et quinquagesimae diebus (quamdiu coelestis lumen lavacri imitantia novam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur: quo tempore et commemoratio apostolicae passionis, totius christianitatis magistrae, a cunctis jure celebratur) omni theatrorum atque circensium voluptate populis denegata etc.*

**) Homil. LXVI. p. 849. edit. Francof., ubi rationem dat, cur id sollenne fuerit in quinquagesima, nempe, quod quum in singulis festis ea ex sacris libris legantur, quae in singulis acciderint, ut in quadragesima quae ad passionem dominicam pertineant, in paschate, quae ad resurrectionem: ita Acta Apostolorum esse legenda in quinquagesima. Historiam miraculorum per Dei nuntios, licet post pentecosten patratorum, quam contineant, esse demonstrationem resurrectionis dominicae, ex qua homines habere possint manifestam et indubitatam istius mysterii probationem. Cf. Chrysost. *homil.* 33. *in Genes.* p. 369. Homil. 50. p. 569.

***) *Tract.* VI. *in Joh.* X. IX. p. 36.

†) *Institt.* lib. II. c. 6.

††) Ut Chrysostomus ait Homil. 5. de Anna tom II. p. 1000.

†††) Hanc reverentiam tribuit quinquagesimae Theodos. Imp. leg. supr. cit. *Cod. Theodos. de spectaculis.*

†*) Legitur praecepta cessatio a laboribus in Constitt. Apost. l. 8. c, 33, *τὴν πεντηκοστὴν ἀργείτωσαν*, *ob Spiritus S. adventum concessum iis, qui in Christum crediderint.*

laboribus sibi otium imposuerint *). Sane Christiani tempore persecutionum gravissimarum, si tam diu operas intermissisent, facile agnosci potuissent et egni ex iis maximum e diuturna negotiorum intermissione detrimentum capere potuissent **). Quod etiam ex eo fit probabile, quia actiones forenses et administratio justitiae tantum per octo illos pascha proxime insequentes dies, non per omnem quinquagesimam cessarunt ***). Interea episcopi non parcebant admonitionibus, ne cum relaxatione corporum puritas corrumperetur animorum, sed otiantes puri atque integri pro dignitate istius memoriae viverent.

Ex religione, qua quinquagesimae dies eadem sollennitate, qua dominici, celebrabantur, multa alia *sanctam laetitiam* indicantia sequebantur. Moerorem procul abesse jubebant †), laeta curantes omnia idque agentes unice, ut frontem serenam in vultu ferrent, mentis tranquillae indicem. Quum enim Spiritus S. propiori praesentia nihil laetabile sit magis, nullum proscribendo moerori suspiriisque tempus aptius esse poterat, quam illud, quo praestantissima evangelii momenta anniversaria recoluntur memoria? *Sunt remisso omnis culpae debito, chirographo quoque vacuato, ab omni noxa liberi, suscipientes advenientem Spiritus S. gratiam* ††). Judaeis sollennius nihil erat, quam sabbatum, dierum, ut vocant, reginam, deliciis et voluptate fallere, quo et genio largius, quam profestis diebus indulgere solebant. Eundem morem servabant Christiani, die dominica, Dominum ac optimi status auctorem vivis interesse, semper non sine gaudio recordati †††). Itaque, si sabbati sive diei dominicae sollemnitatem cogitamus, oppido intelligimus, quale fuerit pentecostale illud

---

*) Constantinus M. Imperator quum edicto sanciret die dominico otia in civilibus, rusticorum opera excepit, donec Leo M. Imp. etiam agricolas otiari jussit. V. Sozomenus hist. eccl. 1, 8.

**) Gabr. Albaspinaeus in *notis* ad Can. 42. *concil. Eliberini* et 1. I. de *veter. eccles. ritibus* obs. XV. p. 68. ed. Helmst. G. T. Meieri: *Qua ceremonia*, inquit, *illi dies traducerentur, non liquet; existimaverim, quantum ego conjicere possum, dies illos celebrari et agitari consuevisse publicis de more missarum sacrificiis, eucharistiae quoque sumtione sanctissima obita, aut elogiis recitandis. Addo etiam commune quoddam et publicam gaudium, quo elati jejunare desinerent Deumque stantes omissa genuflexione laudibus ac hymnis extollerent et benedicerent.*

***) Post primam hebdomada pascha insequentem forum aperiri et omnes actiones revocari, moris fuisse constat et Augustini Serm. 19. tom. X. quem *in domin. in albis* habuit, ubi dicit: *peracti sunt dies feriati, succedent jam illi conventionum, exactionum, litigiorum.*

†) Isidorus. Offic. Eccles. I, 32. *totius quinquagesimae dies post Domini resurrectionem, resoluta abstinentia, in sola laetitia celebrantur, propter figuram futurae resurrectionis, ubi jam non labor, sed requies erit laetitiae.*

††) Ambros. cit. loc.

†††) Idem sentiunt *patres Niceni* apud Labbeum *Concil.* T. I. p. 376: *In paschate — incumbere enixe debent Christi fideles orationibus et psalmodiis, et edant et bibant et laetentur, — quia haec est magna illa sollennitas et pascha, in quo ab hoste liberati sumus.* Ex aliorum enim Scriptt. Graec. collatione planum fit, per pascha patres Nic. hoc loco *quinquagesimam paschalem* intelligere.

gaudium *). Quod autem Christiana pietate non sit indignum, festis diebus laetari, praestantissimi viri docuerunt **).

Nullum toto illo tempore ecclesia *jejunium* indixit, ut praeter Tertullianum ***) testatur Ambrosius †) et concil. Nic. canon quoque praecipit. Erat illud ex lege de laetitia quinquagesimali, quia respuunt laeti jejunium, amant tristes ††). Fuerunt jejunia antiquae ecclesiae liberrima pietatis exercitia et ipsum jejunium quadragesimale initio unius aut paucorum dierum fuit, quod probe docuit Joh. Dallaeus †††). Tamen quia rigor quorundam ea deinceps auxerat, legibus cavendum erat, ne turbarent laetitiam quinquagesimae, licet incertum videatur, an jejunandi ritus obesse possit spirituali laetitiae et exultationi in Deum †*). Quod intelligens magnus alias jejunii patronus Hieronymus, id liberum relinquit ††*). Sapienter hanc libertatem sequentibus temporibus secutus est purior coetus, quum in isto opere operato verus cultus minime resideat, et ab ipsis, qui jejuniis tantopere favent, quoddam ex jejuniis quatuor temporum in hebdomaden pentecostes postea sit translatum †††*).

Cum jejuniis istis etiam abesse jubebantur orantium *genuflexiones*, quae olim poenitentibus fere propriae, ut sub eo gestu suum in Adamo

---

*) Docet Isidorus, per omnia eandem in pentecoste sollemnitatem, quam die dominico, custodiri l. c. c. 34.

**) Chr. Reuterus cit. diss. Hebenstreit cit. diss. §. 12. Ex isto laetantis animi more, sine dubio fluxit *risus ille paschalis*, qui, deficiente ab antiqua disciplina ecclesia, ortus est et adhuc in quibusdam Romanensium coetibus obtinet, quo concionatores quidam, satis ridiculi, aniles fabulas nec raro obscoenas, ad exprimendum immodicum a plebecula cachinnum, ipso paschatos sacro pro concione proferunt. Vid. Godofr. Wegneri *de risu paschali oratorem sacrum minime decente.* Regiom. 1705. Joh. Petr. Schmidt. *de risu paschali.* Rost. 1747.

***) Cit. loc. de coron. mil. c. 3. *de dominica jejunium nefas ducimus vel de geniculis adorare: eadem immunitate ac die paschae in pentecosten gaudemus.* Concil. Nic. de Christi fidelium jejuniis agens, sollennitates dominicas et dies pentecostes, sc. qui intersint inter pascha et pentecosten, excipit. v. Labbei *Concil.* Tom. II. p. 376.

†) In Luc. l. cit. *Per hos quinquaginta dies jejunium nescit ecclesia, sicut dominica, qua Christus resurrexit.*

††) Rationem moris auctor sermonum sub nomine Ambrosii latens his verbis dat: *Non jejunamus in quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur. Num possunt filii sponsi jejunare, quamdiu cum illis est sponsus? Cur enim abstineat corpus a cibo, cum anima praesentia Domini saginatur? Non potest enim esse jejunus, qui reficitur gratia Salvatoris, societas enim Christi quodammodo est esca Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima, nobiscum domino conversante.*

†††) De *jejuniis et quadragesima* 3, 8.

†*) Quod faciunt Chr. Wildvogel in *Chronoscopia* de *eo, quod justum est circa quinquagesimam* c. 1. §. 4. et Hildebrandus in *Ritual. Orantium* 7. §. 5.

††*) Epist. XXVIII. ad Lucin. *Nec hoc dico, quod dominicis diebus jejunandum putem, et contextas quinquaginta diebus ferias auferam, sed unaquaeque provincia abundet suo sensu.*

†††*) *Vid.* Bingham Orig. eccles. IX. p. 245.

lapsum in memoriam sibi reducerent et externo etiam corporis habitu memores lapsuum suorum coram Deo sese humiliarent. Nefas enim primis statim seculis duxerunt Christiani, tempore laetitiae, quale omnino est intervallum a paschate ad pentecosten usque, *geniculis adorare* *), et inprimis in quinquagesima non factam genuflexionem, discimus ex Epiphanio **). Stantes ergo erectoque corpore tanquam altero orantium praecipuo ritu, laetitiae, attentionis et reverentiae symbolo, in sacris publicis preces suas per totam hanc pentecosten peragere debebant; quem ritum suo adhuc tempore describit Basilius ***). Membrorum enim laboriosam inter procumbendum humi inflexionem, tanquam lugentium moestorumque signum, indignam tam laeto tempore putarunt et fusis erecto corpore precibus, quanto abundarent gaudio, testatum fecerunt. Quem morem quia nonnulli in ecclesia neglexerant et genuflexiones opposuerant stationibus, per hoc tempus usitatis: huic rei praecavendum existimarunt patres Niceni †).

---

*) Tertullianus cit. l.

**) *Exposit. fidei.* n. XXII. *δίχα μόνης τῆς πεντηκοστῆς ὅλης τῶν πεντήκοντα ἡμερῶν, ἐν αἷς οὔτε γονυκλισίαι γένονται οὔτε νηστεία προσέτακται.*

***) Lib. de *Spir. S.* p. 352. Putat stationem erecti corporis inter precandum esse signum desiderii in coelestem patriam et resurrectionis, quam post hanc vitam exspectamus, denique commonefactionem, quod mentes nostras a praesentibus ad futura transferre debeamus.

†) Can. 20. *Ἐπειδή τινές εἰσιν* (qui videntur fuisse Quartodecimani) *ἐν τῇ κυριακῇ γόνατα κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τῶν πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι ἑστῶτας, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ.* Ille canon positus est sine anathemate, quod indicat forte, non omnem ingeniculationem fuisse prohibitam, quandoquidem Gabr. Albaspinaeus habet in *Nott. ad Can.* 82. concil. Carthag. 4. et in *Observat. de rit. vet. ecclesiae* p. 423. sqq. quod rigor poenitentium graviorum non fuerit laxatus a genuflexione etiam in quinquagesima. Caeterum stationem sub hoc tempus confirmant Tertullianus cit. loc. et Isidorus de *Offic. Eccles.* I. 32, Apostolos ceremoniae istius auctores constituit Hilarius in *Prolegg. ad Psalm.* Contrarium probare tentat, exemplo Pauli eo tempore genua flectentis adducto, Chr. Wildvogel c. l. 4. l. §. 2. Benigniori tamen interpretatione utramque sententiam conciliare videtur Hebenstreit. diss. cit. §. 18. An vero hujus ritus observatio ulla nitatur ratione, et ad laetitiam quidquam faciat, dubitant Wildvogel loc. cit. et Hildebrandus *Rituali Orantium* c. l.

Caeterum dura sunt Durandi verba *Divinor. officior.* l. VI. *de die cinerum* dicentis: *Qui die Dominica flectit genua, Dominum resurrexisse negat.* Antiquissimum hunc morem, quem ab Apostolorum temporibus deducit Irenaeus libro *de paschate* cit. *Quaest.* (p. 498. *Opp. Just. Martyr.*) etiam illustrat Tertullianus in lib. *de oratione* cap. ult. verbis ab L. A. Muratorio in *Anecdot.* T. III. ex Codd. suppletis, quae leguntur in Observatt. Jo. Guil. Jani ad Euseb. *orat. de die dominico* p. 17. ubi et plura de origine hujus ritus deprehenduntur. Vid. A. N. Hübner *de genuflexione.* Halae 1711. Joach. Hildebrand *Rit. Orant.* c. 7. Joh. Hornbeek *Miscellan. sacr.* p. 608.

Id tantum moneo, non confundi debere *stationem*, quam in quinquagesima et dominicis diebus usitatam fuisse defendimus, cum aliis stationibus, dum vox apud script. eccles. mox conventum fidelium in ecclesia, mox processiones ecclesiast., ubi ob varias rationes moras faciunt, significat. V. Onufrius Panvin.

Ex eodem laetitiae spiritualis fonte fluebat et illud, quod in cultu publico his septem hebdomadibus Hallelujah fuit cantatum. Cujus significatus loquitur, factam esse vocem ad gaudium. Illud a Davide, divino instinctu moto, ad celebranda Dei opera in psalmis sic dictis hallelujaticis praecipue prolatum, in quinquagesima pie repetitum ac omnibus cantionibus subnexum fuit. Sane, quum Hallelujah *ad laudem et gaudium pertineat*, uti Amalarius *) habet, nulli tempori id commodius competebat quam illi, quo vix laetius in anno celebrabatur Deus. Non adfirmaverim, aliis dominicis diebus idem haud esse decantatum, id tantum volo, formulam antiquioribus temporibus ad pentecosten veluti de jure aliquo pertinuisse. De qua re testantur post Ambrosium **) et Augustinum ***) etiam *Acta Concil. Toletani* IV. †) etsi alibi moneat Augustinus ††) et de Africanis regionibus Isidorus †††), non adeo severe ritum hunc fuisse observatum. Vocis hebraeae: laudate Dominum, origines in ecclesia christiana sine dubio ex judaica †*) repetendae sunt, quandoquidem initio peculiarem fuisse formulam ecclesiae Hierosolymitanae, e qua Romam translata fuerit tempore Damasi, scribit Gregorius ††*). Deinceps in ecclesia occid. ita obtinuit, ut illam antiquam traditionem dicat Augustinus †††*)

---

de stationibus urbis Rom. ad calcem libr. *de vit. Pontif.* Denique etiam jejunium indicat, quo sensu loca apud Tertullianum occurrunt explicata a Jo. Mart. Chladenio *de stationibus vet. Christ.* Lips. 1744. cui modeste litem movit *Gottl. Wernsdorfius* de Montanistis vulgo creditis haereticis. Gedan. 1751.

*) l. IV. *de offic. ecclesiast.* c. 48. In Collect. *Mich. Hittorpii.*

**) *Praef.* in *Psalm.* 50. *Numerum quinquagesimalem laeti celebramus post Domini resurrectionem — laus dicitur Deo, Alleluja cantatur.*

***) *Epist. ad Casulan.* 86. *Alleluja etiam in aliis diebus cantatur alibi atque alibi, ipsis autem quinquaginta diebus ubique.*

†) Apud Binium *Conc.* T. II. p. 1001. b. §. 11.

††) Epist. 119. c. 17. p. 109. *Alleluja per illos dies quinquaginta in ecclesia cantibus non usque quaque observatur.*

†††) *In Africanis regionibus non omni tempore, sed tantum dominicis diebus et quinquaginta post Domini resurrectionem Alleluja cantatur, pro significatione futurae resurrectionis et laetitiae. Verum apud nos, secundum antiquam Hispaniarum traditionem, praeter dies jejuniorum vel quadragesimae, omni tempore canitur Alleluja. Scriptum est enim:* Semper laus ejus erit in ore meo. *De Offic. Eccles.* l. 33.

†*) Auctor de *vita* et *morte Prophetarum* inter *Opp.* Epiphanii c. 20. putat, Haggaeum prophetam primum Hallelujah Babyloniae cecinisse. Sed a Davide ecclesia Judaica vocabulum hoc accipiens id persaepe adhibuit et deinceps placuit ecclesiae, vocem hebraicam retinere, ita, ut graecas retinuit. Sane christianam ecclesiam hanc etiam formulam infantes docuisse, aratores eam cantasse, in funeribus adhibitam fuisse, testatur Hieronymus *Epitaph. Paulae Fabiolae* ad *Marcellam*, denique nautas usurpasse, Sidonius Ep. X. l. 2. Videatur ceteroquin de ritu hujus vocis Joh. Andr. Schmidius diss. de *insignioribus vett. Christian. formulis* Helmst. 1696. §. 14. it. Ant. Bellotte in *observatt. ad rit. eccl. Laudanens. redivivos* p. 404 seqq. Joh. Bona *Rer. liturg.* 654.

††*) Lib. II. ep. 63.

†††*) In Psalm 106. p. 272

Loco, ubi gaudium pleno pectore conceptum in voces hymnosque sacros erumpebat, non deerant ornamenta. Nam sub idem tempus templa vel loca conventuum sacrorum *betulis frondibusque* hilaritatis festivalis testandae ergo condecorabant veteres Christiani, quo sub luxuriantium tegmine foliorum, conceptam uno animo laetitiam alerent et excitarent seque invicem ad laudes ac gratias Deo hilares persolvendas invitarent *).

Augebat splendorem festivitatis insigniter *baptismus neophytorum* seu recens ad fidem conversorum. In vigiliis pariter ac in quinquagesima paschali reserati erant sacrati fontes et cuilibet libere patebant baptisteria **). Erat quidem haud nefas ceteris anni temporibus, urgente necessitate aut imminente mortis periculo sacro lavacro tingi ***): sed hoc tempus prae ceteris huic ritui destinatum fuisse, testantur antiquitatum sacrarum doctores †). Quo sollenniori baptizandi tem-

---

*) Vid. Andr. Ludov. Koenigsmann. diss. *de antiquitate et usu betulae pentecostalis frondiumque sacrarum.* Kilon. 1707. Istam consuetudinem quidem a scenopegia Judaeorum derivare volunt, sed nulla videtur convenientia, quod nec tempus nec ritus nec causa finalis respondent. Forte alii rectius e Floralibus vet. Romanorum seu Maiumis ortum esse judicant, ubi arboribus floribusque templa exornabantur. V. Reichardi *cit. diss.* d. 27. et Andr. Rivini diatr. de *Majumis* et *Maicampis* in Syntagm. var. dissertt. per I. G. Graevium Ultrai. edit. B. Lutherus ritum deducit ex Psalm. 118. v. 27. sed facile patet ex contextu et scopo psalmi, de multitudine sacrificiorum sermonem esse, quod demonstr. B. W. Marperger in Tr. *de agno ad arae cornua alligando.*

Ritus, quem refert Jo. Andr. Schmidius diss. *de columbis in eccl. Gr. et Lat. usitatis* Helmst. 1711. seque ipsum in quibusdam templis pontif. vidisse adfirmat, quod sc. in pentecoste ex superiore templi parte in altare minus demittatur columba inaurata et manu sacerdotis accepta inter cantus ad altare majus deferatur, nec non quod tum plures columbae e laqueari emittantur per templum volantes; is recentioris originis est, quam ut ad nostram quinquagesimam referri possit, etiam in quibusdam tantum coetus rom. locis obtinet. Amavit vehementer antiqua ecclesia figuram et nomen columbarum nec desunt explicationes et allusiones veterum super hac re; sed ejusmodi mysticos ritus antiquitus non invenio. Amarunt imaginem columbae in baptisteriis, in ambone sacro, et hostiae consecratae in aurea columba super altare pendente servatae fuerunt, ut ostendit b. Schmidius c. *diss.* Amarunt figuram hanc in tumulis martyrum, ut exhibet ex *Aringhio* et *Bosio* Ern. Sal. Cyprianus in *ecclesia subterranea* Helmst. 1699. 4. Posuerunt in crucibus, qualem ex *Ciampino* sistit Mamachi *Orig.* et *Antiquit. Christ.*, ubi pendentem Jesum duodecim circumdant columbae apostolos denotantes T. I. p. 67. ibidem de eo, quod vet. Christ. columbae dicti, multa erudita proferens.

**) Atque haec satis ampla erant et ab ecclesia distincta aedificia ad capiendam hominum multitudinem, et ad commode peragendum baptismum, qui fiebat in antiqua ecclesia, si baptismum clinicorum exceperis, per immersionem. Vid. Joh. Henr. Wedderkamp. de *baptisteriis veterum. Helmst.* 1703. 8.

***) Sic *Concil. Gerundinense* can. 15. de *consecr. dist.* 4. Gelasius can. 17. 19. dict. dist. Leo can. 16. dict. dist.

†) Tertullianus *de bapt.* c. 16. *Diem baptismo sollenniorem pascha praestat, exinde pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est et gratia Spiritus S. dedicata.* Ex quo loco clare patet, per omnem quinquagesimam paschalem baptismum fuisse administratum, etsi id negare videatur Joseph Vicecomes de

pore *) adeo magna hominum ad baptisteria confluentium frequentia fuit, ut diaconi tunc presbyterorum persaepe suscipere coacti fuerint officia **).

Sed confirmationis quoque sacramentum sacrae coenae scil. gaudii istud ac coelestium deliciarum plenum epulum necessariu nexu alligarunt huic laeto tempori leges ecclesiae. Quum enim maximorum Dei beneficiorum in ecclesia non sine laetitiae sensu recolebatur memoria festivaque essent omnia, aequum erat, pignore illo uti animamque saluti aeternae inhiantem eo reficere. Itaque quo minus licebat tempore jejunii frui his divinis epulis, sacro earum desiderio accensi certatim post diuturnam abstinentiam ad has confluxerunt pii Christiani ***). Qua in religione tantus ardor fuit, ut concil. Eliberinum †) illum inter catholicos haud numerandum decreverit, qui in isto tempore eucharistia non fuerit usus. Quare etiam Ambrosius suos ad sacramentum in azymis exhortatur ††), cujus eo tempore quotidie reddebantur participes †††).

---

ritibus baptism. lib. I. c. 25. p. 240. vid. Guil. Caveus *primitiv. Christanismo* p. 240. edit. germ. et Godofredus ad *Cod. Theodos.* lib. 15. tit. 5. de *Spectaculis* leg. 5.

*) Vid. Socrates hist. eccl. 1, 21. *Papa* quoque Siricius *ad Himerium*, Tarrac. episc. ep. I. §. 2. (apud Labbeum T. II. p. 1018), rescripserat, solis his per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi conveniens esse sacramenta. Cujus instituti rationem revocat ab isto Petri tria millia auditorum festo pentecostes baptizantis exemplo Act. 2, 38. 41. Leo *Pontifex Can.* 13. de *consecr. dist.* 4. Nec contemnenda videtur meditatio, sed vera causa, cur inprimis ad ista sollenniora tempora remiserint baptismum veteres, in devota recordatione quaerenda est, qua docere volebant catechumenos in mortem Servatoris baptizandos esse et ad exemplar ipsius resuscitati, vitae novae operam navare et Spiritus S. regenerante gratia imbui oportere. Constat enim hunc morem pervetustum esse nec tamen apostolicum, licet *Constitt. apostol.* paschale et pentecostale tempus ad impertiendum baptismum praescribant. Vid. Jo. Launoius *de sollenmioribus bapt. temporibus* ad calcem. Tr. de *ciborum delectu et jejuniis Christi. Paris* 1663. 8. Vicecomes c. l. Jo. Georg. Weber de *sacris vet. Chr. nocturnis* Lips. 1719. Mich. Ehrenfr. Krause diss. *de pervigilio paschatos ἀναστασίμου*, Lips. Georg. Henr. Goetze de *vigil. paschal. vett. Christ.* Lips. 1687.

**) Ut constat ex *can.* VII. *Synod. Roman. ad Gallos episc.* apud Labbeum T. I. p. 1320. Vid. Caveus *primit. Christ.* cit. loc.

***) Antecedebat enim diuturna quadragesimae abstinentia, quia in jejunio nefas putabatur sacro mysterio pasci. Vid. Gabr. Albaspinaeus de *antiqu. eccl. rit. Observ.* 14. Atque eo magis delectabantur homines in quinquagesima, quibus in quadragesima caruerant. Ex ejusmodi carentia origo ovorum paschalium. Nam quia in jejuniis iisdem carere debebant, sacro paschates amici sibi invicem de his munera dabant. Vid. Tob. Kraskii diss. *de ovo paschali*. Regiom 1705. Joh. Fr. Gottl. Erdmann de *ovo paschali*. Lipsiae 1736.

†) *Can.* 21. de *consecr. dist.* 2. indem sancitum fuit in *conc. Agathensi* can. 19. de consecr. dist. 2.

††) In *enarratione de paschal. celebrit.* T. IV. *Opp.* p. 307. *Sumamus ferventi Spiritu sacramentum in azymis sinceritatis et veritatis.*

†††) Ita tradit Gabr. Albaspinaeus l. c.

Etsi *omnis actus vitae nostrae non debet carere misericordiae munere*, ut Lactantius ait *), tamen hoc praecipue tempore, quo maxima post hominum memoriam beneficia et recolebant et recipiebant veteres, ut in diebus dominicis et festis moris erat, liberales erga pauperes se praebebant **) nec alia caritatis opera, v. c. manumissiones servorum, negligebant ***).

Quod ad augendam celebritatem hujus temporis de baptismi et eucharistiae usu constitutum fuit, idem et circa collationem majorum ordinum observatum. Nam scriptum reliquere idonei auctores, externi ecclesiae status curam habitam fuisse diebus ejusmodi sollennioribus et munera publica, ordines majores, episcopatus, et quae sunt hujus generis alia, in viros probos et ecclesiae utiles fuisse collata †).

Non tamen perpetua hujus rei fuit observatio, quod successu temporis, junctione paschalis et pentecostalis festivitatis sublata, dierum devota sollennitas ad pauciores reducebatur. Videtur ascensionis dominicae dies tum demum sollenni sacro distingui coepisse, postquam desierat quinquagesima, de qua si non verba Augustini ††), inter magna ecclesiae festa ascensionem quoque memorantis, intelligenda sunt, jam hujus Papae temporibus illa decrevit. Post sec. V. praecipue in occidente quidam coeperunt recedere et jejunia atque rogationes his diebus inserere, postquam Mammertus, Viennensis episcopus rogationes cum triduano jejunio ante festum ascensionis ob istas, quae tum Galliam premebant, calamitates instituerat novaeque rei invenerat imitatores. Tandem hi quinquaginta sollennes dies temporis progressu plane cessarunt, illis tamen exceptis, quae diebus quadragesimo in ascensionis Christi et quinquagesimo in Spiritus S. missionis memoriam sunt celebrata. Ad septem dies deinceps celebritas recidit †††), donec triduanis sacris absolvebatur †*). Quod sub finem sec. XI. factum ait

---

*) *De vero Dei cultu* c. 12.

**) Eam ob causam constituti ante fores basilicae erant pauperes, ut constat ex Chrysost. *hom.* 50. in Matth. 9. *de Poenit.* (tom. I. p. 624.) *Hom.* 26. de *verbis apostol.* (tom. 5. p. 332. ed. Francof.) qui hanc caritatem mirifice laudat. Nam suberant specialiori curae ecclesiae pauperes. Vid. Jo. Launoius de *cura vet. eccl. pro miseris* et *pauperibus* Paris 1663. 8. Chr. Hen. Günther diss. de *cura vet. eccl. circa alendos pauperes.* Regiom. 1730.

***) Vid. Godof. Nic. Ittig. de *vet. indulgentia paschali.* Lips. 1700 et Joh. Frid. Joachim de *manumissionibus in ecclesiis.* Halae 1737. §. 18. cum his conf. C. G. Schwarzius *de rit. formul. a manumissione ad bapt. translat.* Alt. 1738.

†) v. Chr. Wildvog. *c. l.* p. 199.

††) In memorabili epistola ad *Januarium* Ep. CXVIII. *Retinentur festa vel ab Apostolis vel conciliis commendata. Sicut Domini passio et resurrectio et adventus de coelo Spiritus S. anniversaria sollemnitate celebrantur.*

†††) Honorius Augustodunensis *Gemmae animae* c. 3. 149. scribit: *per septem dies pentecoste colitur propter septem dona Spir. S.* Vid. Durandus *Ration. divin. offic.* 6, 10.

†*) Probatur hoc est sanctione Gebhardi episcopi Constantiensis apud Baronium tom. XI. *annal. ad an.* 1094. qui scribit *eum statuisse, ut tam*

J. A. Schmidius *). Atque hunc morem hodie status imperii in provinciis suis observant, ut testantur ecclesiasticae ordinationes.

---

in hebdomade pentecostes, quam in hebdomade paschali tres tantum dies festivi celebrarentur. Nam usque ad illud tempus, addit Baronius, *Constantiensis episcopatus comprovincialium morem non est secutus, videlicet integram septimanam in paschate et unum tantum diem in pentecoste observando.*

*) *Histor. fest. et dominic. p.* 129.

XXII.

Ern. Frid. Wernsdorf de simulacro columbae in locis sacris antiquitus recepto *).

Constat inter omnes de θεοφανίᾳ illa, quae facta est, quum Christus Jordani aquis tingi voluisset **). Refert enim historicus sacer in ista S. Triados manifestatione Spiritum S. lucis suae radios coelitus emittentem, ὡσεὶ περιστερὰν descendisse et visibili columbae specie omnibus, qui adstabant et spectabant, quorum ingens numerus erat, apparuisse ***).

Hanc autem corpoream speciem, a Spiritu Sancto adsumtam, antiqua ecclesia mirifice adamavit †) et in Sanctorum et martyrum christia-

---

*) Prodiit, Univ. Viteb. progr. pentec., Viteb. 1773. 4.

**) Quae praeter historiae sacrae fidem, forte ex Justino Martyre, portenta narrat facta, quo tempore Christus ex aquis Jordani escendisset, Severus Alexandrinus a *Guid. Fabricio Boderiano* syriace et latine Antwerpiae editus libr *de Rit. Baptismi* p. 24., ea credi minime debent: nempe solem radios suos inclinasse, stellas Christum flumina sanctificantem adorasse, aquas denique absque lignis et igne calefactas fuisse. Vide I. R. Fabricii *Cod. Apoc.* N. T. pag. 347.

***) Etsi enim sunt docti viri, qui illud Matth. III. 16. ὡσεὶ περιστερὰν ita interpretentur, ut dicant, non columbae habitum a Spiritu Sancto adsumtum indicari, sed tantummodo respici ad columbae volatum et Spiritum Sanctum columbae velociter volantis more in Christi caput molli placidoque strepitu descendisse: plurimi tamen, quos laudat J. C. Wolfius in *curis Philol.* ad eundem hunc Matthaei locum, inter quos praecipui sunt *Hammondus*, *Majus* et *Markius*, hanc sententiam constare haud posse docuerunt. Praeterquam enim quod apud Lucam Spiritus Sanctus disertis verbis dicitur σωματικῷ εἴδει descendisse, illud intelligi haud potest, si Matthaeus ad columbae volatum duntaxat, non etiam ad ejus corporeum habitum respexit, cur hujus alitis potius, quam alius, aut generis alitum universi nomen adhibuerit.

Quapropter una et consentiens antiquae eccesiae opinio fuit, corpoream et adspectabilem columbae formam a Matthaeo significari.

Tertullianus de *car. Chr.* c. 3. longius justo progressus, in Spiritus Sancti personae communionem columbam perinde adscitam vult, atque in Christo est natura humana. Sed Augustinus *de agone christian.* c. XII. veram adfirmans columbam fuisse, negat eam in Spiritus Sancti communionem hypostaseos adsumtam. Et Paschasius lib. *de Spiritu S.* c. VII. *Intelligendum est*, inquit, *in columba species pertransiens, non substantia perseverans.* Justinus M. in *Dial.* cum *Tryph. Jud.* ignem fuisse tradit. Sed ejusmodi quid aut fulguris speciem fingere, minime necesse est, quum columbae formam adsumere non magis indignum Spiritui Sancto sit, quam sub ignis habitu comparere.

†) Sic figuram Spiritus S. amari ab ecclesia, Tertullianus allegorice ait libro *advers. Valentin.* c. 3. In quem locum de ecclesia, columbae domo

norum tumulis, in crucibus, in ambone, in baptisteriis, in altari aliisque locis sacris vel ornatus vel mysterii gratia columbam symbolicam vario genere artis expressam frequentissime exhibuit. Nulla fere fuerunt antiquorum templa, nulla coemeteria, nulla alia sacra loca, in quibus non essent columbarum vel imagines pictae aut caelatae, vel siga ex auro argentove, aut ex ligno facta: quorum signorum quaedam etiam sacris usibus tanquam vasa inserviebant.

Ultimo res in superstitionem versa, in crepundia et lusus pueriles turpiter degeneravit. Cujusmodi lusum nostro adhuc seculo, in quibusdam communionis Romanae ecclesiis a se ipso visum commemorat J. A. Schmidius *). Is testis erat, quum in sollennibus sacris pentecostes sacerdos comite alio inferioris ordinis inter preces et hymnos populi in medio templi post meridiem exspectaret adventum Spiritus S., mox columba inaurata ex templi parte superiore in altare minus demissa et manu sacerdotis excepta inter hymnos ad altare majus deferretur; quo facto, plures ex alto laqueari sublimis templi emissae columbae per totum templum volitabant, stupae dejiciebantur et aquae aliquid ob rationes mysticas adfundebatur.

Quoniam igitur columba symbolica in locis sacris conspicua res valde grata est antiquitatis ecclesiasticae amatoribus, qui videant eam valere ad monumenta doctorum veteris ecclesiae rite interpretanda: de simulacro columbae in locis sacris antiquitus recepto breviter commentemur et quibus in locis hae imagines propositae, cui usui destinatae fuerint et quid veteres ea re indicare voluerint, ostendamus.

Primum, ut diximus jam, columbarum simulacra in monumentis sepulcralibus, in crucibus, in altari, baptisterio, ambone sacro apud antiquos Christianos locum habuerunt. Nec una eademque omnium horum simulacrorum fuit ratio. Alia enim coloribus picta erant, alia caelando expressa eaque aut prominentia ex plano, aut solida et integrum corpus habentia, laborata in omni genere materiae, in ligno, in marmore, in metallo auri, argenti, aeris. Etiam thecae, in quibus modo

---

simplici, et figuram Spiritus S. amante, praeclare commentatus est ante hos tres annos J. Christ. Wernsdorf. Progr. Helmst. 1770. 4.

*) *De columbis in ecclesia Gr. et Lat. usitatis* Helmst. 1711. 4. pag. 15. ubi tamen probe observat, non esse hunc ritum in ecclesia Romana catholicum, sed in quibusdam tantum locis obtinere. Certe in libris ritualibus toti ecclesiae communibus, qualis Gavanti *Thes. sacr. rit.* est a Merato erudite locupletatus, hic pentecostalis ritus non reperitur. Habet tamen eundemque excusatum it, quasi id omne *ad plebis potissimum instructionem et devotionem agatur* Edm. Martene de antiq. eccl. Rit. T. III. p. 546. edit. Antwerp. in fol. Ceterum recte reprehendit illum Thomas Naogeorgius *Regni Papist.* l. 4. p. 185. festa in latina ecclesia describens:

In Pentecoste mites altaeque columbae
Funiculis leviter vinctae mittuntur ab alto,
Lignea postremo coelo dependet eodem.
Cernis, ut idolis ludant doceantque popellum,
Non secus ac puppis tenerae adsuevere puellae.

hostiae consecratae, modo Sanctorum reliquiae recondebantur, quod columbarum figuras referrent, ipsae quoque columbae appellabantur.

Nec columbae figura toties ab antiquis exhibita, semper et ubique Dei Spiritus S. symbolum erat, quo ejus praesentia et virtus aut aliquid ejus gratia et ope actum significaretur. Indicabat nonnunquam symbolica columba quasdam piorum Christianorum virtutes, mansuetudinem, caritatem, innocentiam et maxime simplicitatem, a Christo commendatam similem columbinae.

De his omnibus rebus plane constabit, si ea loca, in quibus veteres columbae figuram ponere soliti fuerunt, sigillatim omnia lustraverimus.

Ordiemur autem a coemeteriis, in quibus veterum Christianorum et martyrum sepulcralia monumenta deprehenduntur. Exhibent celebratissimae illae catacombae Romanae in topho suburbano longe plurimas columbarum imagines ab Antonio Bosio et Paullo Aringhio, in operosissimo pariter ac splendidissimo *Romae subterraneae* libro servatas et illustratas *). Ibi harum rerum curiosi omnibus propemodum paginis invenire ac spectare poterunt columbarum imagines in Christianorum sepulcris expressas, plerumque una cum olivae ramunculis, in victoriae signum adjectis, quod Christi athlethae, reportata ex tartareis, quibuscum dimicassent, hostibus, laurea, depositis ibi mortalis sarcinae exuviis, suaviter jam in Domino quiescerent. Interdum una modo columba visitur **), gerens in ore ramum, aut etiam alterum pede premens; interdum visuntur duae columbae; modo ramulos ore gestantes, modo sine ullis ramulis ***). Maxime autem cernitur columba in puerorum ac virginum tumulis tanquam innocentiae symbolum adposita †). Si

*) Post *Romanam* elegantia et nitore se commendat editio *Parisiis* a. 1659. in f. curata, ubi quae prope omnibus paginis occurrunt incisa in aes monumenta figuris columbarum ornata, multum jucunditatis praebent spectantibus. Nec ea desiderantur in minori libro, qui *Romam subterraneam* in compendium redactam exhibens, prodiit *Arnhemiae* latine 12. et a Chr. Baumanno *germanice* versus itidem *Arnhemii* 1668 eadem forma. In quo altero libro pag. 362. ejusmodi figurae aliquoties exhibentur.

Ne is quidem, qui Aringhium utiliter excerpsit Ern. Sal. Cyprianus, has neglexit figuras in libello *de Ecclesia subterranea*. Helmst. 1699. Ceterum de his *catacombis Romanis* duabus dissertt. egit Amandus Gotth. Fehmelius Lips. 1710, et quem in illis explicandis adhibere oporteat cautionem exposuit Pet. Zornius diss. de *Catacombis* s. *sepulcralibus SS. Martyrum* c. Bosium, Mabillonium, Ciampinum aliosque Romanenses disputans.

**) Cujus rei exempla habes longe plurima apud Aringhium *Rom. subterr.* T. I. pag. 344. 45. in Olympii pueri triennis et Claudianae puellae octennis epitaphiis.

***) Ita binae columbae in monumento Gaudentiae apud Aringhium T. I. p. 339 in Aurelii Fortunati T. II. pag. 12. in Critesii pueri octoennis p. 325.

†) Ut autem columbae in monumentis juvenum pro innocentiae signo, ita in virginum monumentis pro signo castitatis caritatisque accipiuntur. De monumento, quod vidua marito posuit, in quo monumento expressa cernebatur columbae imago, scribit Aringhius T. I. p. 180. hunc in modum: *Columba viduae continentissimae et integerrimae imago est et symbolum dilectionis; in illo siquidem alite singulare continentiae exemplum deprehenditur, quod marito fidem servat inviolatam nec ei notum est adulterium.* De continentia columbarum ego

vidua defuncto marito monumentum posuit, fere columbam in castitatis signum addendam curavit. Idem etiam viros in uxorum fecisse monumentis notavimus.

Sed ut in titulis sepulcralibus, virginum praecipue ac puerorum, quibus praematura morte defunctis innocentiae testimonium perhiberi poterat, columbae imaginem veteres Christiani libenter insculpi voluerunt: ita etiam in lucernis, quae coemeterialibus locis suspendebantur, hoc divini spiritus hieroglyphicum exprimendum eoque velut mystico quodam typo etiam ipsas *lucernas sepucrales* obsignandas curarunt. Modo autem lucernae hae columbam in aliqua parte superficiei expressam et exstantem habebant; qualis illa est, quae in coemeterio Callisti reperta, ab Paullo Aringhio *) suppeditatur, cujus in posteriore parte conspicitur crux et insidens ei columba. Modo erant in solidam et integram columbae figuram totae formatae; cujusmodi lucernam a Casalio acceptam itidem exhibet et describit Aringhius **).

Ac tales quidem columbas moris fuisse in tumulis poni martyrum

---

nihil adfirmo; de innocentia magis constat. Exhibent Bosius atque Aringhius c. l. tabulam, in templo S. Praxedis Romano conspicuam, quae sistit praeter Christi monogrammon coronatum, columbam volantem olivaeque ramum ferentem, addita hac epigraphe: Dulcis et innocens hic dormit Severianus in somno pacis. Caeterum in commemorandis columbarum virtutibus, unde homines exemplum petere possint, multus est Aringhius *Rom. Subterr.* T. II. pag. 326. remque multis allatis veteris ecclesiae doctorum testimoniis confirmat. Rubertus Tuitiensis abbas in *Cant. Salom.* (T. I. ed. Mogunt. 1631. p. 1074.) praecipuas columbarum proprietates his recenset verbis: *Haec avicula primum sine felle est, deinde nihil vivum comedit, pullos alienos nutrit, grana quaeque candidiora colligit, in petris nidificat, gemitum pro cantu habet, libenter juxta fluentia residet, ut venientem accipitrem ex umbra praecognitum effugiat.* Sane reprehendendi non sunt antiqui candidae fidei et illibatorum morum Christiani, quod columbae imaginem in magno a se pretio habitae in coemeterialibus cubiculis frequenter usurparunt, cujus e symbolico adspectu christianae virtutis et divinorum arcanorum mysteria intuentibus ingeri debebant. Non enim tantum Spiritus S., sed etiam universi coetus christiani symbolum fuit columba; utpote quae Servatoris jussu debet pios vel hortari vel monere, ut innocentiae, integritati ac simplicitati vitae sedulo ac diligenter studeant mutuoque inter se amore alius alium complectatur.

*) *Romae Subterr,* T. I. p. 301. ubi hujus lucernae figuram in aes incisam exhibet, de qua et Fortun. Licetus de *recondit. antiq. lucernis* pag. 871. et Mich. Ang. Causeus de aeneis antiq. lucernis, *Thes. Graev.* T. XII. pag. 981.

**) *Romae Subterr.* T. II. p. 325. Multa in hanc rem haud inutiliter attulit Henr. Leon. Schurzfleisch diss. de *lucernis vet. Christianor. sepulcralibus.* Viteb. 1710. pag. 72. Ibi p. 44. seqq. causas recepti a veteribus moris accendendi lampadas ad tumulos martyrum exponit et adversariorum criminandi cupiditatem confutat, insimulantium, eum aliquid profanae gentilium superstitionis redolere, negans verum esse id, quod olim Vigilantius objecisset, eum pertinere ad martyres illuminandos, quippe quos agnus in medio throni cum omni fulgore majestatis suae illustraret. Sed morem istum initio propter nocturnos in coemeteriis et cryptis conventus imperante necessitate invectum, postea laetitiae gratia usurpatum fuisse, qui quoniam ab omni religioso martyrum cultu abfuisset, nullam videri causam esse, cur veteres Christiani ullius culpae aut paganae superstitionis rei faciendi sint.

christianorum ex Gregorio Turon. *) constat, narrante, hominem eum, qui columbam auream e S. Dionysii, Parisiensis episcopi, sepulcro furtim auferre voluisset, ea ipsa lancea, qua elidere illam voluisset, confossum periisse. In Longobardorum sepulcris antiquus illorum scriptor Paullus Warnefried**) columbas ex ligno factas pependisse commemorat.

Aureas vero columbas nonnunquam Sanctorum reliquiis conditorium praebuisse refert Joh. Mabillonius ***).

Habebant olim domus institutae peregrinis excipiendis et pauperibus refocillandis plerumque in coemeteriis locum, item ut nostro tempore apud nos in Saxonia videmus; quae quia fere Spiritui Sancto dedicata sunt, in fronte aut in aditu aut in alio principe domus loco vel pictam vel effictam ostendunt columbae speciem eam, qua indutus Spiritus S. de coelo descendit ac Johanni Baptistae, quum is Christum Jordanis flumine abluisset, conspiciendum se praebuit †).

A coemeteriis ad ipsum templum ut veniamus, in ejus vestibulo pariter atque in abside antiquitus erant positae cruces, columbarum imaginibus ornatae. Iis enim crucibus, quae publico in loco tanquam salutis Christianorum signa positae stabant, veteres consuerant imponere superne tres illas imagines, quibus manifestari sancta Trinitas voluit, aut certe columbam, Spiritus S. figuram ††).

---

*) *De gloria martyr.* lib. I. (pag. 802. edit. Ruinart.): Alius *super sepulcrum sanctum calcare non metuens, dum columbam auream lancea quaerit elidere elapsisque pedibus ab utraque parte, quia turritus erat tumulus* (i. e. non turrim habens impositam, sed in modum pyramidis acuminatus) *compressis testiculis, lancea in latere defixa, exanimis est inventus.*

**) De rebus Longobard. 5, 34. „Si quis aut in bello aut quomodocunque extinctus fuisset, consanguinei sui intra sepulcra perticam figebant, in cujus summitate columbam ex ligno factam ponebant, quae illuc versa esset, ubi eorum dilectus obiisset.“

***) De *liturgia Gallicana* lib. I. pag. 92. scribit, mentionem fieri de aurea columba ecclesiae b. Mariae Laudunensis ab Hermanno Monacho lib. III. *de Mirac. Mariae* c. 28. narrante furtum Anselmi cujusdam, qui auream columbam ablatam confregisset, multum famosam illam et honorabilem ob S. Mariae lac et capillos intus reconditos. Addit Mabillonius, vix alibi aliquo in loco ejusmodi columbas, quae reliquias continerent, inveniri. At Ant. Bellotte in *Observatt. ad Ritt. ecclesiae Laudun. redivivos* par. 1662. ed. p. 502. tradit b. Mariae virg. sanctum lac inde ab antiquissimis temporibus vasculo aureo, in columbae formam confecto, in ecclesia Laudunensi adservatum, quotannis VIII. kal. febr. festiva sollennitate honorari et coli.

†) Pertinebant in veteri ecclesia ejusmodi domus ad exedras templi, quibus Theodosius Imp. lege illa: *de his qui ad ecclesias confugiunt* eandem, quam basilica ipsa habebat, immunitatem concessit. De his *Hospitalibus* praeter Kirchmayerum in diss. ad illam sententiam Lactantii: *omnis actus vitae nostrae, ne careat misericordiae munere* proposita Viteb. 1693. egit praeclare J. A. Schmidius de *Hospitali S. Annae.* Helmst. 1715. 4.

††) Hac de re habet erudita, licet a superstitione haud aliena, qui crucis Dominicae particulam in apostolico sacrario Romae adservatam describit Angelus Rocca T. I. *Thesauri pontificiar. et sacr. Antiquitt. rit. ceremon.* Romae 1745. p. 155.

Paullinus, ecclesiae Nolanae in Campania episc., qui ornamenta et picturas basilicarum versibus illustravit, rem hanc satis loquitur, describens crucem in abside basilicae Nolanae musivo opere factam *) et item aliam in abside Fundani templi a se exstructi **). Memorabilis illa crux Romana, quam Joh. Ciampinus ***) exhibuit ac descripsit, columbae habet imaginem, sicut etiam elegans illa gemmata crux, quae in musivo majoris absidis Lateranensis basilicae Romae videtur. In summo hujus crucis apice columba cernitur alis expansis velans, aqua ex ejus ore uberrima defluente †).

---

*) Epist. XXII. ad *Severum* pag. 206. (edit. Paris. *le Brun.*):

Pleno coruscat Trinitas mysterio.
Stat Christus agnus: vox Patris coelo tonat:
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo.

Ad quae vide omnino *Notas* cit. edit. Opp. *Paullini* Par. an. 1685. T. II. pag. 67.

**) *Epist. ad Sever.* XXXII. p. 210.

Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno
Alite quem placida Sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et rutila genitor de nube coronat.

***) In hist. investigat. ad Norisium *de Cruce Stationali* Romae edita an. 1694. pag. 14. tradit haec: *In crucis summitate aeternus Pater, ni fallor, mundum creans, expressus est. Nam aquae cernuntur, in quarum medio aliquid solidum, ibidem ad dextram quaedam figura ab aquis velut emergens, ad sinistram alia similis figura, veluti in aquam se immergens expressae sunt, inter ambas has figuras* Spiritus Sanctus in columbae *forma adumbratus est.*

†) Qui *de basilica et Patriarchio Lateranensi* libros IV. ad Alex. VII. R. P. Romae 1656, vulgavit C. Rasponus rem de hac cruce pag. 42. his edisserit verbis: *Crux est elegantissima, quae referta gemmis videtur. Superne non absque eleganti significatione* columba *exstat* expansis alis, *ex cujus ore manant uberes aquae, et ita stipitem crucis irrigant, ut in ima ejus parte fons redundet, ex quo flumina quatuor effluere videntur. Significationem horum mysteriorum interpretamur ita, ut in columba Sp. S. exprimatur, quatuor autem flumina terrestris paradisi, significent fluentia gratiae, quae a Spiritus S. fonte promanant, et mundi quatuor partes suis coelestibus donis, ac sanctissimis sacramentis perpetuo irrigant.* Eandem interpretationem habet et ipsius crucis delineationem exhibet Jac. Bosius in *Cruce triumphante et gloriosa* l. 6. p. 62?. Vid. B. Casalium *de vet. sacr. Christian. rit.* pag. 4.

Vides in hac ecclesiae Lateranensis Romanae cruce, columbam supervolare crucem, in aliis columba ex antiquo ecclesiae ritu cruci insidet et incubat. Hinc etiam *Opp. Paullini Nol.* editor Le Brun T. II. p. 67. conjicit cruci, quam Paullinus describat, columbam insedisse. Primo enim appellari columbam:

Et per columbam Spiritus S. fluit

dein sequi crucem:

Crucem corona lucido cingit globo

Certe in antiqua illa cruce lapidea apud Chiffletium in *Veson*. p. 208. columba super crucem. Et in cruce illa, quam Jac. Gretserus lib. *de Cruce* p. 376. et 80. vetustissimam putat, quippe in S. Thomae Ap. civitate Malipore inventam, columbae figura est in crucis fastigio. Caeterum de columbis a veteribus Christianis in cruce, in sacris tabulis, in fontibus baptismalibus etc. effigiatis, ex antiquitate ecclesiastica et pontificia nemo facile plura attulit Justiniano Chiapponi in *Actis Canonisationis S. S. Pii V. Andr. Avellini* etc. Romae 1720. Nam quia in Missa Canonisationis Sanctorum romana,

Sed cruces veterum in loco publico positae, non semper unam tantum columbam fastigio vel insidentem vel expansis alis supervolantem ostendebant. Interdum ambiebant crucem plures columbae, quarum numerus aliud aliquid indicabat. Denotabantur enim ille mox Jesu Christi Apostoli, mox alii pii et fideles, ut quibus omnibus columbinam simplicitatem prudentiae serpentinae junctam Christus commendavit. Atque ita rem interpretatus est Paullinus ecclesiae Nolanae episcopus, iis versibus, quos depictis in porticu templi Nolani crucibus adscripsit *). Ejusmodi autem coronatae cruces apud illum duae sunt **): una, quam lucidus columbarum circulus velud iride ambit, altera, cujus vertici corona imposita ex columbis erat.

Sed et hodie talis crux Romae in curvitate absidis templi S. Clementis, vetustissimo et elegantissimo opere musivo picta conspicitur. In ea Christi adfixi imago nuda, quatuor clavi cum suppedanea tabella. In ipsius crucis quatuor sive ramis sive cornibus cernuntur duodecim candidae columbae, quae coetum signant duodecim Apostolorum ***).

A columbis crucem ornantibus ad suggestus ecclesiastici seu ambonis sacri columbam accedamus. In ambonis enim ciborio seu umbra-

---

oblatio columbarum fit, adjunxit is operi dissertationem: de *oblationum in Missa Canonisat. S. S.* mysteriis ubi pag. 267. ss. de *columbarum oblatione* agens, in has res exspatiatur.

*) Crucis hujus a Paullino *Epist. ad Sever.* XXXII. pag. 206. descriptae, coronam cingebant eamque ipsam quasi coronabant columbae duodecim, pro duodenario Apostolorum numero: de qua re canit:

Crucem corona lucido cingit globo
Cui coronae sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.

Deinde memorat Paullinus Nolanus eadem *Epist.* pag. 208. in basilicae Nolanae ingressibus esse dextra laevaque cruces minio superpictas, hoc epigrammate:

Ardua floriferae crux cingitur orbe coronae
Et Domini fuso tincta cruore rubet.
Quaeque super signum resident coeleste columbae,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Quod epigramma docet nos, columbarum agmen significare pios Christianos: id quod etiam ex hoc Paullini voto, paullo post subiecto, clarius intelligitur:

Nos quoque perficias placitas tibi Christe columbas
Si vigeat puris pars tua pectoribus.

**) L. l., ad quae vide *observatt.* editionis Opp. Paullini *le Brun* T. II. pag. 70.

***) Typum hujus crucis ex ipso exemplari feliciter expressum dedit Jac. Bosius *Cruc. triumph. et gloriosae* 6. 11. quod fecit etiam Phil. Rondinini libro *de S. Clemente ejusque basilica in urbe Roma*, 1706. Similem exhibet crucem Thom. Mar. Mamachi *Orig. et Antiquitt. Christian.* T. I. pag. 67. in qua pendentem Iesum duodecim circumdant columbae. Idem eodem in loco disquirit, cur veteres pii Christiani columbae dicti sint. Apostoli autem, cur symbolica columbarum imagine designati antiquitus fuerint, ejus rei causas exponit Aringhius *Romae Subterr.* T. II. p. 390, Nos quoque in eam rem nonnulla diximus, quum ante hos XX. annos Lipsiae professionem ordinariam antiquitt. ecclesiastic. adiremus progr. *de quinquagesima paschali* p. 17.

culo altius educto, columba olim itidem, ut hodie quoque, locum obtinuit; quae ibi aut in fastigio supervolitaret aut in fronte corpus erigeret aut intus in curvatura pendens aut ex plano prodiens velut in oratorem descenderet. Ac dici vix potest, quantum elegantiae prae se ferat haec Spiritus figura, auro plurimo inducta, pendens in cavo ciborii super ambone, qui ex altari protuberat, in templo nostro academico, restaurato illo quam splendidissime, nisi quod priora venerandae antiquitatis monumenta amissa desiderantur.

Illi vero ambones, quibus nulla imposita erat ciborii species, a qua tegerentur, columbam in fronte adpictam habuerunt *).

Nec episcoporum cathedras, de quibus illi nonnumquam ad populum verba faciebant, columbae imagine caruisse, declarat monumentum illud, quod Romae in Marcellini et Petri Martyrum coemeterio a Bosio repertum ab Paullo Aringho exhibetur **). Nam in eo marmore conspicitur cathedra episcopalis, cujus in parte summa constitit columba diademate redimita, Spiritus s. notans opem atque adsistentiam ***).

Ita etiam in ambone sacro non tam ornatus, quam commonefactionis gratia, locum et olim habuit et hodie habet columba. Nam ut doctores ipsi ambonem sancto animo adscenderé ac Dei voluntatem recte auditoribus interpretari debent: ita horum officium est cogitare, nihil doctorem ex spiritu privato loqui, sed quae a Spiritu S. per vates et Apostolos tradita, litteris consignata habeamus.

Ab ambone jam ad altare progredimur, columbam in eo spectaturi. Quam diu igitur altaria olim nihil a tergo altius superstructum habebant, sed mensae tantum erant, in media mensa, praeter signum crucis, figuram columbae auream vel argenteam, intus cavam, antiqui Christiani positam habuerunt. Ex quo autem in altaribus de quatuor columnis surgens umbraculum erectum est †), coepit suspensa ex eo columba altari imminere eique velut supernatare. Docent eam rem ve-

---

*) Qualem Sophianum ambonem descripsit, ac delineandum curavit Carolus du Fresne *Constantinop. Christianae* l. III. p. 69.

**) *Romae Subterr.* T. II. p. 29 et 362; ubi multus in eo est, ut ostendat, ingenti mysterio fieri, ut pontificiae cathedrae insideat columba: quippe quae intuentium, tum oculis, tum animis insinuet, Spiritum S. jugiter apostolicae sedi Petri praeesse. Nec mirum est, hominem qui (Tom. I. pag. 155.) bellam Caes. Baronii fabulam de Petri cathedra Romana, ex ligno facta, egregie ornare potuit, de episcoporum electionibus columbae indicio factis et de columba Gregorii M. auribus adsidente multa superstitiose narrare.

***) Nam Esaias vates c. 61. spiritum Domini ait super Messia esse, quem unctum Jova misisset, ad laeta inopibus nuntianda. Idem est Spiritus S., a quo nos ad omnis veri scientiam ducendi sumus.

Ceterum *de Ambonibus vet ecclesiae* diss. exstat Chr. Weidlingii Lips. 1687. 4. De illis agit etiam Bern. Ferrarius libro *de Ritu sacrar. ecclesiae vet. concionum* p. 356. et Joh. Andr. Schmidius disquisit. de *cathedris doctorum veterum*.

†) Habes figuras apud Joh. Vogtium de *Altaribus* p. 145. item apud eos, qui urbis Romanae templa descripserunt. Is autem qui *basilicam S. Mariae Majoris* Liberianam splendidissimo opere Romae an. 1621. exposuit, Paullus de Angelis, exhibet columbam expansis alis fastigium ciborii quasi tegentem atque obumbrantem p. 90.

terum ecclesiae doctorum scripta: ex quibus intelligitur, magis mysterii significandi, quam ornamenti constituendi causa hoc receptum fuisse, deinde superstitiosum usum accessisse.

Antiochiae quidem, in urbe Orientis regina, suspensas in templorum altaribus pependisse tales columbas et aureas et argenteas, Acta Concilii Constantinopolitani a. 536. habiti loquuntur *). Nam in iis inest libellus supplicationis ad Johannem Patriarcham et synodum sub Menna episcopo congregatam; in quo libello clerici et monachi Antiocheni Severum episcopum, Acephalorum ex Monophysitis antesignanum, sacrilegii accusant, quod sacris altaribus et vasis haud pepercisset corripuissetque aureas et argenteas columbas, quae super divinis lavacris et altaribus *εἰς τύπον τοῦ ἁγίου πνεύματος* adpensae fuissent, hac praetexta causa, *οὐ χρῆναι ἐν εἴδει περιστερᾶς τὸ ἅγιον πνεῦμα ὀνομάζεσθαι.*

Igitur columbae super altaribus Antiochenis pendebant in alium usum, quam ut pro vasis adhiberentur, nempe in hunc, ut esset is *τύπος τοῦ ἁγίου πνεύματος*, hoc est, ut Spiritus S. mysterium significaretur, figura columbina hominibus adparentis.

Et erat hoc maxime conveniens ritibus et institutis Graecorum eucharisticis; utpote apud quos in s. coenae liturgia *ἐπίκλησις* ad Spiritum S. recepta erat, quae fuit illius invocatio, ut virtute sua sanctifica dignos eucharistiae beneficio redderet Christianorum illa utentium animos.

Nec Latinorum abhorruit mos, in precibus ad altare eucharisticis invocantium Spiritum S., ut oblationem sanctificaret. Quod ipsum antiqua sacramentaria a Lud. Ant. Muratorio edita **) sigillatimque canon Missae Gregorianus abunde commonstrant.

Omnino igitur haec Sp. S. figura columbina tributa est altari, ad Spiritus S. *ἐπέλευσιν* denotandam et ad communicantium devotionem excitandam.

Praeterquam autem quod hunc usum, quem diximus, aureae altarium columbae habuerunt, etiam consecratis hostiis, eucharistiae reliquiis, adservandis inservierunt. Basilium M. archiep. Caesareae Cappad. scribit Amphilochius ***) morti proximum sumsisse sacram eucharistiam, dominico pane diviso in partes tres, quarum unam condi voluisset in aurea columba in altari pendente. Amphilochii verba haec sunt: *Καὶ διελὼν τὸν ἄρτον εἰς τρεῖς μερίδας, τὴν μὲν μίαν μετέλαβε φόβῳ πολλῷ καὶ σεβάσματι· τὴν δὲ ἐφύλαξε συνταφῆναι αὐτῷ·*

---

*) Tomo V. Conciliorum ex edit. *Nic. Coleti* p. 1130.

**) *Liturgia Romana vetus, tria sacramentaria Leonianum, Gelasianum et antiq. Gregorianum* complectens, prodiit *Venet.* 1748 ubi vide T. I. p. 120. concedentem Muratorium Graecorum invocationem Spiritus S., ut in sacra dona illapsus faciat corpus et sanguinem Domini, in Liturgia Mozarabica, Gothica et vetere Gallicana reperiri.

***) In Vita S. Basilii *Opp. ex edit. Fr. Combefisii* p. 176 et 177. Scio quidem esse hoc nugivenduli Graeci recentioris opus, falso adscriptum illud Iconiensi episcopo, ut recte Caveus et Dupinius judicarunt. Sed quocunque ille seculo vixerit, morem tamen seculo quarto usitatum facile respexit.

τὴν δὲ ἑτέραν ἐνθεὶς περιστερᾷ χρυσῇ, ἐκρέμασεν ἐπάνω ἁγίου θυσιαστηρίου. Et paullo post idem, nescio quis, Amphilochius, certe non Iconiensis episcopus pergit narratque qua ratione Basilius rem perfecerit: *Καὶ προσκαλεσάμενος χρυσοχόον, ἐποίησε τὴν περιστερὰν ἐκ χρυσίου καθαροῦ, καὶ ἐν αὐτῇ κατέθετο τὴν μερίδα, κρεμάσας ἐπὶ τὴν ἁγίαν τράπεζαν, ἀντίτυπον τῆς ἁγίας ἐκείνης περιστερᾶς τῆς φανείσης ἐν Ἰορδάνῃ, τοῦ Κυρίου βαπτιζομένου.*

Seculo p. C. N. quinto quidam episcopus in Gallia ecclesiae Turonensis, Perpetuus nomine, Amalario presbytero *peristerium et columbam ad repositorium*, h. e. parvulam pyxidem et paullo majorem, ad condendas s. eucharistiae reliquias, *testamento legavit* *). Et pluribus exemplis adlatis docuit Joh. Mabillonius antiquum fuisse morem symbolas eucharisticas in quibusdam columbis aureis et argenteis super altari pendentibus conservare **). Atque hunc morem etiam nostro adhuc tempore in quibusdam ecclesiis Galliae obtinere Moleonius refert ***). Ita symbolorum eucharistiae consecratorum factum est receptaculum columba, quod nonnunquam constat crucis in altari positae basin praebuisse.

Denique locum habuerunt atque etiamnunc habent columbae in baptisteriis. Ea olim et forma fuerunt alia quam hodie et magnitudine satis ampla ad capiendam hominum multitudinem et picturis atque imaginibus exornata †). Efficiebant spatiosam domum a templo ipso sejunctam, qualis hodie ad Lateranensem basilicam Romanam, Constantinianum ††) visitur baptisterium eique similia in quibusdam aliis Italiae

*) Ita leguntur verba in testamento Perpetui, quod conservavit nobis Lucas d'Achery in *Spicilegio* Scriptor T. III p. 303. edit. noviss. *de la Barre*. In eodem *Spicilegio Dacheriano* habentur Udalrici cujusdam *Consuetudines Cluniacenses*, in quibus is refert Udalricus, apud hos in missa majori quinque hostias simul offerri, *et earum quatuor simul cum ceteris, quae in aurea columba super altari pendente jugiter servarentur*, mutari. Tomo I. pag. 650.

**) De Liturgia Gallicana I. 9, p. 90.

***) *Voyages liturgiques de France par le Sieur* de Moleon Parisiis 1718. ubi ritus Andegavensis ad Meduanam ecclesiae describens, pag. 113. haec habet: Dans l'eglise collegiale de S. Julien le saint Ciboire est suspendu en haut audessus de l'autel sans pavillon: il y a une colombe audessus, comme encore aujourd'hui à S. Liperoche au diocese de Chartres, et à S. Paul de Sens, et autrefois dans l'eglise de Clugny. On sait combien ces colombes aux suspensions du saint sacrement sont anciennes tant dans l'eglise Grecque que Latine.

†) Joh. Henr. Wedderkampii libellus singularis de baptisteriis veterum. Helmst. 1703. 8. editus rem planam et evidentem fecit.

††) Volunt in eo baptizatum fuisse Constantinum M. Imp. et multas nugas egit Matth. Fuhrmannus in *Hist. sac. de Baptismo Constant.* Romae 1742., qui in pulcro opere socium habet Caes. Rasponum in *Descript. Basilicae Lateranensis*. Constantinus M. exstruxit et ornavit hoc baptisterium. Pontificale Romanum a Joh. Rignolio Romae 1724 in Silvestro p. r. p. 88. refert donaria Constantini M. qui fontem fecisset memoratque agnum aureum fundentem aquas ibi constitutum fuisse. Id baptisterium vetustate exesum narrat Rasponus Descr. Basil. et patriarchii Lateran. p. 213. Urbanum VIII. restituisse et pul-

magnis urbibus maxime in Etruriae ducatu deprehenduntur. In baptisteriis columbas aureas argenteasque suspensas fuisse, patet ex literis illis Clericorum et Monachorum Antiochensium, quas modo laudavimus *), quibus crimini dant Severo, quod illas ὑπεράνῳ τῶν θείων κολυμβηθρῶν adpensas, nefario furto abstulisset. Hilarum autem, qui sec. V. Romanae ecclesiae episcopus praefuit, auctor Pontificalis Romani, quod Anastasii Bibliothecarii esse volunt, narrat *columbam aureum pensantem libras binas et cervos argenteos fundentes aquam intra sanctum fontem* templi S. Johannis Romani posuisse **). Idem Pontificale de Innocentio p. r. habet, eum basilicae S. S. Gervasii et Protasii Romanae *columbum deauratam pensantem* lib. 30. intulisse ***). In absidis basilicae Nolanae camera, quam baptisterium fuisse credo, Paullinus †) episcopus baptismum Christi ad Jordanem pictura exhibuit, quam describens ait inter alia:

Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.

Hinc vehementer probat talem figuram Joh. Mabillonius ††), narrans visum a se in ecclesia b. Mariae Virg. Badensi baptisterium, sub effigie columbae suspensae, exemplo ducto a Christi Domini baptismo, in quo Spiritus S. sub forma columbae spectabilem se praebuisset. Quod satis intelligitur factum rursus esse, non tam ut ornatus accederet, quam ut homines imaginem baptismi Christi ante oculos haberent nec se ex aqua tantummodo, sed ex Spiritu per columbam significato renasci oportere cogitarent.

---

crius exornasse, fontis tholum auro esse illitum, in cujus apice spectetur columba Spiritus S. symbolum cum hac epigraphe: Spiritus Domini ferebatur super aquas.

*) Tomo V. Concilior. Coleti p. 1130.

**) A Joh. Vignolio editus Romae, in Hilaro pag. 157.

***) In vita Innocentii r. p. p. 131. edit. Vignol.

†) Epist. ad Sev. p. 106.

††) In *Itinere Germanico*, Analector. Veter. Parisiis. 1723. p. 4.

XXIII.

J. W. Suringar de publicis veterum Christianorum precibus *).

Operae pretium erit, paucis primum indicare, quid de publicis veterum Hebraeorum precibus ex V. T. libris constet et quaenam apud Judaeos aetate Jesu fuerit Deum in sacris conventibus adorandi ratio, quoniam inde haud parum lucis accedere potest iis, quae cum in N. T., tum in aliis antiquitatis christianae monumentis de publicis precibus traduntur; deinde est exponendum, quid libri N. T, de publicis Christianorum precibus aetate Apostolorum doceant; denique inquirendum erit, qua ratione veteres Christiani post aetatem apostolicam Deum publicis precibus venerati sint et quomodo apud eos jam ante concil. Nic. ab antiqua simplicitate paulatim degeneraverit Deum in templis adorandi consuetudo.

I.

De publicis cum veterum Hebraeorum, tum Judaeorum Jesu aetate precibus.

§. 1. De veterum Hebraeorum precibus publicis, quarum in Libris V. T. fit mentio. Ab antiquissimis inde temporibus homines imbecillitatis atque inopiae suae sensu imbutos numen supremum adorasse atque precum originem ejusdem fere aetatis esse quae generis humani, ipsa docet rei ratio, et ex veteris aevi monumentis apparet, vix ullam fuisse nationem tam barbaram et incultam, quae precum necessitatem non agnosceret.

Neque privatis tantum precibus, quibus quisque animi sui desideria coram Deo exponeret, operam dedisse antiquissimos homines, verum etiam eos loca quaedam ad sacra peragenda destinasse, in quibus sese congregarent, ut publico ac sollenni Dei cultui vacarent, haud obscure

---

*) Prodiit Lugd. Bat. 1833. 8.

elici posse videtur e loco Gen. 4, 26, ubi legitur: „Tunc coeptum est invocari nomen Jehovae“ *).

Quis dubitet, pios unius veri Dei cultores Abrahamum, Isaacum, Jacobum, quos cum pro se, tum pro aliis privatim precatos fuisse docent loca Genes. 18, 25 — 32, 24, 64, 32, 9—12, hos igitur viros pios una cum conjugibus ac liberis reliquisque domesticis Deum adorasse et sacrificiis junxisse preces, quibus suam erga numen optimum venerationem, suum ad potentissimam ejus opem refugium suumque animum gratum pro acceptis ab eo beneficiis uno quasi ore profiterentur.

De statis autem quibusdam precum temporibus nihil scriptum reperimus in historia patriarcharum, qui videntur adeo cultui divino vacasse quotiescunque eo peculiaribus rationibus permoverentur.

Neque habebant loca sacris suis peragendis peculiariter destinata, sed ubicunque placebat, in locis praesertim editioribus, altaria exstruebant, ut numen supremum sacrificiis et adoratione venerarentur.

In lege Mosaica nullum reperiri de precibus, quibus Deum adire oporteat, mandatum nonnulli existimant **). In locis quidem Ex. 20, 3—5, 23, 25. Deut. 5, 7—9, 6, 13, 10, 20, 11, 13, aliisque, quibus de Deo colendo sermo est, non expresse memorantur preces, sed hae contineri videntur notione universa *cultus divini*, quippe qui inter Israelitas non sacrificiis tantum et libationibus absolvebatur, cum ab ultima hominum memoria nulla sacrificia offerri consuetum esset absque precibus. Et cum in adorando numine supremo principem esse religionis partem ipsa ratio doceret, non opus erat peculiari de precibus, quas ipsa necessitas postularet, mandato. Ubi vero plures eodem premuntur malo eandemque experiuntur calamitatem, ibi ipsa natura incitantur ad mutuas voces mutuasque supplicationes in coelum mittendas ad consequendum numinis auxilium. Hinc Israelitae, dum in Aegypto versarentur, dura servitute multisque calamitatibus exhausti, manus supplices ad Deum tendebant ejusque auxilium implorabant Ex. 2, 23—25. Et postquam iis a Mose nunciatum fuerat, Deum preces illas exaudivisse et misertum esse calamitatum, quibus premerentur, in terram sese projecisse et Deum adorasse leguntur Ex. 4, 31.

Ipse Moses, postquam Israelitas per mare rubrum incolumes duxerat, una cum populo oratione pulcherrima, quae Ex. 15, legitur, Deo gratias egit pro beneficiis in universam hanc gentem collatis.

Referri quoque huc possit praeclara illa benedicendi formula, qua jussu divino sacrorum antistites, quodcunque bonum, felix, faustumque sit, populo congregato apprecari debebant Num. 6, 24—26 ***).

---

*) Vid. Rosenmüller *in Scholiis ad h. l.* observans, hanc loquendi rationem קָרָא בְשֵׁם יְהוָֹה, quae in V. T. saepius occurrit Gen. 12, 8; 13, 4. Jes. 12, 4; 41, 25, al. cultum Dei publicum atque sollennem indicare. Conf. etiam Vitringa *de Synagoga vetere*, 1, 2, 1. p. 273 ss.

**) V. gr. Jo. Spencerus *de legibus Hebr. ritual.* 3, 2, 2, *p.* 977.

***) Conf. ad h. l. Jo. Conr. Hottingeri diss. *de benedictione sacerdotali in Thes. nov. theol. philol.* T. 1. p. 393 ss.

Praeceptis insuper de primitiis ac decimis Deo offerendis Moses certam addidit verborum formulam, qua commemorarentur beneficia divina et offerentes coram Deo testarentur se legi divinae fideliter et religiose obsecutos esse Deuter. 26, 1—10 *). — Denique Moses ad vitae finem psalmum 90 eo composuisse videtur consilio, ut in publicis Israelitarum conventibus recitaretur.

Aetate Josuae quibusdam Israelitarum copiis panico terrore perculsis et hostium metu in fugam datis, strenuus hujus gentis dux una cum populi senioribus ad arcam foederis sese prosternens et caput cinere conspergens precibus Deum adiit, ad malum, quod reformidabant, averruncandum Jos. 7, 6—9.

Quum postea Judicum, qui dicuntur, temporibus Israelitae saepius ab unius veri Dei cultu deficerent et in hujus perversitatis poenam minus prospere res suas agerent, manus supplices ad Deum tetendisse et contra hostium irruentium vim opem divinam implorasse leguntur Jud. 3, 9, 15; 4, 3, 6, 6, 10, 10, 15. Iidem devictis hostibus Deo gratias agebant et exstructis aris sacrificia offerebant Jud. 6, 24; 21, 4.

Ita pro diverso, in quo populus versabatur, rerum statu diversa erat precum indoles, diversum argumentum. Turbulenta autem ista aetate ad publicas atque solennes preces statis temporibus nondum convenisse videntur Israelitae.

Hoc demum factum est tempore Davidis, cum purior et rectior attributorum divinorum cognitio, cujus semina, si minus condendis, certe augendis atque amplificandis prophetarum scholis jam sparserat Samuel, Israelitarum animos collustraret. Davides enim non tantum popularibus suis in adorando Deo praeivit, exemplo suo commonstrans, quomodo cultus publici sedem frequentare, precibus Deum adire, in rebus dubiis et angustis ejus opem implorare, ad gratiam divinam supplices confugere suamque erga numen o. m. fiduciam sensusque pios excitare et alere oporteat omnes et singulos veri Dei cultores; sed plures etiam in usum publicum destinasse videtur psalmos, quibus vel operum divinorum laudes celebrantur, vel pro beneficiis in populum Israeliticum divinitus collatis gratiae aguntur, vel necessitates, sive privatae, sive populi publicae commemorantur, ut earum remedia quaerantur apud Deum omnipotentem. Vidd. v. gr. psalmi 5, 24, 48, 68, 92 ad 100, 117, 118, 144, 145 alii.

Ligato autem sermone ejusmodi preces composuit Davides, quo majorem in Israelitarum valde poesin adamantium animos vim haberent et ut ad instrumentorum musicorum concentum palam pronuntiarentur.

In sollenni templi Hierosolymis magnifice exstructi inauguratione egregium publicae supplicationis exemplum dedit Salomo 1 Regg. 8, 22—53, Chron. 6, 14.

A rege Josaphato quoque ad auxilium divinum contra hostium vim implorandum publice in templo, adstante populo universo, recitatae sunt

---

*) Conf. J. Jahn *Biblische Archäologie.* (Wien 1805.) Th. 3, p. 434.

preces, quarum argumentum traditur 2 Chron. 20, 4—13. Et ejusmodi preces, quibus homines calamitatibus pressos Deum adire oporteat, saepius in V. T. libris commendantur v. gr. Ps. 50, 15; 95, 6; Jes. 55, 6; 64, 8 seqq. Thren. 2, 18, 19.

Nec tamen hae aliaeque prophetarum admonitiones, etsi cum poenarum divinitus infligendarum comminationibus junctae, neque regum piorum exempla populum ab insano illo, in quem propensus erat, idolorum cultu avocare et ad unum verum Deum sincera mente adorandum adducere potuerunt. — Itaque poenam, quam Dei nomine praenunciaverant vates, experti sunt Judaei, ab hostibus devicti et post urbem captam templumque dirutum patria sua pulsi et in exsilium Babylonicum abducti. — Tunc vero miseriam suam ejusque rationes ad animum revocarunt et ab eo inde tempore nullum crimen magis detestati sunt, quam falsorum Deorum cultum; contra vero, singulari legis divinae et religionis patriae, quam ante neglexerant, studio affecti, ad Deum, a quo defecerant supplices redierunt magnumque statuerunt pretium omnibus, quibus suam erga numen supremum venerationem, quantum exsilii ratio permittebat, manifestarent *). In precibus ad Deum fundendis eos assiduos fuisse docet exemplum Danielis Dan. 6, 10, et Judaeos in aedibus prophetarum, qui una cum populo in exsilium abierant, saepius convenisse ad audiendos eorum sermones ex Ez. 8, 1, 33, 31 haud obscure patet.

Post Judaeorum e Babylonico exsilio in patriam reditum, novo templo sacrificiis inaugurato, Esras et Nehemias pro populo apud Deum supplices intercesserunt ad peccatorum veniam consequendam Esr. 8, 21; 9, 6, ss. Nehem. 1, 4—11, 9. ubi, inde a vs. 5 usque ad finem, leguntur Levitarum preces, quibus Deus laudatur, beneficia in gentem Israeliticam ab Abrahami inde temporibus cumulata enumerantur, peccatorum editur confessio et misericordia divina imploratur. Ejusmodi precum formula elegans eidem Nehemiae, inter sacrificandum oranti, tribuitur 2 Macc. 1, 24. Preces, quibus peccatorum remissio a Deo petitur, leguntur Baruch. 3, 1—8 et gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, quam publice recitabant Judaei, memorat Sir. 50, 19, 21, 23 ss. **).

§. 2. De locis ac temporibus, quibus Judaei ante Christum et ipsa ejus aetate Deum publice adorarunt. — Ex iis, quae observavimus, universe apparet, ab antiquissimis inde temporibus publicam numinis supremi adorationem in usu fuisse; reli-

---

*) De idolorum cultu apud Judaeos post primi templi excidium cessante vid. Jo. Seldenus *de jure nat. et gent. juxta disciplinam Ebraeorum*, 2, 50. p. 130—132. — Vitringa, *de Synag. Vet.* p. 423. — Cfr. F. G. N. Suringar *de mutati Hebraeorum ingenii post reditum e captivitate Babylonica ratione et causis*, in Annal. Acad. Lugd. Bat. a. 1819, p. 16.

**) Latius haec exposuit Freder. Rehm *in historia precum biblica*, (Gotting. 1814) p. 13—38, ubi pars prima continet historiam precum apud Hebraeos ante Christum.

quum est, ut magis sigillatim indicemus, quae ad precandi rationem ac modum apud Judaeos ante Christum et ipsa ejus aetate pertinent, quibus illustrari possint, quae de veterum Christianorum precibus publicis tradita leguntur.

Quod igitur primo attinet ad *loca* precibus publice fundendis destinata, ante exsilium Babylonicum Judaei, quotquot ritus a Mose institutos observabant, non nisi in templo Hierosolymitano ad Deum adorandum convenisse videntur; hinc est, quod templum a precibus, tanquam potiori sacrorum parte denominetur domus precationis בֵּית־תְּפִלָּה Jes. 56, 7.

Habebatur hic orandi locus adeo sacer, ut Judaei in captivitatem Babylonicam abducti vultibus versus Hierosolymam directis suum in templo adorandi desiderium testati sint. Docet illud exemplum Danielis, qui domum suam ingressus, fenestris apertis, in coenaculo suo versus Hierosolymam genibus flexis ter quotidie orabat Dan. 6, 10.

Post suum in patriam reditum Judaei non tantum novum condiderunt templum, sed exstruxerunt etiam aedificia conventibus populi sacris destinata, in quibus legis et prophetarum volumina praelegerentur et preces funderentur. — Haec aedificia vulgo dicuntur synagogae, quae, quo praecise tempore sint ortae, non constat; probabilis tamen est virorum doctorum sententia, earum condendarum auctorem fuisse Esram, qui Nehem. 8, 1 ss. legitur in loco elatiori hunc in finem exstructo ad plateam, quae ante portam aquarum erat, coram universo populo, postquam in legis volumine legerat, Jehovae gratias egisse, quibus totus populus respondit Amen, Amen; dum omnes, qui aderant, elatis manibus verticem inclinarunt et incurvarunt se Domino, facie in terram conversa *).

Memorantur etiam Judaeorum *προσευχαὶ* vel *προσευκτήρια* **), quae a nonnullis habentur diversa a synagogis aedificia ***), sed minus recte ut videtur; quamobrem a plerisque statuitur, hoc nomine insignitas fuisse synagogas, quas Judaei precum fundendarum causa frequentabant, quemadmodum et ipsum templum *οἶκος προσευχῆς* appellabatur Matth. 21, 13 †).

---

*) Conf. Vitringa *de Synag. Vet.* p. 419 ss. Spencerus *de Leg. Hebr.* 1, 4, 10. Relandus *Antiq. S.* 1. 10. — Nonnulli quidem longe majorem statuerunt synagogarum antiquitatem, provocantes ad psalm. 74, 4, 8, hic autem psalmus non Asaphum illum, qui Davidis tempore vixit, sed alium longe serioris aetatis auctorem habet et ad Antiochi Epiphanis tempora referendus videtur. Cf. Pareau *Antiq. Hebr.* p. 204.

**) Philo *in libro de legatione ad Cajum*, (opp. vol. 2. p. 565, 568, ed. Mangey). Idem *de vita Mosis*, (l. 3. vol. 2, p. 168.) — Juvenalis, *Sat.* 3, 296.

„Ede, ubi consistas, in qua te quaero proseucha?“

Memoratur 3 Maccab. 7, 20, *τόπος προσευχῆς* aetate Ptolemaei Philopatoris exstructus.

***) V. gr. Jo. Drusius *Annot. ad Act.* 16, 13. Jo. Hornbeek *Miscell. S.* l. 4, p. 288. Dan. Heinsius *Exercitt. Sacr.* p. 305. G. L. Bauer *Beschreibung der gottesdienstl. Verfassung der alten Hebräer*, 2, S. 123.

†) Vidd. Grotius *Annot.* ad Act. 16, 13, et ad Matth. 4, 3. — Vitringa l. p. 150 ss. J. G. Carpzovii *Apparatus Antiquit. S. Cod. et Gentis Hebr.* p. 320 ss. Mangey ad loca Philonis laud. p. 168 et 565. W. M. L.

Memoratur ejusmodi Judaeorum προσευχὴ Act. 16, 13, quae fuit ἔξω τῆς πόλεως παρὰ πόταμον. — Hujus consuetudinis proseuchas ad mare et flumina collocandi rationem recte hinc repetiisse viros doctos arbitror, quod more receptum erat manus lavare antequam ad preces fundendas accederent. Cum vulgaris admodum apud antiquos esset opinio, Deum non adeundum esse nisi *a lustratis*, nec ullae aquae majorem purgandi vim crederentur habere quam marinae, utpote quae solae ab omnibus seculis perstent incorruptae, mirum videri nequit, si convenientissima precibus habita sint littora, ubi precaturis praesto erant aquae purgatrices *). Fortasse tamen Judaei inter gentes dispersi hanc quoque ob causam sacris suis extra urbem operari consultum putaverunt, ut tanto securius et extra turbarum periculum huic negotio vacare possent.

Neque tantum in agris extra urbium moenia, sed et in omnibus oppidis, villis et locis, ubi plures Judaeorum familiae sedes suas fixerant, *proseuchae* sive *synagogae* reperiebantur et in urbibus majoribus plura exstructa erant aedificia, in quibus ad sollennes preces conveniebant Judaei. — Hierosolymae inprimis magnus dicitur fuisse synagogarum numerus, ex quibus in Act. Apost. 6, 9, memorantur *synagogae Libertinorum* et *Cyrenaeorum* et *Alexandrinorum* et eorum, qui erant ex Cilicia et Asia **).

Haec de *locis*, in quae Deum publice adorandi causa convenerunt Judaei, sufficiant. — Reliquum est, ut paucis agatur de *temporibus*, quae illi precibus in coetu fundendis destinaverant.

---

de Wette *Lehrbuch der Hebräisch-Jüdischen Archäologie*, p. 29. — Josephus, *de vita sua*, (§. 54, opp. tom. II. p. 26,) memorat proseucham Taricheis, quae erat urbs prope Tiberiadem, exstructam eamque appellat „μέγιστον οἴκημα πολὺν ὄχλον ἐπιδέξασθαι δυνάμενον."

*) Vidd. Matth. Brouerii de Niedek *de populorum veterum ac recentiorum adorationibus*. Amst. 1713, p. 125 s. — Vitringa l. l. p. 217 seq. Spencerus *de leg. Hebr. rit.* 3, 2. 3. — Kuinoel in *Comment.* aliique Interpretes ad Act. 16, 13. — Notabilis est hac in re locus apud Josephum, *Ant. Jud.* 14, 10. §. 23. (T. I. p. 714,) et in *Decretis Rom. et Asiat. pro Judaeis* a Jac. Gronovio editis p. 22, ubi Judaeis permittitur τὰς προσευχὰς ποιεῖσθαι πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸ πάτριον ἔθος. Narrat quoque Aristeas in Hist. LXX. intt. p. 33, eos singulis diebus, mane, lotis in maris littore manibus, Deum adorasse atque ita operi suo sese accinxisse. Preces littorales sive ripenses olim fusas esse, testatur Tertullianus de pudic. 16. Idem orationes memorat littorales, *ad Nation.* I. 13.

**) Fortasse tamen haec aedificia non tam precibus fundendis, quam literis excolendis destinata, proprie erant gymnasia, quae Judaei e variis regionibus, in quas erant dispersi, advenae frequentabant. Recte tamen Vitringa l. l. proleg. c. IV. p. 28 existimat „haec aedificia adjunctas sibi habuisse synagogas, in quibus scholares unius quidem gentis, sed diversisoriundi locis, cum popularibus suis sacra matutina et vespertina celebrarent." Ceterum constat Hierososolymae complures fuisse synagogas; fabulis tamen Talmudicis accenseri debet, quod Judaei jactant de ingenti synagogarum 480, quae in urbe, et 400, quae in urbe Bitter fuerint, numero. Vid. Vitringa l. l. 1, 1. 14, p. 253. Carpzov. l. l. p. 309. — Reland. l. l. 1, 10. §. 12 seq. Deyling. *Obs. S.* P. 2. p. 334. Wolf, *Bibl. Hebr.* Tom. II. p. 918 seq. — In una Tiberiade 13 dicuntur fuisse synagogae. Plurali numero etiam memorantur Synagogae Damascenae Act. 9. 2. — De compluribus synagogis Alexandrinis a Philone in *Legat. ad Cajum* memoratis, inter quas una erat splendidissima, conf. Vitringa l. l. p. 256.

Apud veteres Hebraeos non erant stata legibusque divinis sancita precum tempora. — Davides quidem ps. 55, 18. preces memorat *vespertinas* et *matutinas* et *meridianas*, sed non intelliguntur publicae ac statae preces certis horis ab universo populo peragi solitae. Indicat h. l. Davides se pro maximis, in quibus versabatur, angustiis, opem divinam implorare sine intermissione.

Postea vero Judaei exemplum Danielis, qui (6, 11, 14) ter quotidie Deum adorasse legitur, secuti, singulis diebus ad precationes publicas atque sollennes, quae praeeunte synagogae ministro fundebantur, convenerunt horis ab ortu solis tertia, sexta et nona, sive secundum nostram diei divisionem, hora ante meridiem nona, meridiana et tertia pomeridiana. — Hinc ab iis distinguebantur תפלת שחרית מנחה וערבית precationes *matutina, pomeridiana* et *vespertina*, cujus instituti originem Judaei recentiores a patriarchis Abrahamo, Isaaco et Jacobo inepte repetierunt *).

Sabbatis autem, novilumiis et festis ad preces quater conveniebant Judaei, tribus quotidianis addentes adorationem sacrificiis junctam. Expiationis vero die accedebant *preces ad obseratas templi portas*, quas idcirco נעילה sive *obserationes* appellabant **).

§. 3. De precum, quibus Deum publice adierunt Judaei, argumento. — Reliquum est, ut paucis agatur *de precum publicarum argumento variisque ritibus*, qui apud Judaeos Deum adorantes in usu erant.

Quod attinet ad precum publicarum *argumentum*, veteres Hebraei certas precum formulas ignorabant, sed pro vario, in quo versabantur, rerum statu, Deo vel gratias agebant pro acceptis ab eo beneficiis vel peccatorum veniam petebant, vel opem divinam implorabant vel alias necessitates in precibus commemorabant. Apparet hoc ex V. T. locis supra allatis. Neque tantum pro se rebusque suis Deum orabant, sed et pro aliis apud Deum precibus intercedebant. Ita Judaei inter gentes dispersi pro regibus, in quorum ditionem venerant, et pro flore regnorum, quibuscum devicti in unam rempublicam coaluerant, precati fuisse leguntur. Populares secum in exilium abductos monuit Jeremias 29, 7, ut urbis, cujus jam, ita volente Deo, incolae facti fuissent, saluti studerent quovis modo precibusque pro ea apud Jehovam intercederent, cum illius salus cum ipsorum salute arcte conjuncta esset. Ita quoque Darius ***) legitur jussisse, ut Judaei *μὴ διαλείπωσι* (quemadmodum ante fecissent) *καθ' ἡμέραν θύοντες, καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ καὶ Περσῶν εὐχόμενοι τῷ θεῷ.* Idem rex pro se et familia sua preces ad Deum fundendas esse monuit

*) Vidd. Vitringa l. l. p. 278; interpretes ad Dan. 6. 33, et ad Act. 3, 1, et qui laudantur a Fabricio *Bibliogr. Antiquaria*, pag. 363, et ad *libros Apocr. N. T.* T. 1. p. 499: quibus add. Barkey *Bibl. Hag.* T. II. p. 346.

**) Vid. C. Ikenii *Antiq. Hebr.* p. 240, (edit. 4, 1764.) Carpzov. l. l. p. 350.

***) Apud. Josephum A. jud. 11, 4 sub finem, (Opp. T. I, p. 559. edit. *Haverk.*)

Esra 6, 70. Quum regibus Aegyptiis subjicerentur Judaei, Eleazar summus sacerdos Ptolemaeo haec scripsisse legitur*): *ὑπὲρ σοῦ καὶ τῆς ἀδελφῆς σοῦ καὶ τῶν τέκνων καὶ φίλων προσηγάγομεν θυσίας, καὶ τὸ πλῆθος εὐχὰς ἐποιήσαντο γενέσθαι σοι τὰ κατὰ νοῦν, καὶ φυλαχθῆναι σοῦ τὴν βασιλείαν ἐν εἰρήνῃ.* Apud Judaeos Romanorum imperio subjectos pro imperatoribus et magistratibus precandi mos viguit ad illud usque tempus, quo turbidi motus, excidium Hierosolymae antegressi illudque praeparantes, precibus ejusmodi locum non relinquerent**). Praeterea Judaeorum doctores certas composuerunt precum formulas tempore matutino, meridiano et vespertino, publice in synagoga recitandas, quarum argumentum, e psalmis Davidicis potissimum desumtum, maxime versabatur in virtutibus divinis enarrandis earumque laudibus celebrandis, et aptissimum habebatur ad excitandam in animis omnium, qui aderant, profundam divinae majestatis venerationem.

Harum formularum nonnullae, quia ad impetrandam peccatorum veniam faciebant, dictae sunt תפלות, aliae, quibus virtutes divinas celebrabant, appellatae sunt ברכות, *eulogiae s. benedictiones*, quarum aliae praemittebantur, aliae subjiciebantur fragmentorum e psalmis recitationi. Hasce precum et eulogiarum formulas ab Esra et viris illius aetatis, qui synagogae magnae fuerint assessores, repetunt Judaei, sed nonnulla, quae iis continentur, non nisi post eversam altera vice rempublicam judaicam composita esse ipsum docet earum argumentum. Insunt in iis tamen quaedam, quae Christi aetate apud Judaeos in usu fuisse videntur, et auctores habent Pharisaeos, qui post restitutam a Maccabaeis rempublicam floruerunt***).

Praeter octodecim illas *eulogias* s. benedictiones, bis quotidie, mane ac vesperi, ab unoquoque Israelita institui debebat קריאת שמע *lectio, sive recitatio trium pericoparum* Deut. 6, 4—9, 11. 13—21, et Num. 15, 37—41, cui iterum septem benedictiones et quidem tres matutinae, quatuor vespertinae jungebantur †).

§. 4. **De variis ritibus, qui Jesu aetate apud Judaeos Deum publice adorantes in usu erant.** — Quod attinet ad *ritus*, qui Jesu aetate apud Judaeos Deum publice adorantes usu erant recepti: Primo quidem preces facturi muniebant sese *schedulis* quibusdam *membranaceis*, quibus inscriptae erant quatuor legis sectiones Ex. 13, 1—10 et 11—16. Deut. 6, 4—9, 11, 13—21, quas thecis insertas fronti et sinistro brachio alligatas gestare solebant. Dicebantur *φυλακτήρια* Matth. 23, 5 memorata, tanquam praesidia vel munimenta, quae de uno Deo adorando et de observandis praeceptis divinis

---

*) Apud Josephum, *Ant. Jud.* 12, 2. §. 5. p. 590.

**) Joseph. *de bell. jud.* 2, 17. §. 2. (Opp. T. H. p. 192.)

***) Vid. Vitringa l. l. p. 1033 ss. ibid. p. 1062 ss. ubi de tota agitur Judaeorum liturgia.

†) Vitringa l. l. p. 1052. Dicebatur haec lectio שמע a prima voce pericopae ex Deut. VI. 4. ss. recitandae:

„שמע ישראל אלהינו יהוה אחד"

perpetuo admonebant. Schedulas has ampliores habebant Pharisaei, quo magis eae in oculos incurrerent ipsorumque ostentarent pietatem. Mos ille inde videtur ortus, quod verba Ex. **13**, 9: „Erit tibi in signum super manu tua et in memoriale inter oculos tuos," proprio ac literali sensu intellecta sint. Nihil aliud hisce verbis indicabatur, quam quod Israelitae omni tempore et loco praeceptorum divinorum memores esse deberent, quemadmodum aliquis memor est signi brachio alligati aut rei ante oculos positae *).

Dein Judaei, antequam ad preces accederent, aqua sese abluebant et propterea aedificia precibus sollennibus destinata exstructa erant iis in locis, ubi facile aqua suppeteret. Praeterea in synagogis majoribus ad introitum constituta erant lavacra, ut manus abluerent Judaei, prius quam religionis causa in conclave ingrederentur et ad precandum accederent.

Unde et quando Judaei hunc morem ante preces manus lavandi receperint, non quidem certo constat, probabilis tamen est sententia, repetendam esse hanc consuetudinem tum ex eo, quod tempore patriarcharum veterumque Israelitarum jam fuerit mos, ut anteaquam sollennia sacra facerent, sese purgarent sive lustrarent, quo puriores ad Deum accederent (Genes. **35**, 2, 3. Ex. **19**, 10, 14); tum quod in lege Mosaica diversae praescriptae essent lustrationes, quibus impediretur, quo minus quis post contractam immunditiem indecore ad sacra accederet. Ad has lustrationes respici videtur in ep. ad Hebr. **9**, 10, ubi memorantur *διαφόροι βαπτισμοὶ καὶ δικαιώματα σαρκός*. Singularis et sollennis quaedam populi lustratio fuisse videtur, quae memoratur 1 Sam. **7**, 6, ubi Israelitae de sua perversitate admoniti et ad Jehovae cultum conversi aquam coram Jehova hausisse ac deinde effudisse leguntur.

Davides quoque 2 Sam. **12**, 20, antequam ad Deum adorandum accederet, narratur sese lavasse; et ad hunc morem manus ante precationem sollennem lavandi saepius respicitur in V. T. v. gr. Ps. **24**, 4, **26**, 6, Jes. **1**, 16, 18. Fortasse ad hanc gentis suae consuetudinem allusit Paulus 1 Tim. **2**, 8, praecipiens, ut viri omni in loco tollerent *ὁσίους χεῖρας* **).

Corpore erecto vultuque in coelum verso, in quo hominis prae reliquis hujus telluris animantibus cernitur praestantia, veteres Hebraeos Deum adorasse docet exemplum Abrahami, qui Genes. **18**, 22 dicitur stetisse coram Deo ad preces illas, quae ibidem vs. 23 ss. memorantur, fundendas; et Genes. **19**, 27 legitur: Surrexit Abrahamus mane

---

*) Figurata ejusmodi loquendi ratio saepius adhibetur v. gr. Prov. 3. 3, 6. 21, 7. 3. Jes. 49. 16 al. Vid. Carpzov. l. l. p. 190 ss.

**) Vid. Vitringa l. l. p. 1105 ss., ubi quoque disputat adversus Spencerum, qui *de leg. Hebr.* III. 3. 2. contenderat, Judaeos hunc ritum recepisse a gentibus et primam ejus mentionem fieri Judith. 12. 7, 8. Ceterum de more Graecorum aliorumque populorum manus ante sacrificia et preces lavandi conf. M. Br. a Niedeck *de veterum adorationibus*, p. 133 seq. — Et inprimis Jo. Lomeier *Epimenides* sive *de veterum Gentilium lustrationibus syntagma.* Edit. 2da. Zutphen 1700. pag. 195 ss., 399 ss.

ad locum, ubi steterat coram Jehova, i.e. oraverat, quemadmodum Chaldaeus interpres uno verbo reddidit.

Ita quoque rex Salomo coram arca foederis supplicans stabat 1 Reg. 3, 15, et in templi inaurguratione sollennes ad Deum preces facturus, stetisse legitur ad aram manusque expansas in coelum elevasse 1 Reg. 8, 22; 2 Chron. 6, 12. Leguntur etiam Judaei stetisse suaque et patrum peccata confessi esse et consurrexisse ad orandum Nehem. 9, 2.

Hinc apud Hebraeos עָמַד לִפְנֵי יְהוָה est i. q. orare, preces facere ad Deum. Jerem. 15, 1; 18, 20. Et Judaei nomen עֲמִידוֹת i. e. *stationes*, de precibus earumque ordine usurpant *).

Nonnunquam precantes in genua procumbebant, quod ipse Salomo fecit 1 Reg. 8, 54; 2 Chron. 6, 13; cfr. et 1 Reg. 19, 18; Dan. 6, 11. Praesertim fiebat illud in supplicationibus ad consequendam peccatorum veniam Esr. 9, 5. Ad hanc genuflexionem respicitur Jes. 45, 23; Mich. 6, 6. Nonnunquam toto corpore sese in terram projiciebant Ex. 34, 8; 2 Chron. 24, 29; Ps. 95, 6; Nehem. 8. 7.

In ordinariis tamen precationibus, quae in atrio templi et in synagogis peragebantur, passim stabant Judaei, quod etiam apparet ex Luc. 1, 10, ubi a vulgo in atrio templi *stante*, tempore matutino, quando a sacerdote ministrante thus adolebatur in altari interiori, quotidie preces factas esse legitur. Diebus autem sabbati aliisque festis laete transigendis licitum non erat genua flectere **).

Denique de publicis Judaeorum precibus hic notandum est, eas a synagogae ministris sive legatis elata voce fuisse recitatas. Hasce preces non tantum debita cum reverentia et attentione excipere debebat populus, sed ad eas etiam antiphoniis et acclamationibus cuique precationi convenientibus respondebat, ut suum cum precante consensum suumque rem precibus expetitam obtinendi desiderium testaretur. Communis et vulgata formula antiphonica erat אָמֵן, qua universus coetus preces a ministro recitatas alta voce excipiebat. Hujus consuetudinis mentio est 1 Chron. 16, 96, ubi populus ad orationem Davidicam *Amen* respondisse dicitur. Ita quoque Esrae laudes divinas publice celebranti respondit totus populus: *amen*, Nehem. 8, 7.

Mittimus alias formulas, quas Judaei precibus et laudum divinarum commemorationibus subjunxisse dicuntur ***).

---

*) Ex usu Hebraeorum simplex verbum *stare* de precibus adhiberi statuerunt Westenius in annot. — Griesbachius *in commentar. crit.* — Paulus, Kuinoel, alii ad Matth. 6, 5; sed minus recte; vid. C. F. A. Fritzsche in comment. ad h. l.

**) Conf. Joach. Hildebrand *comp. veterum orandi rituum*, 6, 2.; 7. 1. — Vitringa l. l. p. 1107. Jahn l. l. p. 436 seq. et imprimis Carpzovius l. l. p. 322 ss.

***) Conf. Vitringa l. l. p. 1093 ss. Carpzov. l. l. p. 325 ss.

II.

De publicis veterum Christianorum precibus aetate Apostolorum.

§. 1. **Morem Judaeorum Deum publice adorandi non abrogavit Jesus, sed emendare studuit.** — Ex iis, quae sectione superiori de publicis Judaeorum precibus observavimus, apparet, qualis fuerit Deum in conventibus sacris adorandi ratio tempore illo, quo Jesus Christus in hunc terrarum orbem venit doctrinae suae luce hominum animos collustraturus. Optimus ille religionis doctor, qui, ut ipse testatur Matth. 5, 17, non eo venerat consilio, ut instituta Mosaica plane abrogaret, sed potius ut ea rectius interpretando confirmaret hominesque optimam Deum venerandi rationem doceret atque praeiret, multa, quae ad officium precum in universum pertinent, egregie monuit, neque tamen peculiares sectatorum suorum conventus ad publicas atque solennes preces faciendas instituit ipse, sed sapienti consilio, Deum in templo et in synagogis adorandi morem, qui tunc temporis apud Judaeos, vel ex legis Mosaicae praescripto, vel consuetudine a majoribus accepta, in usu erat, secutus est.

Precibus igitur, quae Hierosolymae in templo ibidemque et per reliqua Judaeae atque Galilaeae oppida in synagogis fiebant, ipse adfuit praesens et una cum popularibus festa divinitus instituta celebravit, exemplo suo probans atque confirmans actus illos religiosos, qui recta Deoque digna ratione peragebantur. Simul vero etiam graviter monuit, cavendum esse a precibus, quae Pharisaeorum more in hominum conspectu per ostentationem et verbosa atque ornata oratione cum arrogantia quadam fiebant.

Animadvertendum tamen est, Jesum, in id semper intentum, ut opus gravissimum sibi a patre mandatum ab omni parte perficeret, saepius docendi magis, quam Deum publice adorandi causa templum atque synagogas Judaeorum adiisse. Apparet illud e pluribus evangeliorum locis et coram synedrio Judaeorum ipse Jesus hoc testatus est, Jo. 18, 20.

Optimi magistri sui vestigia legerunt Apostoli in templo et synagogis Deum adorantes. Et quum iis mandata esset provincia, post Jesu in coelos abitum regni coelestis cives colligendi, et coetus cultorum Dei, qui Jesum Christum salutis auctorem agnoscerent, condendi, instituerunt conventus sacros, in quibus una cum discipulis et sectatoribus, qui Antiochiae primum appellati sunt Christiani Act. 11, 26, precibus publicis operam darent, in plerisque ad morem precandi Judaeorum sese componentes.

§. 2. **De locis ac temporibus precum publicarum apud Christianos aetate Apostolorum.** — Eodem ordine, quo de publicis egimus Judaeorum precibus, agendum jam videtur de publicis atque sollennibus Christianorum precibus, quae aetate Aposto-

lorum factae sunt et in N. T. commemorantur. — Itaque primo loco hic in censum veniunt *loca* ac *tempora*, quibus Apostoli una cum sectatoribus ad Deum adorandum convenerunt.

Quod attinet ad *loca*, templum aliasque Judaeorum aedes sacras, non docendi tantum, sed et Deum adorandi causa saepius adierunt Apostoli. Ita Petrus et Joannes Act. 3. 1 leguntur templum adiise, quod quo fecerint consilio, luculentur apparet e verbis, quae ibidem adduntur: ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς. Se aliquando in templo preces fundentem in ecstasin incidisse testatur Paulus Act. 22, 17. Idem apostolus cum itineris sociis proseucham Judaeorum intrasse et brevi post denuo ad locum illum precibus destinatum sese contulisse legitur Act. 16, 13, 16. Narrantur porro prophetae et doctores Christianorum in synagoga Antiochena convenisse et precati esse Act. 13, 1—3. Neque tantum in templo et in synagogis, sed in aedibus quoque privatis Apostoli et reliqui discipuli convenerunt ad preces faciendas. Memoratur Act. 1, 13. 14. ὑπερῷον *) superior domus pars, supremum conclave, in quod statim post Jesu ex his terris abitum sese contulerunt Apostoli, una cum ejus fratribus et Maria Christi matre, quae apud Johannem degebat aliisque mulieribus, quae Jesum e Galilaea secutae fuerant, ut ibi uno quasi ore animoque omnes precarentur. Porro Act. 1, 15 ss. alter memoratur Apostolorum et reliquorum Christi discipulorum, ex quibus fere viginti et centum erant congregati, conventus, in quo preces ab iis factae sunt.

Cum Hierosolymae aliisque in urbibus majoribus, crescente Christianorum numero, una domus privata omnibus ecclesiae sociis capiendis non sufficeret, plures, jam Apostolorum aetate, eadem in urbe fuisse videntur aedes, in quibus passim Christiani in minores coetus s. parochias distributi, religionis exercendae causa convenere quaeque adeo ex privatis quodammodo factae sunt publicae.

Hujus generis fuisse existimo οἴκους illas, Hierosolymae in quas Saulus cum satellitibus irruisse et quos capere poterat mares ac feminas, tanquam manifesto delicto deprehensos, inde potraxisse et custodiae tradidisse legitur Act. 8, 3. **)

Sic etiam Romae Christianos, propter eorum in amplisssima hac urbe multitudinem, in plures familias divisos, plura habuisse aedificia, in quibus sacros conventus suos celebrarent, indicari videtur Rom. 16, 5, ubi Priscillam et Aquilam, καὶ τὴν κατ᾽ οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν, i. e. Christianorum coetum, qui in domum eorum sacrorum causa coiret, salutari jubet. Non omnes, qui Romae erant, Christianos hic intelligendos esse apparet e vss. 14, 15, ubi ab iis distinguit fratres apud Asyncritum, Phlegontem, alios; item omnes Dei cultores apud Philologum, Juliam, cet. quos, suo vult nomine salutari.

---

*) Illud ὑπερῷον non fuisse *conclave superius in templo*, ut statuerunt Hammondus, Schoettgenius, Krebsius alii; sed *coenaculum domus privatae*, in qua quotidie convenire solebant Apostoli, docuerunt Clericus, Heinrichsius, Kuinoelius alii ad h. l.

**) Conf. Mosheim *de rebus Christian. ante Constant. M.* p. 117.

Ita quoque Ephesi diversas fuisse aedes, in quas coirent Christiani ad sollennes preces faciendas, indicari videtur 1 Tim. 2, 8 ubi Apostolus monens precari oportere viros ἐν παντὶ τόπῳ, non de precibus universe et quocunque in loco fundendis, sed de iis tantummodo agit precibus, quibus Deus in conventibus publicis ejus colendi causa institutis invocari consueverat. *)

In priori ad Corinthios epistola, quam Paulus Ephesi scripsit, c. 16, 19, 20, diserte distinguit coetum Christianorum, qui in aedibus Aquillae et Priscillae conventus suos habere solebat, a reliquis, qui eadem in urbe erant, Christianis. Huc referri etiam potest, quod Paulus in oratione ad ecclesiae Ephesinae antistites Act. 20 dixit, se, dum in urbe illa versaretur, doctrinam christianam tradidisse κατ᾽ οἴκους. Videatur etiam Col. 6, 15, ubi memoratur coetus, qui in aedibus Nymphae congregari solebat, et ad Philem. 2.

Neque in aedibus tantum ejusmodi sacris, sed alibi quoque nonnunquam Christiani ad preces convenerunt. Ita Paulus, post orationem valedictoriam Mileti ad ecclesiae Ephesinae presbyteros habitam, genubus flexis cum illis omnibus precatus esse legitur Act. 20, 36. Idem Apostolus, qui Mileto, Hierosolymam tendens, Tyri, ubi per septem dies commorari debuerat, integro Christianorum hac in urbe degentium coetui, antequam navem conscenderet, valedixisse et una cum iis ad ripam procubuisse atque preces fudisse legitur Act. 21, 5.

Exempla haec ex Apostolorum Actis allata docent, in casibus singularibus, quales hic memorantur, non eam locorum rationem esse habendam, ut in iis tantum aedibus, quas cultus divini causa frequentare solebant Christiani, preces ad Deum funderentur, sed omni in loce eas Deo gratas acceptasque esse, dummodo ex animo probo ac pio proficiscantur.

De *temporibus*, quibus Apostolorum aetate ad preces convenerunt Christiani, pauca tantum sunt notanda. Diebus illis et horis, quibus ad preces faciendas in templum et in synagogas confluebant Judaei, Apostoli quoque aedes illas adierunt. Fecerunt hoc diebus sabbati. Ita Paulus et Barnabas Antiochiae in Pisidia synagogam die sabbati ingressi sunt, ut legis et prophetarum lectioni, adeoque et precum recitationi interessent Act. 13, 14, 15. Sequenti sabbato eandem synagogam adierunt iidem, docendi tamen magis, quam adorandi causa Act. 13, 14 ss. Philippis in Macedonia per aliquot dies commorantes Paulus et socii itineris, die sabbati urbe egressi ad fluvium se contulerunt, ubi locus erat solennibus precibus dicatus Act. 16, 13.

Primo insuper hebdomadis die sacra sua faciebant Apostoli eorumque discipuli. Non tantum in festo pentecostes, quod decimo post Jesu ex his terris abitum et primo hebdomadis die celebrabatur, in templum sese contulerunt Act. 2, 1, sed et postea die illo, quem in memoriam

---

*) Vid. E. A. Frommanni *Opusc. philol. atque histor. argum.* (Coburg 1770.) p. 243 ss.

Jesu e mortuis resuscitati *dominicum* appellabant, cum Christianorum coetu conventus sacros habuerunt Apostoli, ut apparet ex Act. **20**, 7. — *Diem dominicum*, *τὴν κυριακὴν ἡμέραν*, diserte memorat Joannes Apoc. **1**, 10. Itaque dies solis in locum diei septimi, ipsis Apostolis auctoribus, successisse videtur.

Aliis tamen quoque diebus ad Deum sollenni ritu adorandum convenerunt Apostoli, de quibus Lucas testatur in evang. **24**, 53, et Act. **24**, 46, eos assidue in templo versatos fuisse, Deum laudantes ac celebrantes.

Horas etiam, quas precibus publicis destinaverant Judaei, observarunt Apostoli: apparet illud ex Act. **2**, 15, ubi hora tertia matutina sive ante meridiem nona in templo congregati fuisse leguntur ad sacra pentecostalia celebranda. Porro hora nona sive pomeridiana tertia, quae precibus erat dicata, templum adierunt Petrus et Joannes Act. **3**, **1**. Ad modum Judaeorum hora quoque sexta sive meridiana precantium sese composuisse Apostolos, docet exemplum Petri, qui, cum in oppido Joppe versaretur, hora illa precibus vacavit Act. **10**, 9; **11**, 5.

Extra horas illas, quibus una cum Judaeis precationi ac laudibus divinis vacabant et ab aliis negotiis sese expediverant Apostoli, iidem cum reliquis Christi sectatoribus convenerunt, Deum et optimum Servatorem in coelos sublatum adorantes Act. **1**, 13—14.

Et postquam, aucto Christianorum numero, constitutus fuerat coetus Hierosolymitanus, assidue perseverarunt illi in precibus Act. **2**, 42, ubi non intelliguntur preces privatae, sed publicae. Neque enim Lucas h. l. tradit, quid singuli discipuli privatim, sed quid tota ecclesia in coetum congregrata simul ac palam fecerit *). Cf. et Act. **4**, 24.

§. 3. D e p r e c u m, q u a e A p o s t o l o r u m a e t a t e i n C h r i s t i a n o r u m c o e t i b u s f a c t a e s u n t, a r g u m e n t o, q u a t e n u s i l l u d d o c e n t e x e m p l a i n A c t i s A p o s t o l o r u m r e p e r i u n d a. — Secundo loco jam agendum est de precum, quae Apostolorum aetate in Christianorum coetibus factae sunt, *argumento*. Cognoscitur illud partim e nonnullis exemplis in Actis Apostolorum reperiundis, partim ex aliquot epistolarum apostolicarum locis, qui ad eas respicere videntur.

Primo quod atttinet ad exempla hic illic in Actis Apostolorum obvia, quid fuerit precum illarum, quas Apostoli undecim et reliqui Christi sectatores, qui e monte Oliveti, ubi gloriosum Jesu ex his terris discessum adspexerant, Hierosolymam reduces fudisse leguntur, argumentum, non diserte memorat Lucas Act. **1**, 14, simpliciter tradens, eos omnes summo animorum consensu assidue vacasse *τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει*, posteriora haec verba *καὶ τῇ δεήσει*, quae in codicibus et versionibus aliquod desunt, spuria esse nonnulli existimant, sed paucorum illorum codicum auctoritas non tanta esse videtur, ut verba haec e textu sint ejicienda. Quod autem attinet ad versiones antiquas,

*) Conf. Limborchius ad h. l.

quae haec omittunt, in iis forte duae illae voces tanquam synonymae uno vocabulo sunt redditae. Ita quoque recentiores interpretes προσευχὴν et δέησιν, tanquam mere synonymas, preces in universum significare existimant, provocantes ad loca Eph. 4, 18; Phil. 6, 6. Fateor quidem, haec vocabula nonnunquam jungi tanquam synonyma et de cujuscunque generis precibus adhiberi in epistolis Pauli; sed inde non sequitur, Lucam hanc loquendi rationem, cujus nullum exstat in ejus scriptis exemplum, h. l. secutum esse. Potius existimem, Lucam hic utrumque vocabulum junxisse, ut quodammodo indicaret, quid Apostoli precati sint, eos nempe Deum adorasse laudesque divinas celebrasse ob insignem illam gloriam, ad quam evectus esset magister optimus, simul vero etiam supplices a Deo petiisse, quae pro rerum conditione, in qua versarentur, sibi essent necessaria, imprimis ut apti redderentur et idonei ad doctrinam Jesu redivivi, et Hierosolymis et in omni Judaea atque Samaria ad remotissimas usque terrae oras, ex ipsius mandato Act. 1, 8, nuntiandam. Huc certe spectat tota Petri oratio, quae eodem hoc capite v. 15 ss. legitur. Illud quoque animadverti meretur, Lucam Act. 4, 31, post memoratam similis argumenti precationem, verbo δέεσθαι usum esse.

Alterum exemplum sollennis precationis, quae in conventu Apostolorum et reliquorum Christi discipulorum, ex quibus fere viginti et centum erant congregati, habita fuit, legitur Act. 1, 24, 25. Postquam Petrus surrexerat et in locum Judae proditoris alium sufficiendum esse monuerat, duo electi sunt e Christi sectatoribus viri, Josephus et Mathias, quorum alterutri munus apostolicum sorte assignaretur. Quod tamen antequam fieret, a Deo, qui hominum indolem omnemque sentiendi et cogitandi rationem habeat perspectam, supplices petierunt, ut sortem dirigendo declararet, quis ex hisce duobus dignus sit, qui in Apostolorum numerum cooptetur et suscipiat munus, unde decesserat Judas.

Porro precum in Apostolorum et reliquorum discipulorum conventu factarum exemplum admodum notabile est Act. 4, 24—30. Petrus nimirum et Joannes, post miraculum in homine quodam claudo patratum, ad sacerdotes et magistratus Judaeorum adducti, neque tamen eorum comminationibus perterriti, causam suam tam strenue defenderant, ut impune dimitterentur. Felicem hunc rei exitum mox nuntiarunt sociis et amicis una congregatis et hisce auditis omnes uno animo unaque voce Deo gratias egerunt ejusque auxilium implorarunt. Initio facto a doxologia, qua Deum rerum universitatis Dominum appellant, usi pericopa e Ps. 2, 1—2, Dei, impia hominum consilia irrita reddentis, magnitudinem celebrant ac tandem in has desinunt preces: „Nunc igitur, „Domine, istorum hominum (Herodis, Pilati, Judaeorum, quos ante me„moraverant) minas respice, et ministris tui concede, ut cum summa „fiducia doctrinam tuam tradant, manum tuum extendendo ad sanandos „aegrotos, et portenta ac prodigia edenda, Jesu venerandi filii tui au„ctoritate."

Aliud insuper precum publicarum legitur exemplum Act. 8. 1—3 ubi narratur, Antiochiae in Syria convenisse in synagoga prophetas

quosdam doctores Christianorum, quibus precantibus et jejunia agentibus Spiritus Sanctus, Barnabam et Paulum ad obeunda negotia a Deo ipsis data, eligendos esse, significaverit. Quo facto ecclesiae Antiochenae antistites hisce duumviris manus imposuerunt, ut eos ad negotium suscipiendum quasi inaugurarent iisque felicem laborum successum precarentur.

Ceterum illa manuum impositio, qua Apostoli Spiritus Sancti dona communicabant, fieri solebat in sacris Christianorum conventibus et cum precibus sollennibus erat conjuncta; vid. Act. **6**, 6; **8**, 15, 17; **14**, 23; **19**, 6. *)

Denique coetus Christianorum Hierosolymitanus Act. **12**, 5, legitur precibus ardentissimis apud Deum intercessisse pro Petro, qui festis paschatis diebus, Herodis Agrippae jussu in carcerem conjectus et catenis adligatus, in summo mortis post festum subeundae periculo versabatur.**)

Docent igitur exempla, quae Lucas in commentariis de rebus ab Apostolis gestis memoravit, precum illarum, quas in publicis Christianorum conventibus recitarunt Apostoli et reliqui ecclesiae doctores, argumentum pro diverso rerum statu diversum fuisse, ita ut illae vel laudum divinarum concelebrationem vel gratiarum actiones vel auxilii divini ad quaevis bona peragenda petitionem complecterentur.

Apostolos praeterea certis quibusdam precum publicarum formulis usos fuisse, mihi quidem haud probabile videtur. Viris enim illis, qui extraordinariis Spiritus S. dotibus instructi et rerum divinarum sensu, verba aptissima suppeditante, plenissimi erant, quibusque singularis in precando παῤῥησία tribuitur, non opus fuit statis ejusmodi precum formulis.

Praeterea et in Actis Apostolorum nullum, vel orationis dominicae velalius cujusdam precum formulae in sacris conventibus adhibitae, reperitur exemplum.

§. 4. Quid ex Apostolorum epistolis de publicarum precum apud veteres Christianos argumento cognosci possit, inquiritur. — Reliquum est, ut inquiramus, quid ex Apostolorum epistolis cognosci possit de *argumento* precum, quas vel ipsi vel alii eorum aetate doctores in sacris Christianorum conventibus recitarunt. Officium precum quam diligentissime observandum et rectam Deum adorandi rationem saepissime in epistolis suis commendant Apostoli. Plerumque tamen preces, quibus quisque homo christianus pia animi sui desideria coram Deo privatim exponat, magis sunt intelligendae, quam precationes, quae publice et sollenni ritu fiant. Sunt tamen

*) Vid. Frider. Spanhemii *Miscell. ad sacram antiquitatem et H. E. pertin.* L. VII. opp. T. II. p. 979, 899. — Noesselti *disputatio de Sp. S. primis Christianis ab Apostolis tradito, in Exercitt. ad S. Sc. interpret.* p. 72 ss. Eichhorn, *Ueber das Einsegnen der Apostel*, in *Allg. Biblioth. der bibl. Literatur*, Vol. III. P. 3. p. 408.

**) De hisce, quae in Act. Apost. leguntur precum publicarum exemplis conf. Rehm l.l. p. 64 ss. — Petri Hanssen *Observatt. miscell in illa Act. Apost. loca, quae de primorum Christianorum conventibus et congressibus s. agunt*, (Havniae 1794) videre mihi non licuit.

nonnulla in epistolis apostolicis loca, quae preces in sacris conventibus ea aetate fieri solitas proxime spectare videntur et simul docent, eas fuisse varii generis et argumenti.

Princeps hac in causa locus est 1 Tim. 2, quo in capite Paulus rationem causasque precum publicarum explicat ac docet, quid et viros et mulieres deceat in sacro conventu. Memorat ibi vs. 1, δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας, quae tanquam synonyma de precibus in universum hic adhiberi nonnulli viri docti existimant. Fateor quidem, voces origine et significatione diversas haud raro a N. T. scriptoribus ita jungi, ut unam eandemque rem indicent adeoque et ratione vocabulorum, quibus preces in N. T. denominantur habita, in verborum etymologia non anxie haerendum esse. Ita προσευχαὶ et δεήσεις in epistolis Pauli saepius junguntur ad indicandas cujusvis generis preces Eph. 6, 18; 1 Tim. 5, 5; Phil. 4, 6. Sed illius quidem, de quo hic agimus, loci alia est ratio, etenim diversa nomina hic a Paulo tribui videntur precibus in sacro conventu recitandis, ad indicandum diversum et late patens earum argumentum. Itaque δεήσεις, quod est a verbo δέομαι *indigeo*, indicant preces indigentiae sensu faciendas et pertinent ad petitionem eorum, quibus indigemus *). Προσευχαὶ sunt *deprecationes* sive vota pro malis Dei benignitate a nobis avertendis iisque quae necessaria sint et utilia a Deo impetrandis. Ἐντεύξεις sunt preces, quibus apud Deum pro aliorum salute intercedimus. Εὐχαριστίαι gratiarum actiones pro beneficiis cujuscunque generis, quibus Deus aut nosmet ipsos aut alios ornaverit.

Admonet Apostolus, fundendas esse has preces pro omnibus hominibus, pro regibus sive imperatoribus omnibusque potentia pollentibus, sive magistratibus, ut placidam atque tranquillam vitam agamus omni cum pietate et honestate. Hoc enim, sc. ut oremus pro reipublicae moderatoribus, honestum esse et gratum Deo servatori, addit vs. 3. Itaque preces et gratiarum actiones pro magistratibus et reipublicae salute faciendi consuetudo, quae, ut jam vidimus, apud Judaeos jam diu in usu fuerat, Apostolorum auctoritate fuit munita.

Quemadmodum ecclesia Hierosolymitana precibus suis pro Petro in carcere delitescente apud Deum intercesserat Act. 12. 5; ita Paulus Rom. 15, 30, serio admodum sese commendat precibus Christianorum, qui Romae erant indicatque simul triplex harum precum argumentum, *primum* quidem, ut ipse eripiatur insidiis adversariorum religionis christianae in Judaea; *alterum*, ut eleemosynae ab ipso Hierosolymam deportandae gratae sint Christianis ibi degentibus; *tertium* denique, ut volente Deo laetus ad ipsos veniat et una cum iis animum recreet. Idem Apostolus 2 Cor. 1. 11, sperat se periculis ereptum iri, si Corinthii ipsum precibus ad Deum fusis adjuvare velint, ita ut pro beneficio in se collato gratiae Deo agantur.

*) Vid. Gregor. Nazianz. Jamb. 15.
„Δέησιν οἴου, τὴν αἴτησιν ἐνδεῶν."
Conf. de hujus vocabuli significatione et usu in N. T. Ger. Outhovii Obs. ad Jac. 5, 16, *in Biblioth. Brem.* Clas. 4. Fasc. 3. p. 458 ss.

Idem 2 Cor. 11, 11—14. Eph. 6, 18 ss. agit de precibus et gratiarum actionibus, quibus pro aliis intercedant Christiani, et Col. 4, 2—3 eos adhortatur, ut perseverent in deprecationibus, quibus jungantur gratiarum actiones, et ut precibus contendant, quo Deus ipsi dare velit opportunitatem promulgandae doctrinae evangelii, cujus causa jam vinculis traditus sit, cf. Eph. 6, 18.

Porro Christianorum Philippensium precibus effectum iri confidit Paulus Phil. 1, 19, ut in commodum suum vertantur incommoda, quae a religionis christianae adversariis experiatur. Rogat idem 1 Thess. 5, 25: „Fratres, preces fundite pro mea salute," et 2 Thess. 3, 1—2. „Preces facite pro me, ut doctrina christiana celeriter propagetur et celebretur, quemadmodum inter vos factum est, ut liberer ego ab hominibus ineptis et malevolis."

Ita Paulus Christianorum precibus sese et felicem doctrinae salutaris propagationem saepius commendavit et ejusmodi intercessioni ab ecclesia factae magnam tribuit efficacitatem.

Eodem modo auctor epistolae ad Hebraeos 13, 18—19 admonet Christianos: Pro mea salute Deum deprecemini, et cohortor vos, ut illud agatis, quo citius vobis restituar.

Praeterea diserte docet Paulus 1 Cor. 14, 13—19, precum, quae in sacro Christianorum conventu recitentur, argumentum esse debere ejusmodi, ut ab omnibus, qui praesentes adsint, intelligi possit adeoque non peregrino, sed vernaculo sermone esse utendum; simul vero etiam monet Apostolus, in precum publicarum argumento spectandam esse τὴν οἰκοδομίαν τῆς ἐκκλησίας; id igitur esse agendum, ut ecclesiae commodum promoveatur, ut augeantur ejus socii doctrinae salutaris cognitione, ut in studio virtutis confirmentur et solatium inde percipiendum experiantur omniaque cedant in verae pietatis incrementum. Cff. vs. 3, 5, 26 ss. ex eod. cap.

In precibus publicis et reliquis cultus divini actibus inprimis rationem habendam esse eorum, quae coetui christiano maxime sint utilia et religionis sensum apud omnes ejus socios acuant, quibusque laudes divinae celebrentur et gratiae patri coelesti pro omnibus beneficiis agantur, nomine, i. e. jussu et auctoritate, Domini nostri Jesu Christi, sive secundum normam doctrinae ipsius, docetur Eph. 5, 19—20, et Coloss. 3, 16—17 *).

Ejusmodi gratiarum actiones pro beneficiis inprimis divinis per Jesum Christum in homines collatis, junctas fuisse s. coenae usui in sollennibus Christianorum conventibus, apparet ex 1 Cor. 10, 16, ubi calix appellatur τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, poculum, quod in nos confert τὴν εὐλογίαν beneficium, poculum beneficum, salutiferum, eodem modo, quo ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς Joh. 6, 35, 48, additurque ὃ εὐλογοῦμεν, poculum, pro quo gratias agimus Deo, quod precibus et gratiarum actione destinamus usui sacro **).

---

*) De utroque hoc loco vid. A. van Bemmelen, *de Epp. Pauli ad Eph. et Coloss. inter se collatis.* (Lugd. Bat. 1803.) p. 138 ss.

**) Ἐυλογεῖν hic, ut saepius est i. q. εὐχαριστεῖν gratias Deo agere; vidd.

Mittimus alia ex Apostolorum epistolis loca, quae non publicarum tantum, verum etiam privatarum precum indolem atque argumentum spectant. Malumus enim in iis, quae certiora videntur, subsistere, quam plura congerere, quae minus apposita judicari possint.

§. 5. De ritibus, quos Apostolorum aetate Christiani in publicis Dei adorationibus observarunt. — Reliquum est ut de *ritibus*, quos Apostolorum aetate Christiani in publicis Dei adorationibus observarunt, paucis agamus. De hisce universe animadvertendum est, in publicis antiquissimorum Christianorum precibus, quarum in N. T. libris est mentio, reperiri nihil, quod a simplicitate istius aevi alienum aut gravitate Christiana indignum aut cum vanitate quadam et ostentatione conjunctum sit.

Cum Judaei actionibus externis nimium statuerent pretium, et spem favoris atque auxilii divini magis in religiosa rituum observatione, quam in ipsius Dei benignitate repositam haberent, ab hac superstitione Christus suos revocare voluit et de corporis habitu nihil praecipiens, rectam vero commendans animi dispositionem, abesse jussit a precibus ostentationem Pharisaeorum hypocriticam Matth. 6, 5—6, pariter atque ethnicorum *βαττολογίαν* inanem Matth. 6, 7. et fiduciam in externo cultu positam Joh. 6, 21 — 24; contra vero, fieri voluit preces primum cogitate, non lingua solum, sed mente animoque Joh. 4, 23. Marc. 7, 6; deinde animo modesto Luc. 18, 13, et fiduciae in benignitate divina collocatae pleno Matth. 7, 11; denique vacuo ab ira et odio, sed ad condonandum parato Matth. 5, 23; 6, 14. Marc. 11, 25—26 *).

Minime tamen spernendas esse omnes corporis actiones, quibus homines venerationis et amoris, quem in pectore erga numen supremum gerunt, sensum externe quoque significent, ipse Jesus suo demonstravit exemplo, qui, cum patrem coelestem precibus adiret, vel oculos et manus in coelum sustulisse, vel in faciem prolapsus esse atque ita sinceram animi devotionem ipso corporis habitu declarasse legitur. Itaque Apostoli, missis Judaeorum in precando ritibus, quos inanes et nullius pretii dixerat et a quorum jugo sectatores suos liberaverat Christus, nonnulla tamen e synagoga judaica retinuerunt et ritus ejusmodi simplices, quos precum publicarum fini et consilio conformes judicarent, assumsere, de quibus ut aliquid diserte monerent non opus esse censebant **).

Quae cum ita sint, haud mirum, in Actis et scriptis Apostolorum

---

Vorstius, *Philol. S.* p. 204—210. ed. Fischeri; Pott in *Exc. I ad epist. Petri.* — Krausius, Pottus, J. F. Flattus in *Vorles. über die Briefe an die Corinthier*, ad 1 Cor. 10, 16. — Conf. etiam H. J. Tol, Diss. *ad illustrandas Euangelistarum et Pauli Ap. de epulo sacro narrationes.* (Lugd. Bat. 1819.) p. 148 ss.

*) Conf. qui Jesu doctrinam de precibus egregie exposuit Jo. Calvinus, *instit. rel. christ.* 3, 20. Vid. etiam C. L. Nitzsch *de ratione, qua Christus usus est in commendando precandi officio.* (Viteberg 1790.) p. 22 ss.

**) Cf. Spanheim Opp. T. 2. p. 923.

perpauca reperiri, quae ad externos in Deo adorando ritus pertineant, quapropter et haec paucis absolvere possumus.

Primo loco de jejuniis preces publicas antecedentibus nulla lex a Christo et Apostolis rogata est neque publicarum ac sollennium ejusmodi jejuniorum in libris N. T. est mentio. Leguntur quidem Christiani nonnunquam cum precibus abstinentiam a cibis sociasse; sed fiebat hoc tantummodo, si quid gravioris negotii agendum esset. Vid. Act. **13**, 2; **14**, 23.

Praeterea Paulus, de mutuis conjugum juribus et officiis agens 1 Cor. **7**, 5, memorat nonnullorum in coetu Corinthiaco consuetudinem, qui, ut precibus publicis eo melius vacare possent, abstinentiam a concubitu observabant. Hunc morem apud Judaeos pariter ac ethnicos haud incognitum non damnat quidem h. l. Apostoles, sed monet, ejusmodi continentiae non nisi mutuo mariti atque uxoris consensu et per breve tempus operam dandam esse. Ceterum, utrum aliquis ad morem illum sese componere vellet, an vero satis sibi consultum duceret, si temperantiae tantum studeret, id in cujuslibet potestate positum erat *).

A veri quidem similitudine non abhorret, veteres Christianos, qui ex Judaeis erant, morem hujus populi antiquum, manus ante preces lavandi, secutos esse. Diserte tamen in libris N. T. non indicatur, illud obtinuisse aetate Apostolorum. Nonnulli quidem hoc respicere voluerunt Paulum 1 Tim. **2**, 8, ubi jubentur viri ad preces ἐπαίρειν χεῖρας ὁσίους. Sed h. l. nihil aliud indicatur, nisi abesse debere ab iis, qui ad preces accedant, cum recentem male factorum memoriam, tum prava consilia postero tempore perficienda, quorum meditatio animum precantis distrahat ac polluat, adeoque idem est, quod Jacob. **4**, 8, dicitur καθαρίζειν χεῖρας, abstinere ab impie factis, vitam emendare. Recte jam Chrysostomus explicat: *χεῖρας καθαράς, οὐχ ὕδατι νιπτομένας, ἀλλὰ πλεονεξίας, φόνων, ἁρπαγῆς, πληγῶν καθαράς — καθαρὰ ἔστω τοῦ εὐχομένου ἡ διάνοια, παντὸς πάθους ἀπηλλαγμένη* **).

Judaeos in ordinariis precationibus, quae in templi atrio et in synagogis peragebantur passim *stetisse*, vidimus supra, et cum optimus Servator Marc. **11**, 25 dicens ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, consuetudinem illam assensu suo probaverit, haud mirum, Christianos hunc inter preces, quae in sacro conventu recitarentur, corpore erecto standi morem hac aetate secutos esse.

Legitur quidem Paulus Act. **20**, 36, postquam ecclesiae Ephesinae presbyteris valedixisset, genubus flexis cum iis precatus esse, et Act. 21 6 de Paulo atque itineris sociis narratur, eos Tyro proficiscentes genubus flexis prope littora preces fudisse; sed praeter casus hosce singulares Christiani in conventibus sacris Deum adorantes, genua flexisse

*) In editionibus vulgaribus eodem hoc loco memoratur jejunium ante preces publicas, sed quoniam verba: τῇ νηστείᾳ καὶ, in optimis Codd. versionibus nonnullis et apud antiquos doctores eccl. desunt, ea tanquam spuria e textu rejecerunt Griesbachius, Knappius, Lachmannus alii.

**) Cf. Fleischmannus ad h. l.

in N. T. non leguntur. Petrus enim Act. 9, 40, ad corpus Tabithae mox in vitam revocandae genubus flexis preces fundens, fecit hoc testibus remotis. Ita quoque Paulus Eph. 3, 14, de privata supplicatione, non de precibus publicis agit.

Porro cum naturalis sit hominum, qui Deum adorent, habitus, ut manus in coelum protendant et apud Judaeos pariter atque ethnicos manuum elevatio signum esset adorationis, omnino verisimile est, apud Christianos quoque aetate Apostolorum, hunc morem obtinuisse, licet ejus nulla sit mentio in N. T. scriptis, si unum excipias locum 1 Tim. 2, 8, ubi tamen τὸ ἐπαίρειν τὰς χεῖρας augendae tantum orationis causa addi videtur adeoque non nimis urgendum est *).

Denique Paulus, ne in sacris ad Deum adorandum conventibus fieret aliquid, quod minus decorum esset, 1 Cor. 11, 4—16 praecipit, viros publice precantes nullo uti oportere capitis velamine, mulieres vero precibus publicis adesse debere capite operto. Porro monet, obtegere caput non decere marem, qui similitudinem majestatis divinae referat vs. 7, mulierem vero posito velamine publice orantem caput suum dedecorare vs. 5 additque vs. 10, ὀφείλη ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς i. e. mulierem oportet servare jus sive potestatem in caput suum, sc. eo quod illud velo obtegat. Indicare voluit Paulus, mulieri competere atque tuendum esse jus obvelandi capitis sui sicque illud, alieno adspectu subtractum, sibi quasi maritoque servandi, ne viri in vultum mulieris marito junctae lumina jactent.

Ita mulieres decoram habitus rationem sequentes caverent, ne adversariis, qui subinde explorandi causa aliquos in Christianorum coetus emittebant, dissolutioris vitae speciem praeberent **).

In conventibus sacris vel unus Apostolorum vel e ceteris doctoribus aliquis alta voce precabatur, et qui aderant auditores submissa voce ac mente attenta orabant suaque vota precibus hisce adjungebant ***). Praeter Apostolos, qui, instituto in ecclesia Hierosolymitana diaconorum munere, sibi servaverant provinciam, precibus ac verbi divini ministerio assiduam operam dandi Act. 6, 4, non tantum alii quoque doctores precibus praeibant, sed unusquisque, qui divino quodam instinctu ad dicendum et orandum sese impelli sentiret, alta voce precabatur, simul ac non turbato sacrorum ordine illud facere poterat alius post alium 1 Cor. 14, 26, 29, 31. Quid, quod in coetibus Corinthiaco et Ephesino hac aetate eo res devenisset, ut mulieres quoque jus illud, quo viros uti viderent, sibi arrogare conarentur. Propterea Paulus 1 Cor. 14, 34 seq. et 1 Tim. 2, 11—12, diserte jussit, ut mulieres tacerent in conventibus sacris, soli autem viri, exclusis mulieribus pro concione precarentur. Neque his repugnat, quod de muliere, quae posito capitis velamine preces fundat,

*) Cf. Heinrichs ad h. l.

**) Cff. C. A. Heumannus *in Poecile* T. 3. p. 123 ss. — Storr *Opusc. acad.* 2. p. 281—289. — Pott *comment. de loco Paulino* 1 Cor. 11, 10. (Gotting. 1831. 4.)

***) Cff. Limborch et Kuinoel ad Act. 4, 24.

legitur 1 Cor. 11, 5. Etenim h. l. Paulus morem istum non probat, sed tantummodo narrat, quid illa aetate fieri consueverit in ecclesia Corinthiaca et quid in muliere honestum velaminis usum negligente sibique arrogante auctoritatem voce audibili in concione precandi, sit reprehendendum *).

Quemadmodum, ut antea vidimus, apud Judaeos precibus et gratiarum actionibus in synagoga factis populus respondebat *Amen*: ita quoque hac aetate inter Christianos obtinuisse morem, ut recitatis in coetu clara voce precibus populus qui convenerat, acclamaret *Amen*, apparet ex 1 Cor. 14, 16.

Plura de ritibus, quos Christiani Deum publice adorantes aetate Apostolorum observarunt, in libris N. T. equidem reperire non potui. Itaque haec pro instituti ratione sufficiant et pergamus ad publicas veterum Christianorum post apostolicam aetatem preces contemplandas.

III.

Qua ratione veteres Christiani post aetatem apostolicam Deum publicis precibus venerati sint, investigatur.

§. 1. De fontibus et subsidiis cognoscendi rationem, qua Christiani post aetatem apostolicam Deum publice adorarunt. — Quae hactenus de precum publicarum ratione apud antiquissimos Christianos ipsa Apostolorum aetate scripsimus, petere poteramus e N. T., purissimo illo rei christianae initia cognoscendi fonte. Cum pro instituti ratione jam inquirendum sit in modum, quo Christiani veteres post Apostolorum ex hac vita discessum in publica Dei adoratione versati fuerint, alia consuli debent ecclesiae monumenta antiqua, ea potissimum, quae medio inter Apostolos et concilium Nic. tempore sunt edita, quorum quidem longe minor est auctoritas et fides, quam scriptorum, quae ipsos Apostolos habuerunt auctores, sed e quibus tamen non pauca ad hanc rem spectantia cognosci possunt.

De scriptis hisce universe animadvertendum est, eorum usum majorem requirere cautionem, quam quidem a multis viris doctis, qui de archaeologia Christiana scripserunt, adhibita fuit. Nimirum primo accurate distinguenda sunt germana veteris aevi monumenta ab iis, quae vel spuria sunt et longe seriori tempore conficta, vel quae interpolata sunt et variis additamentis aucta, postquam ab apostolica simplicitate jam degeneraverat publica Dei adoratio. Deinde probe discernenda sunt tempora adeoque ritus, qui post medium sec. a C. N. II et seculo III in

---

*) Cf. Storr *Opusc. acad.* Vol. 2. p. 281 ss. Von Flatt *Vorlesungen* ad 1 Cor. 14. 35. F. A. G. Krause ad 1 Cor. 11, 5.

usu esse coeperunt, non confundendi sunt cum ritibus, qui aetatem apostolicam propius attingunt. Denique curandum est, ut instituta, quae universe apud omnes Christianos obtinuerunt, probe discernamus ab iis, quae in nonnullis tantum coetibus usu recepta fuerunt; ne v. gr. quod in ecclesia Africana vel Aegyptiaca tantum observatum fuit, ad totam ecclesiam transferamus, vel, quando ritum aliquem a quopiam ecclesiae patre memoratum animadvertimus, protinus inde ad universalem ecclesiae usum argumentando progrediamur. Itaque precum publicarum ratio non ex uno alteroque scriptore, nedum ex uno alterove scriptoris alicujus loco seorsim a reliquis, sed ex omnibus, qui aetate illa vixerunt et precum publicarum aliquam mentionem fecerunt, inter se collatis, est cognoscenda, ne vel fabulis delectemur vel ea omittamus, quibus ad hanc rem illustrandam recte uti possemus.

Antiquissima, quae aetatem apostolicam proxime attingunt, monumenta sunt scripta patrum, qui dicuntur, apostolicorum, Clementis R., Barnabae, Hermae, Ignatii et Polycarpi. Hi quidem in scribendis praeceptis moralibus et commendanda pietate maxime occupati, rituum, qui in publicis Christianorum conventibus observabantur, rarius mentionem fecerunt, nonnulla tamen memorarunt, quae in usum nostrum transferre licet, ad modum publicae adorationis apud veteres Christianos cognoscendum et fide dignis testimoniis confirmandum.

Plura de publica Deum adorandi ratione reperiuntur in libris Justini Mart., Athenagorae, Clementis Al., Tatiani, Theophili Antioch., Origenis, Irenaei, qui graece scripserunt quibusque accedunt scriptorum complurium fragmenta ecclesiasticae Eusebii historiae inserta.

Porro e scriptis doctorum ecclesiae latinae, maxime Africanae, Tertulliani, Minucii Felicis, Cypriani, Arnobii non pauca possunt colligi, quae ad hanc rem pertinent. Idem dicendum de doctoribus, qui sec. IV et V floruerunt, cum in ecclesia graeca, Eusebio Caesar., Athanasio, Basilio M., Gregorio Naz., Chrysostomo, Gregorio Nyss., Epiphanio, Theodoreto, Cyrillo Alex., tum in latina Lactantio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, saepius mentionem facientibus rituum jam ante conc. Nic. usu receptorum.

Horum cognoscendorum fons uberrimus esset in *Constitutionibus Apostolicis*, si constaret germana haec esse aevi apostolici monumenta, a Clemente R. literis mandata atque in eam, quam hodie habemus, formam redacta; sed jam dudum virorum doctorum haec una fuit vox et sententia, hasce constitutiones nec ab Apostolis esse profectas nec etiam a Clemente R. collectas et editas. Cum igitur, quis earum fuerit auctor et quo tempore scripserit ille, haud facile possit definiri, maxime probabilis videtur sententia eorum, qui statuunt non ab uno homine nec uno tempore, sed a diversis hominibus et variis temporibus conflatas esse has *constitutiones* iisque additas esse novas leges, ex quo tempore Deum adorandi ratio a prisca simplicitate identidem longius descivit.

Neque tamen spernenda est collectio illa, continet enim instituta nonnulla satis antiqua et jam sec. II, imprimis in ecclesia graeca sub

ethnicis imperatoribus, usu recepta, et, quemadmodum ex Eusebii testimonio patet, exstitit jam ante conc. Nic. sec. IV *).

In harum *Constitutionum* libro 7 et 8 multa reperiuntur precum, quae publice recitabantur, exempla lectu dignissima et minus corrupta, quam ulla alia liturgia, vetusti cujusdam scriptoris nomen prae se ferens, cujus rei hanc esse veram rationem statuit Binghamus **), „quod, quum nunquam in tanto pretio fuerit hicce constitutionum liber, ut in ulla ecclesia tanquam ordinaria liturgia adhiberetur, ad nos pervenit minus mutatus, quam aliae liturgiae, quae secundum gustum et opinationes earum aetatum, per quas transiere, novae effictae sunt, quemadmodum res omnes hujus generis communiter ab his illis recognosci solent et immutari, quando in constanti usu sunt et praxi" ***)

Ex hisce igitur fontibus petenda sunt quae ad cognoscendam rationem, qua veteres Christiani Deum adorarunt, ducere possint, e quibus non pauca ad hanc rem pertinentia collegerunt, cum historiae ecclesiasticae, tum inprimis archaeologiae christianae scriptores, quorum praecipuos, quos consulere mihi licuit, suo singulos loco deinceps laudandos, hic indicabo.

Primum inter haec scripta locum occupant *Centuriae Magdeburgenses* s. *Hist. Eccles. integram Ecclesiae conditionem inde a C. N. juxta seculorum seriem exponens, per studiosos ac pios aliquot viros, in urbe Magdeburgica et alibi ex vetustissimis et optimis Historicis, Patribus et aliis scriptoribus diligenter digesta.* Basil. 1559—74. Denuo edidit Lud. Lucius. Basil. 1624. In hoc opere singulis centuriis additur descriptio rationis, qua christiani istius aetatis Deum publice coluerunt.

Antiquitates ecclesiasticae in tribus prioribus post N. C. seculis, studio et opera Balt. Bebelii. Argentor. 1669.

Instructiones historico-theologicae de doctrina christiana, studio Jo. Forbesii a Corse. Genevae 1680.

Jo. Hoornbeekii *Vetera et Nova*, sive *Exercitationum Theolog. Libri* III. Traj ad Rhen. 1672.

---

*) Eusebii hist. eccl. 3, 25 aliorumque e veteribus testimonia diligenter collegit Cotelerius *in ed. Patr. Apostol.* T. 1. p. 190. Sic autem loqui solet Eusebius non de scriptis sua demum aetate confictis, sed de antiquioribus, qualia sunt Hermae Pastor, Epistola Barnabae, cet. ad quorum (*τῶν νοθῶν*) classem istae ab eo referuntur *τῶν Ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι Διδαχαί*.

**) Origg. eccles. 5. p. 118.

***) Ceterum de origine et pretio harum *Constitutionum* praeter Buddeum, qui in *Isagoge Histor. Theol.* 2, 5. p. 746 varias de iis collegit sententias; cff. Venema *Instit. hist. eccl.* T. 3. p. 139 ss. — Moshemii *Commentar. de rebus Christianorum ante Constant. M.* p. 158. — Joh. Jortin *Anmerkungen über die Kirchen-Historie, aus dem Engl. übers.* (Bremen 1755.) Th. 1. S. 226 ss. — Schroeckh *Christl. Kirchen-Gesch.* Th. 2. S. 128 ss. — J. C. L. Gieseler *Lehrbuch der Kirchen-Gesch.* B. 1. S. 101. — J. C. W. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christl. Archäologie*, Th. 4. S. 211—227. Krabbe *Ueber den Ursprung der sogenannten Apostolischen Constitut. des Clemens R.* Hamb. 1829. *Neue Untersuchung über die Bestandtheile, Entstehung und Zusammensetzung und den kirchlichen Werth der Apost. Constit.* in der *Theol. Quartalschrift.* (Tübing. 1829.) 3. S. 397 ff. 4. S. 1 ff.

Jo. Casp. Suiceri *Sacrarum observationum liber singularis.* Tiguri 1665; et *Thesaurus Ecclesiasticus e Patribus Graecis.* 2 Vol. Amstel. 1728.

Joach. Hildebrandi *de priscae et primitivae ecclesiae sacris publicis, templis et diebus festis.* Helmst. 1652. *Rituale orantium vel compendium veterum orandi rituum.* Ibid. 1656. *Sacrarum antiquitatum de precibus veterum Christianorum libellus.* Ibid. 1665 et 1701.

Campegii Vitringae *de synagoga veteri libri tres.* Franeq. 1696, quo in opere praeclaro jam ante saepius laudato multa reperiantur, quae ad publica veterum Christianorum sacra pertinent.

Hermanni Witsii *Exercitationes in orationem dominicam.* Ed. 3. Amstel. 1697.

Jo. Clerici *Historia Eccl.* 2 *priorum seculorum e vet. monumentis deprompta.* Amstel. 1716.

Jo. Franc. Buddei *Ecclesia apostolica, sive de statu ecclesiae christianae sub Apostolis.* Jen. 1729.

Frider. Spanhemii *Opera.* Lugd. Bat. 1703. 3. Voll. ex quibus primum *historiam ecclesiasticam*, alterum vero *Miscellaneorum ad sacram antiquitatem et ecclesiae historiam pertinentium libros decem* continet.

Mathaei Brouerii a Niedek *de populorum veterum ac recentiorum adorationibus. Amstel.* 1713.

Jo. Laur. Moshemii *de rebus Christianorum ante Constant. M. Commentarii.* Helmst. 1753. et *Institutionum hist. eccl. antiquae et recentioris libri V.* Helmst. ed. 2. 1764.

Franc. Fabricii *Orator sacer, accessit heptas dissertt. theol. oratoriarum.* Lugd. Bat. 1733.

Josephi Binghami *Origines s. antiquitates ecclesiasticae*, quas latine vertit J. H. Grischovius. Halae 1724. 11. Voll. edit. 2. 1751—61.

Anton Blakmore *Christliche Alterthümer, aus dem Englischen übersetzt mit* F. E. Rambach's *Vorrede.* Bresl. 1768. 2 Theile.

Sigism. Jac. Baumgarten *primae lineae breviarii antiquitatum christianarum cum scholiis* J. S. Semleri. Halae 1766.

Joach. Christoph. Bertram *Erläuterung der christlichen Alterthümer.* Halle 1768.

Herm. Venema *institutiones historiae ecclesiae V. et N. T.* Lugd. Bat. et Leov. 1777—83. 7. Voll.

Jo. Matth. Schroeckh *Christliche Kirchengeschichte*, 2 Ausg. Leipz. 1772—1803. 35 Bde.

J. C. W. Augusti *Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie.* Leipz. 1816—1831. 12 Bde.

K. Schöne *Geschichtsforschungen über die kirchlichen Gebräuche und Einrichtungen der Christen, ihre Entstehung, Ausbildung und Veränderung.* Berlin. 1819—1822. 3 Bde.

A. Neander *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums und des christlichen Lebens.* Berl. 1823. 3 Bde. Edit. 2. 1725. *Allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche.* Hamb. 1826. 4 Bde.

F. H. Rheinwald *die kirchliche Archäologie.* Berlin 1830.

Mitto alios de archaeologia christiana scriptores, *Acta Conciliorum,*

Liturgiae, *Lexica*, reliqua, quae ad seriora rei christianae tempora magis pertinent, quam ad eam, de qua hic agimus, ecclesiae aetatem. Mitto etiam alios libros, e quibus plura forte petere potuissem, sed quorum usus mihi non fuit concessus.

Praecipuos ex iis indicabunt, quod ad antiquiores, Jo. Alb. Fabricius in *Bibliographia antiquaria* **4**. p. 103 ss., **9** p. 299 ss., **10**. p. 324 ss., **11** p. 360 ss.; quod ad recentiores, Schöne *Geschichtsforschungen* Th. **1** p. 19—27, p. 34—42. C. F. Stäudlin *Geschichte und Literatur der Kirchengeschichte*, *herausgegbcn von* J. T. Hemsen. (Hannnover 1827.) p. 263 ss. F. H. Rheinwald *die kirchl. Archäologie* p. 12 ss. Conf. etiam Jo. Clarisse in *Encyclopädiae theol. epitome* (Lugd. Bat. 1832.) §. 76. p. 308 ss.

Indicatis fontibus atque subsidiis, quae mihi in conscribenda hac dissertationis parte usui fuerunt, jam progredimur ad exponendam precum publicarum rationem apud Christianos post Apostolorum aetatem.

§. 2. De commutatis post aetatem Apostolorum publicis Christianorum sacris in universum. Primis, postquam Apostoli et reliqui extraordinariis Spiritus S. dotibus instructi doctores ex hac vita discesserant, temporibus haud multas subiisse videntur mutationes publicae Christianorum preces, in quibus moderandis viam, quam praeiverant Apostoli, sequebantur eorum discipuli, quorum nonnulli grandaevam admodum aetatem attigisse leguntur; v. gr. Simeon, antistes Hierosolymitanus, qui centum et viginti annorum senex in crucem actus est, Euseb. hist. eccl. 3, 32. Sic etiam de Ignatio, Polycarpo, aliis constat, maxime eos fuisse longaevos; qua quidem in re agnoscere licet providentiam divinam, necessitati ecclesiae sic egregie consulentem, ne Apostolorum discipuli deessent, qui, quod oculis adspexerant, testari et viam ab Apostolis monstratam persequi possent. *)

Neque tamen impediri potuit, quo minus temporum decursu, sec. II. ad finem vergente et sec. praesertim III. ritus sacri praeter necessitatem fuerint aucti et sensim invalescere coeperint nova instituta ab ecclesiae apostolicae exemplo deflectentia, quae, etsi per se non magna reprehensione digna, occasionem satis amplam dederunt posteris a recta ac simplici Deum adorandi ratione magis magisque declinandi. Praesertim propter Judaeos et ethnicos ad religionis christianae professionem accedentes et ritibus externis magnum statuentes pretium introducta fuisse videtur major sacrorum publicorum pompa et splendor, quo autem tempore et a quibus hoc factum sit, dici nequit. Ceterum de ritibus, quibus in Deo adorando usi sunt a veteri simplicitate paulatim discedentes Christiani, deinceps agetur.

Hisce universe praemissis, jam progredior ad precum publicarum rationem apud Christianos inde ab aetate apostolica ad concilium usque Nic. paucis exponendam. Ut eadem via ac ratione, qua antea, hac in re

*) Cf. Conr. Sam. Schurzfleisch *hist. eccl.* (ed. Wagener. Vitebergae 1744.) p. 36.

versemur, primo de *locis* et *temporibus*, quibus preces publicas aetate illa fecerunt Christiani, agendum est.

§. 3. De locis ac temporibus, quibus Christiani post aetatem Apostolorum ad preces publicas convenerunt. — Vidimus antea, aedes illas, in quibus Apostolorum aetate conventus suos sacros habuerunt Christiani, ex privatis quodammodo publicas factas esse.

Idem postea, crescente Christianorum numero, non in urbibus tantum majoribus, sed et aliis in locis obtinuit. Nam constantem sacrorum conventuum locum exigebat ipsa necessitas, siquidem libri, mensae, scamna pro temporum illorum ratione huc illuc transferri commode vix poterant. Itaque aedificia constanti usui sacro destinata et ab omni profano commercio remota coetibus Christianorum jam a primis ecclesiae crescentis temporibus non videntur deneganda.

Mota autem fuit quaestio: utrum Christianis antiquioribus templa fuerint an non fuerint? Nonnulli viri docti, contra amplissimorum templorum antiquitatem et splendidum eorundem ornatum cum Pontificiis disputantes, statuerunt, veteres Christianos ante sec. IV. non habuisse publica oratoria, quae hoc nomine ac titulo non tantum a religionis suae consortibus, sed et a gentibus cognita ac tolerata fuerint*). Ita statuendum esse judicarunt illi propter testimonia Origenis, Minucii Felicis, Arnobii et Lactantii, ad criminationes Celsi aliorumque religionis hostium, qui Christianis objiciebant, quod nullas haberent aras, nulla templa, ita respondentium, ut fateri videantur, Christianos illa aetate templa non habuisse nec altaria, immo eos consulto templis abtinuisse, quibus opus non sit ad adorandum Deum ubique locorum praesentem**).

Sed probe animadvertendum est, de cujus generis templis apologetae illi agant. Nimirum intelligunt ingentes basilicas, quales ethnici habebant, aris pomposis et splendido ornamentorum ex auro argentoque conflatorum apparatu instructas. Templis ejusmodi magnificis tunc temporis carebant Christiani, quorum res erant tenuiores et inconstantiores, quam ut superbas aedificiorum moles construere possent. Sed ipsam licet *templorum* appellationem refugientes, aedificia tamen habebant publica pietati exercendae destinata omnique aparatu minus necessario destituta, quae ἐκκλησίας, εὐκτήρια, προσευκτήρια, κυριακά, conventicula, oratoria, domos Dei nuncupabant***).

In contrariam partem attulerunt nonnulli locum ex *Actis* Justini M.,

---

*) V. gr. Suicerus *Thes. eccl.* T. 2. p. 387. s. voce *Ναός*. Bebelius *Ant. eccl.* T. 1. p. 847. Hildebrandus *de precibus vet. Christ. lib.* p. 13 ss.

**) Origenes *c. Celsum*, 8. p. 390 ed. Spenc. Minucius Felix *in Octavio* 32. p. 160 ed. Davisii. Arnobius *adv. Gentes* 6. p. 190. (ed. Lugd. Bat. 1651.) Lactanius, *de falsa religinne* 2, 2; *Div. Instit.* 4, 13. Cyprianus *de idol. vanitate* §. 5.

***) Cff. Desid. Heraldi *Animadv. ad Arnobium* 6. p. 229 ss. Davisius *ad Min. Fel.* l. l.

ubi narratur praefecto Rustico interroganti, ubinam conventus suos haberent, Justinus respondisse, ubicunque placeret et facultas esset, quoniam Deus Christianorum loco non circumscribatur, sed cum invisibilis sit, coelum ac terram impleat et ubique a fidelibus adorari et glorificari possit *). Sed, ne dicam dubiae esse fidei, quae in ejusmodi Martyrum actis narrantur, potuit ejusmodi res locum obtinere, ubi tunc temporis degebat Justinus M., unde ad universam ecclesiam christianam non licet rationem concludere; accedit et hoc, Justinum ipsum (Apolog. 2, p. 98) diserte commemorare aedificium, in quo sua aetate convenirent Christiani.

Quum ineunte sec. II. in tantam jam excrevissent multitudinem Christiani, ut Plinius**) agnoscere debuerit, non civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius (christianae) contagionem pervagatam esse, fieri non potuit, ut loca sacris ipsorum conventibus destinata semper et ubique in obscuro laterent.

Saepius quidem Christiani, propter rabiem ac furorem plebis ethnicae, a sacerdotibus, hariolis aliisque antiquae superstitionis praesidibus impulsae, in excercenda religione sua latitare maluerunt, quam ita palam res suas agere, ut omnium oculos in se converterent ac propterea in coemeteriis aliisque locis ab hominum conspectu remotis conventus clandestinos et nocturnos instituerunt***), sed in urbibus, quae in finibus imperii Romani sitae erant, vel quae praesides aut incolas habebant Christianis paulo indulgentiores, aedes ejusmodi sacras fuisse constat. Sic Edessae in Syria sec. II. templum Christianorum fuisse et facta ibi ineunte sec. III. magna aquarum inundatione concidisse traditur in Chronico Edesseno ad a. 202†). Aedes Christianorum sacras memorat etiam Tertullianus, ingemens, Christianum ab idolis in *ecclesiam* venire, de adversaria officina in *domum Dei* venire††). Sec. III. pluribus in locis aedes suas sacras habuisse Christianos, apparet e testimonio Eusebii, qui prosperum ecclesiae statum post Cyprianum ad sua usque tempora describens refert, sub Gallieno Christianos priscis suis aedificiis non contentos, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruxisse ecclesias†††).

*) *Act.* Justini M. §. 3. apud Gallandum, *Biblioth. Patrum* T. I. p. 624, apud Ruinartum, alios: *Ῥουστικὸς ἔπαρχος εἶπε, ποῦ συνέρχεσθε; Ἰουστῖνος εἶπεν· ἔνθα ἑκάστῳ προαίρεσις καὶ δύναμίς ἐστι. πάντως γὰρ νομίζεις ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρχεσθαι ὑμᾶς πάντας; οὐχ οὕτως δέ· διότι ὁ θεὸς τῶν Χριστιανῶν τόπῳ οὐ περιγράφεται· ἀλλὰ ἀόρατος ὤν, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν πληροῖ καὶ πανταχοῦ ὑπὸ τῶν πιστῶν προσκυνεῖται καὶ δοξάζεται.*

**) Plinius *ep. ad Trajanum* X. 97.

***) Loca Patrum eccles. huc pertinentia collegit Kortholtus in *Pagano Obtrectatore* p. 489 ss.

†) Vid. Assemanni *Biblioth. Orient.* T. I. p. 391; cfr. Michaelis *Orient. und Exeget. Bibl.* Th. 10. S. 60. — Chronicon illud seriori quidem aetate sec. VI. scriptum est, sed ejus auctor e fontibus antiquioribus sua hausit; cf. Schroeckh *Kirchen Gesch.* 5, 17 s.

††) *De Idol.* 7, Tom. 4. p. 153.

†††) Euseb. hist. eccl. 8, 1. ubi *παλαιὰ* illa *οἰκοδομήματα* sunt aedes sacrae, quas Christiani ante ea tempora possederant.

Porro Lampridius narrat, quod imperator Alexander Severus, quum de loco quodam publico Christianos inter et popinarios lis esset orta et utraque pars sibi locum illum vindicare vellet, litem in gratiam Christianorum definiens rescripserit, melius esse, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur*).

Medio fere sec. III. Gregorius Thaumat. plures ecclesias Neocaesareae et in adjacentibus Ponti partibus aedificasse legitur**); Romae inprimis ante Diocletianae persecutionis tempora magnum numerum fuisse aedium sacrarum, in quibus conventus suos celebrarent Christiani, ex Optato discimus***). Et Gregorius Thaumat. ecclesiasticae disciplinae rationem ita descripsit, ut illius aetatis Christianos templa habuisse intelligatur †).

Denique ex edicto Diolectiani a. 303, quo Christianorum ecclesiae per universum orbem Romanum dirui jubebantur ac funditus subverti et e redditis Constantino regnante templis antea ereptis (Euseb. hist. eccl. 8, 2; 10 5.) apparet, Christianos in plerisque imperii Romani partibus publica habuisse aedificia, ad quae coierint, quamdiu ea frequentandi haberent opportunitatem ††).

Saepius vero, quum persecutionibus exagitati stata precum loca frequentare non poterant Christiani, in speluncis et montium cavernis, in silvis intonsis vel in locis subterraneis, quibus mortui humari solebant, conventos suos sacros habuerunt. Inprimis ad martyrum sepulcra precati sunt et loca coemeteriis adjacentia in oratoria converterunt, quorum aditus iis interdum quoque non concedebatur, ut refert Dionysius Alex. †††), cujus et hoc exstat testimonium: *Quivis locus, in quo varias aerumnas singillatim pertulimus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar oratorii nobis fuit* †*). Itaque haud raro hac aetate multas molestias perpeti multisque periculis se objicere debebant Christiani ad sacra accedentes, neque tamen vel molestiis vel periculis a fratrum Deum adorantium conventibus arceri sese passi sunt ††*). Et haec quidem sufficiant de *locis*, quibus Christiani veteres ad precandum convenerunt.

---

*) *In vita Alexandri* c. 49.

**) Gregorius Nyss. *in vita Gregor. Thaumat.* T. III. p. 567. Cf. Schroeckh 4, p. 360.

***) Optatus Mil. *de Schismat. Donat.* 2 p. 49, narrat, Romae quadraginta basilicas fuisse et, ut orationis series docet, non de suo, sed de Diocletiani tempore loquitur. In Cornelii, qui medio sec. III. vixit, epistola (apud Eusebium *hist. eccles.* commemorantur 46 Presbyteri, qui Romae res sacras administraverint. Cfr. Henr. Theoph. Tzschirner *de sacris publicis ab ecclesia vetere studiose cultis* (in *opuscul. acad.* [Lips. 1829] p. 90, 94.)

†) *Epist. Can.* c. II. p. 41 (Opp. ed. Paris 1622).

††) Conff. Vitringa *de syag. vet.* T. I. p. 432–444. Venema hist. eccl. 3. p. 494 s. Bingham *Origin.* p. 141 ss. Augusti *Denkwürdigkeiten* Th. *II.* 338–347, et scriptores qui ab eo laudantur ibidem p. 317–318.

†††) Apud Eusebium hist. eccl. 7, 11.

*†) Apud Eusebium hist. eccl. 7, 22; cfr. Mosheim *de reb. Christ. ante Const. M.* p. 551 ss. Schöne l. l. p. 297 ss.

*††) Tzschirner *de sacris publicis ab ecclesia vetere studiose cultis*, in *opusc. acad.* p. 91 ss.

Quod attinet ad *tempora*, quandoquidem publicae in Christianorum coetu supplicationes certos dies certasque horas exigunt, omnibus ecclesiae sociis notas, ut ordine conveniri possit, veteres quoque Christiani stata habuerunt precum publicarum tempora.

Vidimus antea, Apostolos in coetibus a se conditis primo hebdomadis die cultui divino vacasse, ceteroquin vero de diebus ac horis precum publicarum nihil constituisse. Post eorum ex hac vita discessum communi consensu primum quemvis hebdomadis diem, quo Christus in vitam rediit, conventibus et sacris publicis destinarunt Christiani.

In nonnullis tamen coetibus, inprimis orientalibus, qui vel inter Judaeos vigebant vel ex Judaeis magna parte compositi erant, dies etiam hebdomadis septimus haberi solebat festus. Nimirum Judaeo-Christiani singularem reverentiam retinebant erga legem Mosaicam, maxime vero erga sabbatum, quod proinde abrogari aegre patiebantur *).

His igitur, sicuti in aliis ritibus, ita quoque in observando sabbato aliquid indulgendum esse consultum duxerunt Christiani et apud nonnullos antiquum sabbati institutum valuit tantum, ut ejus sollennitatem cum diei dominici celebratione jungerent **), die septimo rerum omnium creationis et die hebdomadis primo resurrectionis Christi memoriam recolentes ***).

Die sabbati pariter ac die dominico frequentandas esse aedes sacras ad Deum laudandum, praecipitur in Constitutionibus Apostolicis, et quibusdam in locis sacros conventus sabbatis etiam indictos fuisse testatur Epiphanius †).

Neque tamen ubique locorum obtinuit haec ratio; in plerisque Christianorum coetibus conventus sacri die dominico tantum habebantur. De ecclesiis Bithyniae illud refert Plinius, qui Christianos *stato die* ante lucem convenisse tradit et procul dubio intelligit diem hebdomadis primum, et Justinus M. rationem, qua Christiani Deum colebant, ita describit ††): *Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται.* — *Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες συνέλευσιν ποιούμεθα.* Et paucis interjectis hanc rei memorat rationem: *Ἐπειδὰν πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε· Καὶ ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτοῦ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.*

*) De Ebionitis judaizantibus illud refert Eusebius hist. eccl. 3, 27.

**) Conf. Schroeckh l. l. 2, 145; 316.

***) Vid. *Const. Apost.* 8, 33. Barnabas *epist.* §. 15. — Conf. Van Heyst, *de Judaeo-Christianismo ejusque vi et efficacitate, quam exseruit in rem christianam sec. I.* (L. B. 1827) p. 159 ss.

†) *Const. Apost.* 2, 59, ubi legitur: *Μάλιστα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου, καὶ ἐν τῇ τοῦ Κυρίου ἀναστασίμῳ, τῇ κυριακῇ, σπουδαιοτέρως ἀπαντᾶτε, αἶνον ἀναπέμποντες τῷ Θεῷ.* — Epiphanius *expos. fidei*, §. 24. *Ἔν τισι δὲ τόποις καὶ ἐν τοῖς σάββασι συνάξεις ἐπιτελοῦσιν.* — Cfr. Bingham l. l. 5, 284 ss. — Rheinwald l. l. p. 159 s. — Schöne l. l. p. 335 ss.

††) Justinus M. *Apolog.* II. p. 98 s. (ed. Colon 1686).

Unum hunc diem dominicum memorans Justinus M., non tamen negat alios quoque dies sacris conventibus fuisse destinatos; indicat tantum, ille die sollenniores et frequentiores fuisse conventus omnium vel in oppidis vel ruri degentium, et accuratius enarrat, quomodo illo die sacra sua peregerint Christiani.

Aliis quoque diebus precibus vacabant homines christiani, quibus major erat coëundi opportunitas, die imprimis Mercurii ac Veneris, quorum ille ad recolendam memoriam proditionis Christi, hic in memoriam mortis ipsius celebrabatur, et cum in Deo adorando summum sancti hominis officium esse putarent veteres Christiani, singulis quoque diebus ad sollennem precationem conveniebant *).

Huc spectat monitum Ignatii de crebris congressibus ad gratias Deo agendas et ad eum laudandum **).

Horae his destinatae conventibus pro temporum rerumque conditione variae erant et licet dubium non sit, quin in privatis pietatis exercitationibus primi Christiani tres precum horas, tertiam, sextam et nonam more a Judaeis accepto observaverint, hac tamen aetate de precum publicarum horis nulla lege aliquid fuit sancitum. Universam Christianorum vitam esse debere *μίαν συναπτόμενην μεγάλην εὐχήν*, precationem continuatam, cujus partem tantummodo constituerent preces proprie ita dictae, monuit Origenes et ad preces hasce per totum diem, nulla definita hora, parato accedendum esse animo praecepit Clemens Al., Gnosticum suum, i. e. veri nominis Christianum hisce describens verbis: *Ἅπας ὁ βίος αὐτοῦ πανήγυρις ἅγια* ***).

Summo mane ante lucem ad precandum convenisee Christianos testis est Plinius, unde iis per contemtum *Lucifugarum* et *Antelucanorum* nomen a rei Christianae adversariis datum fuit. Inprimis illud obtinuit persecutionum tempore, quo nocturnos etiam saepius habuerunt conventus. In exercenda enim religione latitare maluerunt, quam periculis et vexationibus sese objicere et quo acerbius ab adversariis suis tractabantur, eo ardentius opem divinam implorabant et assidui erant in Deo adorando.

Ceterum monuit Tertullianus: Salva plane indifferentia semper et ubique et omni tempore orandi, tamen *tres istas horas*, ut insigniores in rebus humanis, quae diem distribuunt, quae publice resonant, ita et sollenniores esse in orationibus divinis. Eadem erat sententia Cypriani, qui et simul preces matutinas ac vespertinas commendavit: Sed nobis

---

*) Precibus summum pretium statuisse et magnam vim tribuisse veteres Christianos, docent loca Origenis, Irenaei, Tertulliani et Cypriani, quae attulit Neander *Denkwürdigkeiten* B. I. p. 318 ss. etiam Tzschirner I. l. p. 91 ss.

**) Ignat. *ep. ad Ephes.* 13, p. 14. *Σπουδάζετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν Θεοῦ καὶ εἰς δόξαν.*

***) Vid. Origenes *de oratione* c. 12. Clem. Alex. *Strom.* 7 p. 722; cfr. Neander l. l. p. 323. et Jac. Borsius *de primorum hominum christianorum vita privata.* (Lugd. Bat. 1825.) p. 96.

inquit, fratres dilectissimi, praeter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et *mane* orandum est, ut resurrectio Domini *matutina oratione* celebretur. *Recedente* item *sole* ac *die cessante* necessario orandum est. Nam quia Christus sol verus et dies est verus, sole ac die seculi recedente quando oramus et petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis aeternae gratiam praebiturum *).

In Constitutionibus Apostolicis etiam commendantur preces matutinae ac vespertinae **) et memorantur sex precum singulis diebus faciendarum horae ***), sed hae seriori aetate ex monachorum coenobiis in ecclesiam transierunt †), atque ita ortae sunt *horae canonicae* septem: *matutina*, *prima*, *tertia*, *sexta*, *nona*, *officium vesperarum* et *completorium*, quod postremum sec. VI. ex regula S. Benedicti Nursini additum fuit ††).

§. 4. De orationis dominicae in sacris veterum Christianorum conventibus usu. — Egimus supra de argumento precum, quae Apostolorum aetate in sacris Christianorum conventibus fuerunt recitatae vidimusque, nullum in N. T. libris esse exemplum statae cujusdam atque sollennis precum formulae, vel ab Apostolis vel ab aliis eorum aetate doctoribus adhibitae. Post aetatem apostolicam igitur nullam precum publicarum formulam certis statisque verbis definitam habuerunt Christiani. Multi quidem viri docti existimarunt, Jesum praescripsisse certam precandi formulam, quam ipsis verbis sequerentur omnes ejus sectatores et orationem illam dominicam e formulis precum, quas Judaei in synagoga recitare solerent, concinnatam adeoque in usum sacrorum conventuum destinatam fuisse, ut esset quasi Christianorum Kaddisch. Contulerunt illi formulas Judaeorum, e quibus orationis dominicae verba, phrases, petitiones fere omnes emanaverint †††).

Alii opinati sunt, quia simillimae preces in Judaeorum libris inveniantur, videri Jesum brevem hic praebuisse formulam, in quam verbosas nimis Judaeorum preces a suis discipulis contrahendas censeret †*).

Sed recte jam monuerunt viri docti, rationes, quae ad hanc opinio-

---

*) Tertullianus *de jej.* 10; opp. T. II. p. 408. Cyprianus *de oratione dominica* opp. (editis Paris 1660.) p. 197.

**) *Constit. Apost.* 2, 59: Ἑκάστης ἡμέρας συναθροίζεσθε ὄρθρου καὶ ἑσπέρας, ψάλλοντες καὶ προσευχόμενοι ἐν τοῖς κυριακοῖς.

***) Ib. 8, 34: Εὐχὰς ἐπιτελεῖτε ὄρθρου καὶ τρίτῃ ὥρᾳ καὶ ἕκτῃ καὶ ἐννάτῃ καὶ ἑσπέρᾳ καὶ ἀλεκτοροφωνίᾳ.

†) Vid. Jo. Cassianus *de Institutis Coenobiorum* 3, 4.

††) De horis canonicis praeter Ad. Rechenbergium et alios a Fabricio *Bibl. Antiq.* p. 363 laudatos vidd. Buddeus *Theol. Mor.* I. 5. §. 31. p. 323 ss. Binghamus *origg. sacrar.* V. p. 302 ss. Augusti *Denkw.* 5, p. 403 ss.

†††) Egerunt hoc Lightfootus *Horae Hebr. et Talmud.* ad Matth. 6, 9 ss. Witsius *exercit in orat. dominic.* p. 100. Schoettgenius *Horae Hebr.* ad Matth. l. l. Vitringa l. l. p. 1103. Wetsten. ad Matth. l. l. Buddeus *Theol. Mor.* I, 5, p. 326.

†*) Sic S. H. Müller *Neue Ansichten schwieriger Stellen der 4 Evangelisten.* (Gött. 1819.) p. 39 s. Augusti *Denkwürdigkeiten* 4, 132; 5, 93.

nem confirmandam allatae sint, leves esse et nullius ponderis *). Praeterea animadvertendum est, scripta illa judaica, e quibus viri docti loca protulerunt, non idoneum praebere testimonium de precandi formulis, quibus aetate Jesu usi fuerunt Judaei, sunt enim haec scripta recentioris aetatis et longo tempore post Christum composita adeoque statuendum videtur, non e formulis Judaeorum haustam fuisse orationem dominicam, sed Judaeos recentiores, cum precationem illam celebrari audirent ejusque praestantiam negare non possent, quasdam ejus particulas in usus suos transtulisse et hinc explicandam esse similitudinem, quae orationem dominicam inter et sollennes Judaeorum preces intercedat **).

Quod attinet ad consilium, quo hanc orationem discipulis suis tradiderit Jesus, mihi quidem videtur optimus Servator precationem illam magis in privatum quam in publicum usum sectatores suos docuisse, ut discerent illi, quid potissimum a Deo esset efflagitandum.

Neque hisce verbis Jesum praescribere voluisse certam atque sollennem formulam, qua sola ipsis verbis ipsoque verborum ordine servato uti oporteret, apparet ex collatis inter se locis Matth. 6, 9—13, et Luc. 11, 2—4, qui hanc orationem referentes non omnino easdem sententias eademque verba exhibent. Christus quidem dixit: *Ουτως οὐν προσεύχεσθε ὑμεῖς.* Sed recte Grotius vocabulum *οὕτως* explicat: *in hunc sensum*, additque: Non enim praecipit Christus verba recitari, quod nec legimus Apostolos fecisse, sed materiam precum hinc petere. Itaque non formulam fixam et perpetuam, sed exemplum precum pie instituendarum Apostolis tradidit Jesus, quod, veluti compendium quoddam *εὐχαριστιῶν* et *εὐχῶν*, omnia vota, quae animo concipi possint ac debeant, contineat.

Hanc precationem procul dubio magni fecerunt Apostoli, et qui eos secuti sunt ecclesiae doctores in ea laudanda, commendanda et commentariis illustranda diligentem collocarunt operam, Tertullianus v. gr., Origenes, Cyprianus, Gregorius Nyss., Jo. Chrysostomus, Ambrosius, Cyrillus Hierosol., Hieronymus, Augustinus ***). Neque tamen antiquis illis temporibus, quae Apostolorum aetatem proxime attingunt, orationem hanc tanquam statam formulam in publicis conventibus recitasse videntur sacrorum antistites, nulla certe primo post aetatem Apostolorum seculo hujus rei inveniuntur vestigia. Legitur quidem aqud Ignatium †): *μία δέησις ἔστω κοινή*, non innuitur autem sollennis precatio dominica, sed, ut oratio contexta docet, mutuus omnium, qui in eundem locum

---

*) Vidd. Kuinoelius et Fritzschius in *commentt.* ad Matth. 6, 9. Henneberg *phil. hist. und krit. Commentar über die Schriften des N. T.* (Erfurt und Gotha 1829) *S.* 135.

**) Hoc jam recte vidit Jac. Elsnerus in *commentar. crit. philol. in evang. Matthaei.* (Zwollae 1767.) T. I. p. 182. Cf. etiam Wolf in *cur. phil. et crit.* I. p. 125 s. — Plura legantur in A. R. Gebseri *comment. I de oratione dominica.* (Regiom 1830.) p. 24—42.

***) Horum patrum observationes ad orationem dominicam in compendio exhibet Jo. Casp. Suicerus observ. sacr. 7, p. 162. et passim in *Thes. eccl.*

†) *Epist. ad Magnes.* c. 7. (*P. P. Apost.* T. II. p. 58.)

convenerant, in precando consensus. Nec multum valet dialogus ille Philopatris, in quo narratur recitata fuisse in Christianorum conventu oratio a patre incipiens; non enim Lucianum habet auctorem, sed ab aliena manu profectus est*).

Ipsa illa veneratio, qua Christiani antiquissimi orationem dominicam prosequebantur et summum, quod ei statuebant, pretium effecisse videtur, ut in publicis conventibus eam alta voce non recitarent. Existimabant enim provectioribus tantum in fide et pietate Dei cultoribus licitum esse hujus precationis usum, quam propterea appellabant *εὐχὴν τῶν πιστῶν* et *orationem fidelium* **); catechumenos autem, qui ante baptismum Deum veluti patrem compellare non possent, a recitanda oratione dominica arcebant ***). Simulac vero hi baptismatis ritu fuerant initiati, dicere debebant orationem, quam docuit nos Dominus, quod praescribitur in Constitutionibus Apostolicis, et quod idem testatur Chrysostomus, qui de homine recens initiato scribit: quum primum ex aqua adscendit, haec verba loquitur: *Pater noster, qui es in coelis* †).

Orationis dominicae in administranda s. coena usum ad ipsos Apostolos retulit Gregorius M. ††), sed incerta illud nititur traditione et nullo e tribus prioribus seculis testimonio comprobari potest. In eucharistia administranda preces quidem et gratiarum actiones factas esse testatur Justinus M., sed orationis dominicae nullam facit mentionem †††), quae etiam non occurrit in precibus illis, quas ante et post s. coenae usum recitandas exhibent Constitutiones Apostolicae †*).

Si a primis inde rei christianae temporibus communis fuisset in sacris publicis orationis dominicae usus, non opus fuisset admonitionibus Tertulliani, Cypriani, Chrysostomi, aliorum, de hujus precationis non privatim tantum sed et publice recitandae necessitate et utilitate. Fortasse tamen admonitiones illae multum contulerunt ad introducendum magis frequentem ejus usum in publicis quoque Christianorum conventibus et potissimum in s. coenae celebratione.

Esti igitur definiri non potest tempus, quo Christiani coeperint hanc orationem in consecrando pane usurpare, non ante sec. IV. morem illum viguisse equidem existimo. Tunc vero precationem illam in eucharistia adhibitam fuisse, constat e Cyrillo Hieros., qui tradit, post

---

*) Vid. Luciani *Opera* ed. Reizii T. III. p. 584.

**) Chrysostomus *hom. X. in Coloss.* p. 1385. Augustinus *Enchirid.* c. 71.

***) Vidd. Chrysostomus *hom II. in 2. Cor.* p. 740; *hom.* 62. p. 934. Theodoretus *haeret. fab.* c. 28. Augustinus *sermon* 42. Cf. J. G. Walchius *de usu orat. dom. apud vet. Christ.* in *Miscell. s.* (Amst. 1744.) p. 69 ss. — Augusti 5, p. 106.

†) *Const. Apost.* p. 385. *Μετὰ τοῦτο ἑστὼς προσευχέσθω τὴν εὐχὴν, ἣν ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ Κύριος.* — Chrysostomus *Hom.* 6 *in Coloss.* p. 201. *Εὐθέως γὰρ ἀνελθὼν ταῦτα φθέγγεται τὰ ῥήματα· Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.*

††) Epp. 9, 12.

†††) *Apol.* 2 p. 97.

†*) *Const. Apost.* 7, 25—26, p. 373 seq.

recitatas preces in consecratione usitatas dici orationem, quam Servator discipulis suis tradidit, cum pura conscientia patrem nuncupari Deum, atque dici: Pater noster, qui es in coelis *).

Idem testatur Augustinus dicens: Precationes facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici; orationes, quum benedicitur et sanctificatur et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis ecclesia dominica oratione concludit **).

Ceterum quae de orationis dominicae usu in s. coena praescripsit Gregorius M. in canone missae ***) et quae de publica hujus precationis recitatione in quotidiano officio, tam matutino, quam vespertino in conciliorum Gerundensis ac Toletani, sec. VI. et VII. celebratorum, decretis fuerunt statuta, ad eam, de qua nos agimus, aetatem non pertinent †).

§. 5. An veteres Christiani statas habuerint precum publicarum formulas inquiritur. — Veteres Christiani, qui Apostolorum aetatem proxime attigerunt, ad eorum exemplum in publica Dei adoratione sese composuisse videntur, ita ut pro diversa rerum ratione preces ad Deum O. M. extemporaneas funderent, sive pro se orarent sive pro aliis intercederent, neque adeo uterentur certis ac definitis precum in conventibus sacris recitandarum formulis.

Variae quidem circumferuntur liturgiae, Jacobo, Petro, Johanni, Matthaeo, Marco et reliquis Apostolis tributae ††), sed hae aperte sunt spuriae et illo demum tempore natae, quo ab antiqua simplicitate degeneraverat et ritibus ac cerimoniis oppletus fuerat publicus Dei cultus. Nonnulli tamen statuerunt ex apostolica traditione acceptam esse et servatam certam et constantem liturgiae formulam, qua usi fuerint ab antiquissimis inde temporibus sacrorum antistites †††); sed nullo documento illud probari potest.

Neque prima illa aetate opus fuit statis ejusmodi precum formulis; etenim cum inter Apostolorum discipulos acre illud rerum divinarum studium adhuc caleret essentque multi sancti et in libris divinis triti homines, qui vel repente vel post commentationem aliquam preces et

---

*) *Cateches. Mystagog.* V. n. 8. p. 298. edit. Th. Milles.

**) Ep. 149. *ad Paulin.* T. II. p. 386.

***) *In Libro Sacramentorum* Opp. T. III. p. 1—5.

†) Conf. Walchius l. l. p. 67. — Ceterum de publico orationis dominicae usu apud veteres Christianos conf. Witsius l. l. p. 91 seqq. Jo. Hildebrandi *Rituale Orantium* §. 10, 11. p. 60 seqq. Frider. Jo. Schroeder *oratio dominica historice et dogmatice proposita.* (Helmstad. 1710.) p. 68 ss. Bingham l. l. p. 234 seqq. Augusti l. l. p. 120 ss. H. P. Timmers Verhoeven *de precatione dominica.* (Lugd. Bat. 1829.) p. 37 ss.

††) Edidit illas Jo. Alb. Fabricius in *Cod. Apocr. N. T.* (Hamb. 1710.) P. III. p. 1—334.

†††) Ludov. Ant. Muratorius *in Dissert. de rebus liturgicis, praemissa Liturgiae Romanae Vet.* (Venet. 1748.) Tom. I. p. 1—288. — Scripto quidem non consignatam, sed traditione servatam fuisse liturgiam arbitratus est Eus. Renaudotius, in *Liturgiarum Orientalium Collectione.* (Par. 1716.) T. I. 1, 4, 5. — Conf. Just. Henn. Boehmeri *Jus Eccles. Protestant.* (edit. V. Halae 1774.) T. III. in dissert. praelim. p. 14.

gratiarum actiones possent pronunciare ad animos commovendos efficaces, sua sponte precati sunt, ut privatim domi, ita in conventibus publicis ὅση δύναμις ἑκάστῳ *). Nititur illud diserto Justini M. testimonio; hic enim refert sacrorum antistitem pro facultate sua preces et gratiarum actiones fundere **).

Precationes Christianorum ea aetate non fuisse formulis adstrictas testatur **Athenagoras**, *neque orationes*, ait, *compositas recitant, aut multi sunt verbis, sed actiones honestas et virtutum exempla de se praebent Christiani* ***).

Idem docet Tertullianus, qui preces Christianorum refert *sine monitore, quia de pectore*, fusas esse, et Christianos in sacris conventibus, *ut quisque de proprio ingenio posset*, Deum adorasse †) adeoque non e scriptis tabulis, quas adhibere non solebant illorum temporum Christiani, recitatae sunt preces. Hinc varia fuit earum ratio in diversis ecclesiis, ita ut, teste Socrate historico, *aegre admodum duae invenirentur ecclesiae, quae in precandi ritu inter se omnino consentirent* ††). Porro preces et gratiarum actiones fuisse in uno et eodem loco quandoque prolixiores quandoque breviores, docet Gregorius Nazianz. exemplo patris sui, propter infirmitatem paucis verbis, et ut poterat, preces fundentis †††).

Denique nullum fuisse hac aetate librum liturgicum, qui omnium manibus versaretur, neque scriptam formulam a viris apostolicis traditam ipsi docent horum temporum mores. Nimirum mysteriis sive disciplinae arcani accensebantur preces, hinc μυστήρια, μυστικαὶ εὐχαὶ dictae, quas igitur scriptas omnium oculis subjicere nefas ducebatur; semper distinguuntur ἀναγνώσματα et εὐχαί; nusquam τὸ ἀναγινώσκειν τὴν εὐχὴν memoratur; nusquam libri liturgici a persecutoribus vel inquisiti vel iis traditi leguntur *†).

Nonnullis *††) quidem visus est statam precum formulam ob oculos habuisse Ignatius, praecipiens: μία δέησις ἔστω κοινή: sed supra vidimus, hisce verbis innui mutuum in precando consensum. Idem dicendum de Justino M. κοινὰς εὐχάς, et Clemente Alex. μίαν ὥσπερ φωνὴν

---

*) Usus sum verbis Jo. Aug. Ernesti in *Antimuratorio*. (*Opusc. theol.* Lips. 1773.) p. 13.

**) Just. M. l. l. p. 98. *Καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει.*

***) Athenagoras *deprecatio pro Christianis* (addita edit. Opp. Just. M. Colon. 1686. p. 12; ex edit. J. G. Lindneri, Longosal. 1774. II. p. 67.) *Οὐ γὰρ λόγους διαμνημονεύουσιν, ἀλλὰ πράξεις ἀγαθὰς ἐπιδεικνύουσιν.*

†) Tertullianus *Apologet.* 30. p. 275. 39. p. 335. (edit. Havercampii Lugd. Bat. 1718; edit. Semleri, T. V. p. 80, 96.) — Fortasse huc etiam respicit idem 30. p. 277. ubi *orationem* memorat *de Spiritu Sancto profectam*.

††) *Hist. eccl.* 5, 22. p. 288. *Τῶν εὐχῶν οὐκ ἔστιν εὑρεῖν συμφωνούσας ἀλλήλοις δύω (ἐκκλησίας) ἐπὶ τὸ αὐτό.*

†††) Gregorius Nazianzenus *orat.* 20. p. 299. *ῥήμασι μὲν ὀλίγοις καὶ ὅσοις ἔσθενεν.*

*†) Conf. Spanhem. Opp. T. II. p. 931 ss. 1283 ss.

*††) V. gr. Binghamo l. l. p. 120 ss.

τὴν κοινὴν καὶ μίαν γνώμην memorantibus *), quae quidem indicant preces una veluti voce unaque mente fusas, sed non additur, eas statas fuisse certisque formulis adstrictas.

Itaque satis certo constare videtur primis post aetatem apostolicam temporibus in ecclesia christiana non fuisse statas precum formulas, sed libere mentis suae sensa explicuisse religionis doctores precibus praeëuntes. Ratione simplici et ab omni artificio remota illud fecisse videntur non tantum viri apostolici χαρίσματι εὐχῶν large donati, sed ipsi quoque doctores illi, qui rhetorum et philosophorum scholas frequentaverant vel et ante suum ad sacra christiana transitum in foro fuerant versati, Justinus M. v. gr., Theophilus Ant., Clemens Alex., Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius alii, qui quidem ad regulas artis potuissent componere ornatas precum formulas, sed ab iis abstinuerunt, memores dictorum Pauli 1 Cor. 4, 20, regnum divinum non tam verbis, quam factis promoveri **).

Verisimilis igitur est sententia, sec. IV. et V. cum pristinus ille ardor paulatim refrigere coepisset, a Basilio, Hilario Pict., Chrysostomo, Ambrosio, Sidonio aliisque doctis ac disertis viris primum in usus suos preces consignatas esse, quas in sacris faciendis recitarent, his vero deinde et alios, qui minus diserti aut docti essent, usos fuisse et sic natam esse formularum scriptarum consuetudinem***) atque eo tandem rem devenisse, ut istiusmodi formulae, a synodis probatae, ceteris precibus longe sanctiores haberentur et ut publica earum recitatio praescriberetur †).

§. 6. De precum publicarum post aetatem apostolicam argumento. — Statas igitur et constantes liturgiarum formulas non habuisse videntur veteres Christiani, de precum communium verbis conceptis minus solliciti quam de earundem argumento, quod pro vario ecclesiae et reipublicae statu, pro varia temporis ratione, pro variis necessitatibus varium erat. In universum hac de re tradit Justinus M., *Christianos congregatos fuisse ad communes preces et supplicationes, cum pro se ipsis, tum pro aliis ubique gentium omnibus animo intento peragendas* ††). *Eos pro omnibus hominibus, inimicis quoque, precatos esse*, docet idem et alio loco testatur, Christianos pro Judaeis et omnibus omnino hominibus bene precari atque orare, prout a Christo didicerint, qui nobis praecepit, ut cum pro inimicis supplicemus, tum osores nostros amemus atque maledicentibus benedicamus †††).

Ordinem tamen quemdam in precibus publicis observabant sacrorum antistites, nonnulla commemorantes, quae saepius recitata et audita,

---

*) Ignatius *ad Magnes.* 7. Justinus M. l. l. p. 97. Clemens Alex. *Stromat.* 7, 6. p. 848. ed. Oxon.

**) Hanc fuisse veterum illorum doctorum sententiam indicat Arnobius *adv. Gentes* 1, 58—59. Cf. Augusti l. l. 5, 74.

***) Conff. Ernesti l. l. p. 13—14. Schroeckh 10. s. 465 s.

†) V. gr. in synodo Laodicena can. 18. Cf. Suiceri *Thes. Eccles.* v. εὐχή. T. I. p. 1284.

††) *Apol.* p. 97.

†††) Justinus M. *Apol.* l. l. et *in Dial. cum Tryphone Judaeo* p. 363.

usu diuturno instar formularum erant. Huc v. gr. referendum videtur, quod traditur a Tertulliano: precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum et quaecunque hominis et Caesaris vota sunt. Idem alio loco refert: Coimus in coetum et congregationem facimus, ut ad (apud) Deum quasi manu facta (quasi collectis manipulatim copiis, quasi vi facta, additur enim: *haec vis Deo grata est* *)) precationibus ambiamus. Oramus enim pro imperatoribus, pro ministeriis eorum ac potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro mora finis **). Consentit cum hisce Athenagoras, qui deprecationi suae ad imperatores Antoninum et Commodum finem imponit his verbis: *Nos pro imperio vestro preces ad Deum fundimus, ut imperium vestrum magis magisque semper augeatur, ut omnia ex animi sententia vobis eveniant, quod et nobis salutare fuerit, ut quietam ac tranquillam vitam degentes, vobis interim ad quaelibet imperata prompte inserviamus* ***). Arnobius etiam testatur preces fundi solitas fuisse pro magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, et solutis corporum vinctione †).

Praeterea Constitutiones Apostolicae exhibent multas precationum variis occasionibus adhibendarum formulas, quae quidem pro magna parte longe seriori aetate sunt scriptae, sed ex quibus tamen nonnullae ejus sunt generis, ut sec. III. jam exstitisse et adhibitae fuisse videantur. Eas certe profectas esse ab auctoribus, quorum animus pietatis atque amoris erga Deum sensu erat plenissimus, qui doctrinam in s. literis traditam probe cognitam habebant quibusque familiaris erat loquendi modus in s. codice obvius, docet earum argumentum.

Ne limites transgrediar, harum precum argumentum et formam uberius hic exponere non possum. Sufficiat igitur ex antiquis his ecclesiae christianae monumentis verbo indicare nonnulla precum publice recitandarum exempla, quae, sive argumentum species, sive ad orationis formam et colorem attendas, reliquis sunt praestantiora. Equidem ad hanc classem pertinere censeo *preces Deum rerum omnium auctorem et gubernatorem celebrantes*; orationem cum gratiarum actione *praedicantem Dei erga res creatas sollicitudinem*; preces die dominico recitandas, quae minus recte inscribuntur: *oratio commemorans incarnationem Christi et variam erga sanctos providentiam*; gratiarum actionem *pro beneficiis per Jesum Christum collatis et pro auxilio, quo Deus piis cultoribus suis adest* ††).

---

*) Cf. C. F. Roessler *Bibliothek der Kirchenväter.* (Leipz. 1777.) Th. 3. S. 64.

**) Tertullianus *Apologet.* 30. p. 275. 39. p. 322. Conf. etiam 31. p. 282.

***) Athenagoras *deprec.* ad finem c. 31. p. 237 ss.

†) Arnobius *adv. Gentes.* 4. p. 162.

††) Leguntur hae precum formulae in *Constitutionibus Apost.* 7, 33—38. p. 376 ss.

Addantur precum *gratam mortis Christi commemorationem in celebranda s. coena* continentium exempla *).

Porro egregiae sunt preces *pro catechumenis*, quibuscum conferatur *precationis pro catechumenis* formula in ecclesia Antiochena, quam tradit Chrysostomus **). Lectu quoque dignissimae sunt preces *pro energumenis*, sive hominibus a malo genio agitatis; pro *competentibus*, sive hominibus qui dato nomine suum baptismatis propediem suscipiendi desiderium declarassent; *pro poenitentibus*; *pro fidelibus*; denique *pro mortuis* ***).

In hisce precum formulis sunt quidem nonnulla, quae seriorem aetatem redolent; sed mihi quidem haud ita magna esse videtur difficultas, additamenta illa a reliquis dignoscendi.

Ad preces *pro mortuis* quod attinet, circa sec. III. initium coeperunt Christiani pro defunctis orare, cujus rei primus meminit Tertullianus, dicens: Viduam pro anima mariti defuncti orare et refrigerium ei adpostulare, et in prima resurrectione consortium et offerre annuis diebus dormitionis ejus †). Cyprianus quoque oblationes et sacrificia pro martyribus et confessoribus et deprecationem pro omnibus in ecclesiae communione mortuis memorat; et Arnobius scripsit, Christianos precatos esse pro solutis corporis vinctione ††).

Ipsi autem fatebantur, non divinae s. codicis auctoritati preces istas originem debere, sed consuetudini; nimirum consuetudini, quam ex paganismo secum afferebant homines, qui Christo nomen dabant aetate illa. Orabant autem non tantum pro hominibus improbis, qui ex hac vita discesserant, ut eorum poenae mitigarentur, sed et pro omnibus in Christo quiescentibus. Nimirum opinabantur, eorum animas ante judicium extremum non frui adspectu Dei et versari in locis nescio quibus inferioribus ac separatis usque ad corporum resuscitationem †††).

Itaque preces dicebant pro eorum quiete, pro incremento gloriae, lucis, felicitatis eorum et pro resurrectione matura. Morem pro defunctis orandi seculo IV. jam per omnem ecclesiam christianam viguisse, inde licet colligere, quod Aërius, qui eum improbaverat, hanc ipsam ob cau-

---

*) *Constitut. Apostolic.* 7, 25—26. 8, 12—15.

**) *Constit. Apostolic.* 8, 6. Chrysostomus *homil. ad 2 Cor.* p. 516. (ed. Francof.) T. X. p. 435. (ed. Benedict.) Conf. Neander *der h. Chrysost. und die Kirche in dessen Zeitalter.* Th. I. (Berlin 1821.) p. 180, 331—338. — Schöne l. l. Th. II. p. 69—71.

***) *Constit. Apost.* L. 8. 7 seqq. — Multae harum precum legi queque possunt apud Binghamum l. l. 6. p. 209 ss. — Germanice conversae apud Augusti *Denkwürdigkeiten* 5. p. 138 ss. — Nonnullas earum graece libro: *die kirchliche Archäologie*, addidit Rheinwald, S. 460—467, 477—482.

†) Tertullianus *de monogam.* 10. Opp. Vol. III. p. 154. Cf. Venema *hist. eccl.* 3. p. 447.

††) Cyprianus *epist.* 37 *ad Clerum.* ep. 66. Arnobius l. l. Precatio ejusmodi pro mortuis *προσφώνησις ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων* legitur in *Constit. Apostol.* 8, 41. p. 423 s. Germanice eam convertit Augusti l. l. p. 192 ss.

†††) Cf. Jo. Dallaeus *adv. Latinorum de Cultus religiosi objecto traditionem.* (Genev. 1664.) 3, 23. p. 474 ss. Sal. Deylingius *Observat. Sacr. et Miscell.* (Lips. 1757.) T. IV. p. 152 ss.

sam haereseos postulatus est*). Et Augustinus tradit, hanc esse ecclesiae consuetudinem, ut in precibus sacerdotis, qui Domino Deo ad altare ejus funduntur, locum suum habeat etiam commendatio mortuorum ††).

Neque pro mortuis tantum, quibuscum hac in vita vel sanguinis vel affinitatis vel amicitiae necessitudine juncti fuerant, vel quos, cum propter insignem pietatem, tum propter merita magni fecerant, veteres III. et IV. sec. Christiani preces fundebant, sed eos quoque orasse pro ipsis patriarchis, prophetis, apostolis, evangelistis, martyribus, confessoribus aliisque sanctis mortuis, immo pro ipsa b. virgine Maria, docent loca in liturgiis Basilii, Chrysostomi, in orationibus Gregorii Naz., Ambrosii cet. Illud fecisse veteres doctores, *ut Dominum Jesum Christum ab hominum ordine segregarent*, testatur Epiphanius †††).

Et vera res est, antiquos illos doctores longe abfuisse a commendanda religiosa illa, quae seculis sequentibus invaluit, *sanctorum invocatione*. Negari tamen non potest, claros veteris ecclesiae oratores, Basilium M., Gregorium Naz., Chrysostomum, Cyrillum Alex. alios, et ex latinis Ambrosium Mediolanensem, qui sedulus fuit Graecorum lector et imitator, floridam ac luxuriantem seculi sui dictionem imitantes suoque indulgentes ingenio, in orationibus suis panegyricis saepius usos fuisse apostrophis ad martyres aliosque homines sanctos et eorum res gestas, cruciatus, obitum laudasse, multo interdum adhibito orationis ornatu, ita ut auditores eos, qui ut praesentes compellabantur quorumque suffragia quasi petebantur, veluti oculis cernerent et ad piam eorum venerationem incitarentur. Figuras autem oratorias esse et non invocationem proprie dictam ejusmodi in veterum doctorum sermonibus locos, satis apparet e reliquis eorundem scriptis, quibus saepenumero testati sunt, praeter unum verum Deum neminem esse adorandum et non nisi unius Christi intercessionem in coelis esse petendam †).

Et haec quidem pro instituti ratione hoc loco de precum publicarum argumento sufficiant. Mittimus alia precum exempla et formulas liturgicas, quae serioris esse videntur aetatis ††).

§. 7. De ritibus, quos Christiani Deum publice adorantes, post Apostolorum aetatem, observarunt. —

---

*) Vid. Epiphanius *Haeres.* 75. (Opp. T. I. p. 908. ed. Petav.)

**) Augustinus *de cura gerenda pro mortuis* 1, 4, 18. T. V. P. II. ed. Benedict. p. 377 ss. 387.

***) Epiphanius *adv. Haeres.* p. 911. (edit. Petav. Colon. 1682.) ubi legitur: *Ἵνα τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἀφωρίσωμεν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων τάξεως.* Conf. Dallaeus l. l. c. 24. p. 487 ss. J. A. Ernesti, *de vera origine praecipuorum dogmatum et institutorum sacrorum, quae tempore sacrorum emendationis repudiata et abrogata sunt ab ecclesia evangelico-lutherana.* (Lips. 1775—1781.) Prolus. I. p. 8—9. Schroeckh l. l. 6. 230 seq.

†) Multa, quae huc spectant, veterum doctorum testimonia collegit Dallaeus l. l. 1, 2—4. p. 4 ss.; 3, 30. p. 523 ss. Vid. etiam Bingham l. l. T. 5. p. 68 ss. G. J. Vossius *Disput. XI de invocatione sanctorum*, Opp. T. 6. p. 396 ss.

††) De iis conf. Augusti l. l. p. 181—191 ss. 197—233.

Vidimus antea simplices admodum fuisse ritus externos, quibus Christiani in adorando Deo usi sunt Apostolorum aetate; jam agendum est de ritibus, qui post aetatem illam in Christianorum conventibus vel observati sunt vel instituti. De his in universum animadvertimus, in iis exponendis hanc adhibendam esse cautionem, ne quae serioribus periodi, de qua agimus, temporibus in usu fuerunt, ad antiquissima etiam tempora referamus.

Nimirum prima postquam Apostoli ex hac vita discesserant aetate parum mutati fuisse videntur ritus, quos legati illi divini probaverant. Postea vero plures accesserunt ritus ab antiqua simplicitate discedentes et verae religionis christianae indoli minus accommodati. Nimirum cum viderent Christiani, religionem suam a multis vel ideo contemtui et odio haberi, quod agrestis absque pompa et sollennitate videretur, majorem sacris suis reverentiam conciliare voluerunt, et proptera ab ethnicis, qui patrios mores retinendi amore ac studio ducebantur, ritus quosdam in sacra sua receperunt, ut facilius eos ab inani deorum cultu avocarent. Itaque bono quidem rem christianam augendi consilio institutae sunt novae in sacris peragendis ceremoniae; sed ut homines iis in primis delectari solent, quae sensus afficiunt externos, atque in illis haud raro acquiescunt, sic etiam factum est, ut ad finem vergente sec. III. et ineunte IV. publicis Christianorum sacris varii accesserint ritus superstitiosi, quorum apparatus insignem in modum fuit auctus, a quo tempore aedes, conventibus Christianorum sacris destinatae, mutatae sunt in ingentes basilicas et condita sunt splendida templa, ornata aris pomposis valde et lumine condecoratis perpetuo; a quo tempore hominibus, qui sanctitatis laude clari ex hac vita discesserant vel ob inconcussam animi in profitenda religione constantiam morte violenta e medio fuerant sublati, magnus tributus est honos; ab eo tempore, ut in ceteris ritibus, festis et universa cultus sacri ratione, ita quoque in publicis precibus antiqua simplicitas periit et ab interno Dei cultu ad externam rerum sacrarum pompam allecti sunt homines *).

Hisce praemissis magis sigillatim jam agamus de ritibus, quos Christiani Deum publice adorantes post Apostolorum aetatem observarunt.

Primo loco huc pertinent *jejunia* cum precibus juncta. Vidimus supra, Apostolos eorumque aequales nonnunquam in casibus singularibus jejunando sese ad preces praeparasse, nihil autem de iis observandis praecepisse. Ita quoque primis post eorum aetatem temporibus libera fuisse videntur jejunia, privata non tantum sed et publica, quae inprimis celebrata fuerunt calamitosis reipublicae temporibus rebusque ecclesiae misere afflictis. Jejunantes abstinebant in universum a cibo ad vesperam usque ac totum diem impendebant precibus, piis meditationibus aliisque actibus religiosis. Ejusmodi jejunia cum precibus juncta commendat Polycarpus, Christianos admonens, *ut secundum doctrinam iis ab initio*

*) Cff. Spanhem. Opp. T. II. p. 874, 907. Gisb. Bonnet *de origine superstitionis inter Christianos*, Traj. ad Rhen. 1753. 8.

traditum, sint vigilantes in orationibus et perseverantes in jejuniis, precibus rogantes Deum, qui omnia perspicit *).

Testatur etiam Justinus M., catechumenos, qui ad Christi castra adducerentur, antequam baptismo initiarentur, obligatos fuisse, *ut precando et jejunando a Deo peterent peccatorum veniam et una cum iis orasse et jejunasse, qui jam antea Christo nomen dedissent* **).

Graviter autem monuerunt veteres ecclesiae doctores, jejuniis exiguum statuendum esse pretium, nisi accedant vera animi probitas et vitae morumque integritas. Huc spectat monitum *Pastoris* apud Hermam: *Hoc esse jejunium plenum acceptumque Deo: Nihil in vita tua nequiter facias; sed mente pura servi Deo, custodiens mandata ejus et in praeceptis ejus ingrediens; neque admiseris desiderium nocens in animo tuo* ***). Idem monuerunt Origenes, Basilius M., Chrysostomus alii †).

Primis post aetatem apostolicam temporibus nulla lege fuit constitutum, quo tempore et quas ob causas jejunandum esset. Testatur illud Tertullianus, qui Montanistarum de observandis jejuniis novas leges scribentium causam defendere conatus, hanc esse memorat Catholicorum sententiam: Ex arbitrio hoc munus esse obeundum, non vero ex imperio novae disciplinae, pro temporibus et causis uniuscujusque. Sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum et in commune omnibus obeundorum jejuniorum ††).

Ad finem vergente sec. II. communi Christianorum consensu institutum fuit *jejunium antepaschale* sive *quadragesimale*, quod tamen Irenaei et Victoris aetate a. 191 non omnes eodem modo celebrarunt. Nonnulli enim existimabant, uno duntaxat die sibi esse jejunandum, alii duobus, alii pluribus, multi quadraginta tantum horis, diurnas atque nocturnas computantes †††).

Praeterea quarto et sexto hebdomadis die jejunia celebrabantur, quae *stationum semijejunia* appellat Tertullianus, quorumque mentionem faciunt Origenes, Clemens Alex., et Epiphanius †*). Die dominica, laeto et grato erga Deum et Jesum Christum animo transigenda jejunium ha-

---

*) Polycarpus *ad Philipp.* 7. p. 188. *Ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν, νήφοντες πρὸς τὰς εὐχὰς καὶ προσκαρτεροῦντες νηστείαις, δεήσεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην θεόν.*

**) Justinus M. l. l. p. 93. *Εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς.*

***) Hermae *Pastor* 3, 5. p. 105—106. Cf. S. P. Heyns *de patrum apostolicorum doctrina morali.* (*Lugd. Bat.* 1833). p. 90—91.

†) Vidd. Origenes *hom.* 10 *in Levit.* Basilius *homil. de jejunio*, qui *νηστείαν δεκτὴν* nuncupat. Chrysostomus *hom.* 8 *in cap.* 1. *Genes.*

††) Tertullianus *de jejunio* 2. Opp. T. II. p. 391. Cf. Neander *Antignosticus, oder Geist des Tertullianus.* (Berlin 1825.) p. 279 ss.

†††) Vid. Irenaeus *in epist. ad Victorem* ap. Eusebium *hist. eccl.* 5, 24. Cf. ad h. l. Valesius *in Annot.* p. 106 ss. Venema *hist. eccl.* 3. p. 490. Augusti *Denkwürdigkeiten* 10. p. 378 ss.; 393 ss.

†*) Tertullianus *de jejunio* 13. T. II. p. 415. Origenes *homil.* 10 *in Levit.* Clemens Alex. *Stromatum* 7. p. 877. Epiphanius *Haer.* 75, 6.

bebatur illicitum. Testatur hoc Tertullianus dicens *): Die dominico jejunium nefas ducimus. Universam ecclesiam catholicam probasse et secutam esse hanc sententiam tradit Epiphanius **). Ex nonnullorum sententia sabbati quoque die jejunare nefas habitum fuisse, uno excepto sabbato paschatis, docent Ignatius, Canones et Constitutiones Apostolorum ***).

Quoniam apud Judaeos pariter ac ethnicos antiquus fuerat mos, ante preces manus lavandi et hunc morem abrogasse non leguntur Apostoli, omnino verisimile est, post eorum aetatem Christianos, ad preces publicas accedentes, manus solenni ritu lavare solitos fuisse, ut iis esset emblema animi puri, quo ad Deum sanctissimum adorandum se conferre debeant homines. Hanc consuetudinem apud Christianos diu servatam fuisse vel ex eo apparet, quod aedium sacrarum atria haberent fontes, cisternas vel puteos vel cantharos etiam, ne quis illotis manibus ad publicas accederet preces. Graeci λουτῆρας, κρήνας, νιπτῆρας, φρέατα vocant. De hisce scripsit Chrysostomus: *Ut in atriis domuum oratoriarum fontes sint, constitutum est, quo Deum oraturi prius manus abluant et tunc demum eas ad preces extendant* †). Idem alio loco testatur: *Deinde manus quidem lavamus in ecclesiam ingredientes* ††), et in sermonibus popularibus ad hunc morem saepius alludit, serio monens nullius pretii esse manuum lotionem siquidem impura mente preces fundantur †††). Eadem et aliorum ecclesiae doctorum erat sententia, v. gr. Barnabae, qui *non accedendum esse ad preces* sive ad oratorium *mala conscientia* monuit †*). Et inprimis Tertulliani: Quae ratio est, inquit, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente, orationem obire? quando et ipsis manibus spirituales munditiae sint necessariae ut a falso, a caede, a saevitia, a veneficiis, ab idololatria ceterisque maculis, quae spiritu conceptae manuum opera transiguntur, purae alleventur. Hae

---

*) Tertullianus *de corona militis* 3. opp. T. IV. p. 341; *de oratione* 17. T. IV. p. 22; *de jejunio* 14. p. 417.

**) Epiphanius *exposit. fidei*, §. 22. *Τας δὲ κυριακὰς ἁπάσας τροφερὰς ἡγεῖται ἡ ἁγία καθολικὴ ἐκκλησία καὶ οὐ νηστεύει.*

***) Ignatius *ad Philipp.* 13. p. 119. *Εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου τοῦ πάσχα, οὗτος χριστοκτόνος ἐστίν.* Canones Apost. Can. 66. *Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν ἢ τὸ σάββατον, πλὴν ἑνὸς μόνου, νηστεύων, καθαιρείσθω· ἐὰν δὲ λαϊκὸς ᾖ, ἀφοριζέσθω.* Constit. Apostol. 5, 19; 7, 24. Ceterum de jejuniis Christianorum hac aetate vid. Dallaeus *de jejuniis et quadragesima libri IV.* Daventr. 1654. Binghamus l. l. Vol. 9. p. 177 ss.; 254. J. H. Boehmer *jus. eccl. Protest.* T. III. p. 887 ss. Venema l. l. T. III. p. 487 ss. Schöne l. l. Th. I. s. 209 ss. Augusti *Denkwürdigkeiten* 10. p. 312 s. et qui ibi laudantur. Addatur Rheinwald l. l. p. 164 s.; 182 ss.

†) Chrysostomus *hom.* 57. T. V. p. 390. *Κρήνας εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἴκων νενόμισται, ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ θεῷ πρότερον ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσι.*

††) Chrysostomus *hom.* 72. *in Joh.* p. 465. *Εἶτα χεῖρας μὲν νιπτόμεθα εἰς ἐκκλησίαν εἰσιόντες.*

†††) V. gr. *hom.* 52. *in Matth.* p. 566; *hom.* 3. *in ep. ad Eph.* p. 888.

†*) Barnabas, *Epist.* C. 19. p. 52. *Οὐχ ἥξεις ἐν προσευχῇ σου ἐν συνειδήσει πονηρᾷ.* Cf. Heyns. l. l. p. 75.

sunt verae munditiae, non quas plerique superstitiose curant ad omnem orationem cum lavacro totius corporis aquam sumentes*). In hominibus, qui ad preces accedant, requiri animum mansuetum, ab omni odio, ira et vindictae cupidine immunem, saepius monuerunt veteres ecclesiae doctores, v. gr. auctor constit. apostolicae, qui scripsit: *Non accedas ad precationem tuam die improbitatis tuae, priusquam amaritudinem tuam deposueris* **). Et Tertullianus: Memoria praeceptorum, inquit, viam orationibus sternit ad coelum, quorum praecipuum est: ne prius adscendamus ad Dei altare, quam, si quid discordiae vel offensae cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? quomodo placabit patrem, iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nec ab ira solummodo, sed omni omnino confusione animi libera esse debet orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est spiritus, ad quem mittitur ***).

Ceterum ex antiquo illo manus ante preces solennes lavandi more, de quo pluribus agitur ab archaeologiae scriptoribus †), ortum esse *aquae lustralis* in ecclesia christiana usum multi statuerunt.

Aetate Apostolorum viguisse apud Christianos veterem Judaeorum inter preces, quae in conventu sacro recitabantur, erecto corpore standi morem, ante vidimus, et ab hac consuetudine primis post aetatem apostolicam temporibus non recessisse Christianos, testis est Justinus M., qui die dominico sacra publica sic peracta fuisse tradit, ut post praelectam aliquam sacri codicis partem habitamque ad populum orationem, *omnes et singuli surgerent et preces funderent* ††).

Die dominico totoque illo tempore, quod inter pascha et pentecosten intercedit, licitam non fuisse genuflexionem, sed corpore erecto precandum esse, ut ipse habitus externus mentis hilaritatem ac fiduciam testaretur, et hanc consuetudinem coepisse a temporibus apostolicis tradiderunt veteres †††).

In casibus singularibus, quemadmodum Apostoli fecerant, ita quoque jam genua flectebant Deum adorantes. Narrat v. gr. Eusebius, milites christianos, sub Marco Aurelio merentes, pluviam suis precibus impetrasse, atque illud eos fecisse dixit *genu in terram usque flexo, secundum consuetudinem nobis in precibus propriam* †*).

---

*) Tertullianus *de orat.* 11. T. IV. p. 13. Cf. Neander *Denkwürdigk.* 1. p. 325 ss.

**) *Constitut. Apostol.* 7, 17. p. 370. *Οὐ προσελεύσῃ ἐπὶ προσευχήν σου, ἐν ἡμέρᾳ πονηρίας σου, πρὶν ἂν λύσῃς τὴν πικρίαν σου.*

***) Tertullianus *de orat.* C. 10. Plura ejusmodi veterum doctorum monita legantur apud Suicerum *observat. s. c.* 6.

†) V. gr. Binghamo l. l. T. III. p. 180. Augusti l. l. Th. 11. p. 484.

††) Justinus M. l. l. p. 98. *Ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς πέμπομεν.*

†††) Vidd. Tertullianus *de cor. mil.* 3. P. IV. p. 341. *Constitut. Apostol.* 2, 59, ubi conf. Cotelerius p. 270—271.

†*) Eusebius *hist. eccl.* 5, 5. *Γονυθέντας ἐπὶ τὴν γῆν, κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν προσευχῶν ἔθος.*

In statu luctus, jejunii, poenitentiae solebant veteres, ad mentis demissionem significandam, Deum implorare flexis genubus *).

In ordinariis conventibus sacris preces ad Deum fundebantur a *stantibus*, hinc Cyprianus dicit: Quando stamus ad orationem **). Hinc in Constitutionibus Apostolicis et liturgiis Basilii et Chrysostomi saepissime legitur: ὀρθοὶ στῶμεν καλῶς, στῶμεν, δεηθῶμεν. Paulatim vero ab hac inter preces publicas standi consuetudine deflectere coepisse Christianos, apparet e canone conc. Nic. a. 325 habiti, quo constitutum est: *cum nonnulli sint, die dominico et in diebus pentecostes genua flectentes, ut omnia similiter in omni parochia serventur, visum est sanctae synodo, stantes Deo orationes persolvere* ***).

Ceterum ex hoc more inter preces standi repetendum videtur nomen *stationis*, quod conventibus sacris datum fuit. Hinc factum est, ut, quum jejunii diebus, quibus diutius in ecclesia stabant Christiani, quam diebus dominicis et festis, *stationis* nomine etiam vocatum sit jejunium, ut apparet ex Hermae *Pastore* et Tertulliano †). De veterum Christianorum more inter preces standi plura scripserunt viri docti ††). Ceterum solitos fuisse quosdam Christianos, post recitatas preces, quibus stantes interfuerant, statim considendi, narrat Tertullianus et morem illum tanquam illicitum damnat, quippe quo Deo quasi exprobremus, quod nos oratio fatigaverit †††).

Inter precandum manus elevare et explicare solitos fuisse Christianos testis et Tertullianus, apud quem memorantur: Sursum suspicientes Christiani manibus expansis, qui et alio loco scripsit: Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus manus. Reverenter ac modeste hoc ab iis factum esse idem affirmat, dicens: Atqui cum modestia et humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate ac probe elatis †*).

Ex Apostolorum traditione hanc consuetudinem repetendam esse, non scripserunt veteres. Hujus moris rationem esse in crucis signo opinatur Ambrosius, cujus haec sunt verba: Homo cum manus levaverit, crucem pingit, atque ideo elevatis manibus orare praecipimur, ut ipso

---

*) Cf. Suiceri *Thes. eccl.* voce γονυκλισία.

**) Cyprianus *de oratione*, l. l. p. 195.

***) *Concilii Niceni Can.* XX. Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γονυκλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ στάντες τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ θεῷ.

†) Vid. Hermae *Pastor* 3, 5. p. 105, *in P. P. Apost.* Cotel. et ad hunc Hermae locum conf. J. A. Fabricius *in Cod. Apocr. N. T.* T. III. p. 928 ss. Tertullianus *de corona militis* c. 11. p. 354; *de orat.* c. ult. p. 26.

††) V. gr. Witsius *ad orat. dominic. exercitat.* 6. Hoornbeek *Miscell. s.* l. l. 1, 10; p. 291 seq. Idem L. 1, 22. p. 606 ss. Augusti l. l. Th. 10. p. 8 ss.

†††) Tertullianus *de orat.* 12. Cf. Cotelerius ad Hermae *Pastorem* 2. T. I. p. 84.

†*) Tertullianus *Apolog.* 30. p. 274. *de orat.* 11. p. 13, 13. p. 15. Cf. Hoornbeek l. l. p. 297 ss.

membrorum gestu passionem Domini fateamur. Eandem sententiam indicasse videtur Tertullianus, qui scripsit: Manus expandimus et dominica passione modulantes et orantes confitemur Christo *).

Aliam hujus moris rationem esse statuit Chrysostomus, qui ad quaestionem: *Quid manuum in precibus sibi velit extensio?* respondet: *quoniam illae multis malis actionibus ministrant, cujusmodi sunt verbera, caedes, rapinae, avaritia et illicitus quaestus; hanc ipsam ob causam jubemur eas levare, ut, quia nobis in precibus ministrant, illud eas a malitia abstrahat et a nequitia abducat: uti si quid rapere vel aliena invadere vel alium percutere velles, memor quod easdem manus, veluti deprecatrices et patronas ad Deum mittas, et per eas sacrificium illud spirituale offeras, eas non pudefacias nec per malam actionem libertate sua spolies* **).

Apud Judaeos aliosque populos orientales, ac dein apud Romanos, in usu erat, ut capite velato preces funderentur. Longe aliter instituerunt Graeci, qui capite aperto sacra faciebant et hunc morem a Paulo Corinthiis commendatum esse 1 Cor. **11**, 4 — 16 ante vidimus. Licet Paulus non legem communem omnibus ubique observandam praescribere voluerit, Christiani tamen post aetatem apostolicam se ad hoc monitum composuisse videntur. Hujus rei indicium est apud Tertullianum, qui scripsit: Precamur capite nudo, quia non erubescimus. *Mulieres*, vero, *capite velato, uti feminarum ordinem decet, ad eucharistiam accedere* jubentur in Constitutionibus Apostolicis. Utrumque hunc morem et postea in publico ecclesiae coetu, ubi viri et mulieres promiscue ad preces conveniunt, secuti sunt Christiani ***).

Inter omnes publicae adorationis ritus apud plerasque gentes antiquas maxime vulgaris erat, ut ad orientem solem se converterent. Testatur illud Tertullianus dicens: Plerique vestrum (ethnicorum), affectatione aliquando et coelestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis †). Hunc morem Christianos veteres secutos fuisse ex traditione apostolica nonnulli voluerunt, sed nullo documento constat, Apostolos hac de re aliquid praecepisse. Hinc variae hujus ritus rationes memorantur apud antiquos ecclesiae doctores: v. gr. *ut in Paradisum, quem Deus plantavit ad orientem, precantes intuerentur,* vel *quod Christus adscenderit in coelum ad orientem* ††). Alii alias attulerunt hujus moris rationes, inter quas haec maxime videtur probabilis, quod veteres Christiani ad orientem supplices sese converterint, ut quaedam s. codicis oracula de Messia venturo prolata, hunc ritum observando exprimerent, quale est illud Mal. **4**, 2: *Vobis vero, qui timetis nomen meum, orietur sol justitiae:* ad quem locum allusit Zacharias, Joannis baptistae pater, Luc. **1**, 18: *Invisit nos oriens ex alto.* Huc spectat locus Clementis Alex.: *Quoniam*

---

*) Ambrosius *de Cruce Sermo* 56. Cf. Brouërius de Niedek l. l. p. 205. Tertullianus l. l.

**) Chrysostomus in Ps. 141. Cf. Witsius l. l. *exercit.* IV. p. 68.

***) Vid. Tertullianus *in Apolog.* l. l. *Constitut. Apost.* 2, 57. p. 268. Cf. Brouërius de Niedek l. l. p. 144. Witsius l. l. p. 62 ss.

†) Tertull. *apolog.* 16. p. 167.

††) *Constitut. Apostolic.* 2, 57. p. 267.

diei natalis imago est oriens atque illinc quoque lux augetur, quae primum illuxit iis in tenebris iisque qui volutantur in ignorantia, exortus est dies cognitionis veritatis, quemadmodum sol oritur, ideo ad ortum matutinum habentur preces *). Sunt autem haec levioris momenti, et ritus ille magis superstitionem redolere, quam verecundiam significare videtur **).

Antequam preces in coetu Christianorum fierent, sacrorum antistes eas recitaturus omnes qui aderant ad devotionem et attentionem excitabat, alta voce clamans: Sursum corda. Refert illud Cyprianus, dicens: Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Ideo et sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*, ut, dum respondet plebs: *habemus ad Dominum* — admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere ***). Ita quoque in Constitutionibus Apostolicis aliisque formulis liturgicis admodum frequens est admonitio: *ἄνω τὰς καρδίας* †).

Quemadmodum, ut ante vidimus, aetate Apostolorum preces ab ecclesiae doctore recitatas populus excipiebat alta voce acclamans *Amen*, ita quoque post eorum aetatem hunc ritum in ecclesia continuatum luculenter testatur Justinus M., qui scripsit: *sacrorum antistes preces fundit et gratiarum actiones et populus fauste acclamat, dicens: Amen* ††).

In antiquae ecclesiae liturgiis, quae tamen recentioris sunt aetatis, admodum frequens est hujus ritus commemoratio et apud Pseudo-Dionysium Areopagitam hic actus dicitur *συμπληρῶσαι τὴν εὐχήν* †††).

Ex hisce sponte sequitur, preces publicas lingua vernacula fuisse recitatas, ita ut Syri syriace, Graeci graece, Coptitae coptice, Latini latine precarentur et sacra celebrarent. Totidem verbis hoc docet Origenes, precationes fieri lingua cujusque regionis vulgari demonstrans contra Celsum, qui, fortasse respiciens ad voculas *Amen, Hallelujah, Hosanna*, Christianis objecerat, quod barbaris et ignotis nominibus et formulis in precibus suis uterentur †*).

§. 8. Haec habui, quae de publicis veterum Christianorum precibus disputarem. Quodsi mihi contingat adeo esse felici, ut periti et

---

*) Clemens Alex. *strom.* 7. p. 520. *Τοῖς ἐν ἀγνοίᾳ κυλινδουμένοις ἀνέτειλε γνώσεως ἀληθείας ἡμέρα κατὰ λόγον τοῦ ἡλίου, πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαί.*

**) Ceterum de hoc precandi ritu conff. Jac. Thomasius *de ritu veterum Christianorum precandi versus orientem.* Lips. 1670. Cotelerius ad *Constitut. Apostolic.* T. I. p. 267. Pfannerus *systema theol. gentil. pur.* p. 384 s. Brouër. de Niedek, p. 193—201. Joach. Hildebrand *Rituale Orantium* 1, 5. p. 5 ss.

***) Cyprianus *de oratione dominica* p. 195.

†) Cyrillus Hierosol. *Catech. Mystag. V.*

††) Justinus M. l. l. p. 98. *Καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν.*

†††) Dionysius Areopagita *de hierarchia eccles.* 2. p. 77.

†*) Origenes *contra Celsum* 8. p. 402. *Ἐν ταῖς εὐχαῖς οἱ μὲν Ἕλληνες Ἑλληνικαῖς, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ῥωμαϊκαῖς, καὶ οὕτως ἕκαστος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάλεκτον εὔχεται τῷ θεῷ.* Cf. Deylingius *Obss. s.* T. IV. p. 382 s. Augusti *Denkwürdigkeiten* 5, 78.

aequi lectores judicent, me in congerendis atque ordine disponendis cum s. codicis tum aliorum veteris ecclesiae monumentorum testimoniis ad hanc rem pertinentibus, haud inutilem operam collocasse, laboris suscepti ac temporis in persequendo hocce argumento consumti nunquam me poenitebit. Illud certe rerum in qualicunque hac disputatione expositio docet, publicam in veterum Christianorum coetibus Dei adorationem longe diversam fuisse a precibus, quae seculis sequentibus in ecclesia christiana factae sunt, post doctrinam religionis novis dogmatibus, et historiam ecclesiae multis fabulis auctam; post festa in beatae Virginis, Deae loco habitae, atque angelorum, Apostolorum aliorumque virorum sanctorum, qui hominum res apud Deum agere censebantur, honorem instituta; post aedes sacras magnifice exstructas et crucis signo, altaribus, imaginibusque aut sculptis aut pictis ornatas, in quibus, thuris suffitu odorem spargente et cereis ardentibus, Christiani aqua lustrali tincti et in genua strati precum formulas ad rosarii legem decantarent etc.

Quae cum ita sint, haud facile reperietur aliquis, qui negaverit, simplicem illam Deum adorandi rationem, quae in protestantium conventibus sacris obtinet, ad ecclesiae apostolicae et veterum Christianorum exemplum magis esse compositam, quam externam illam ceremoniarum pompam, qua aut agenda aut spectanda delectantur aliae Christianorum familiae.

XXIV.

Adam Rechenberg de *Χειραρσίᾳ* orantium *).

§. 1. Varios olim a Christianis in precibus fuisse ritus gestusque usurpatos, hinc inde in Patrum et historiarum monumentis annotatum legimus. Nam aliqui devote precaturi, *nunc in basilica, nunc apud martyria*, h. e. martyrum sepulcra, *stabant*, Christoque (ut phrasi militari apud *Tertullianum de corona* 11. dici solet) *stationes faciebant*. Quidam inter stationes *caput inclinabant, Constit. Apost.* 10, 5. *Alii positis in terram genibus* dicebantur *de geniculis adorare*, apud *Tertull.* (*de coron. c.* 3. *et libr. ad Scapulam, c.* 4.) Quidam *corpus prosternebant facie humi volutata*, *apud Tertullian. advers. Jud. c.* 11. Quidam *manus lavabant*, *Tertull. libr. de orat. c.* 11. Aliqui *pectus caedebant*, *Tertull. adversus Judaeos c.* 11. Quidam denique m a n u s i n t e r o r a n d u m e l e v a b a n t. De quo ritu aut gestu pio sane et in nostris adhuc ecclesiis vel ex picturis noto pauca ex historia veteris ecclesiae, quae *antiquitatem et caussam* ejus recenset, commentari jam animum induxi meum.

§. 2. Antiquitatem ergo moris jam dicti investigaturi primum, natales ejus apud Ebraeos legimus annotatos. *Moses* enim vir divinus, manus attollebat coelum versus, cum Amalek, Israëlitarum hostem, divino auxilio nixus fugaret. *Ex.* 17, 11 — 13; cujus manuum figuram arcanam et mysticam *Gregor. Naz. orat.* 3. *adv. Julian.* vocat. Forte ut *Elias Cretensis in Comment. ad h. l. fol.* 132. exponit, quod typum Christi, nostrae salutis causa cruci affixi praetulerit; cf. *Gregorii Nyss. de vita Mosis* (*Tom. I. opp. f.* 217.). Deinde *David* per labores et aerumnas ad regnum evectus et filius ejus in regno successor sapientissimus, *Salomo*, devote precaturi, passis ad coelum manibus orarunt; *Ps.* 28, 2; 141, 2. 1. Reg. 8, 54. Horum exemplo forte excitatus *Jeremias*, vates afflictissimus, cum animo manus attollere inter precandum suos cohortatus est, *Thren.* 3, 41; *coll. Esr.* 1, 9. Philo *in Flaccum*, *fere in medio*, de Judaeis Alexandrinis orantibus habet: *προτείνοντες τὰς χεῖρας εἰς οὐρανόν.*

§. 3. Praeterea communem hunc morem Ebraeis et aliis gentibus fuisse, multis veterum tum *graecorum* tum *latinorum scriptorum* testimo-

---

*) Prodiit Lipsiae 1688. 4.

niis confirmare possumus: quae hic adduxisse non abs re fuerit. Inter ea primum locum meretur illud *Hom. Iliad.* XV, 368.

— — — Θεοῖσι
Χεῖρας ἀνίσχοντες μεγάλ' εὐχετόωντο ἕκαστος.

et *Iliad.* XXIV, 301.

Ἐσθλὸν γὰρ Διῒ χεῖρας ἀνασχέμεν, αἴκ' ἐλεήσῃ.

Ubi χεῖρας ἀνίσχειν θεῷ idem est ac χεῖρας ὀρέγειν εἰς οὐρανόν, quia coelum Dei habitaculum etiam profanis et barbaris gentibus creditum est. Eodem igitur recidit illud *Pindari*: ὁ δὲ ἀντείνας οὐρανῷ χεῖρας ἀμάχους. *Isthm. od.* 6. Arrianus *de exped. Alex. l. IV. de Darii* precibus similem gestum observavit: ἐπὶ τοῖς δὲ ἀνατεῖναι Δαρεῖον ἐς τὸν οὐρανὸν τὰς χεῖρας, καὶ εὔξασθαι ὧδε· Ἀλλ' ὦ Ζεῦ βασιλεῦ etc. Notum est Apollon. Argon. I. 1. πολλὰ μάλ' ἀθανάτοισιν ἐς αἰθέρα χεῖρας ἄειρον εὐχόμεναι. Arrianus in Epictet l. IV. c. 10. Ἀρκεῖ μοι, ἂν δύνωμαι, πρὸς τὸν θεὸν ἀνατεῖναι τὰς χεῖρας καὶ εἰπεῖν· ὅτι ἃς ἔλαβον ἀφορμὰς παρὰ σοῦ etc. In *Juliani Epistol.* legitur: πρὸς θεὸν χεῖρας ἀνατείνειν.

§. 4. Apud *latinos* etiam poëtas et alios scriptores saepius occurrit, manus supinas aut palmas ad coelum tollere, pandere, tendere. Notum illud Virgilii: *Ingemit et duplices tollens ad sidera palmas.* Plautus *in Amphitr. ad coelum puras manus tollere,* dixit. *Seneca* Epist. 49. dum ritum hunc improbare videtur, eundem allegat: *Non sunt ad coelum elevandae manus nec exorandus aedituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Prope est a te Deus; tecum est, intus est.* Apulejus in l. de *Socratis deo*: *Hic habitus orantium est, ut manibus in coelum extensis precemur.* Quem morem et hodie Bramines inter precandum frequentare Rogerus, in libro germanico: *Janua reserata secret. gentilism.* p. 354. annotavit. De Turcis idem ex itinerariis passim obviis abunde constat. Ad quae tamen provocare jam quid opus? Ipse meis oculis, non Budae aut Constantinopoli, sed hic Lipsiae expansas nuper manus vidi Turcarum precantium.

§. 5. *Christianis* quoque olim ritum frequentissimum fuisse, variis discimus argumentis. Praecipuum notatu est illud Pauli 1 Tim. 2, 8. βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ, ubi χεῖρας ἐπαίρειν est manus attollere ut apud *Aristophanem* in Eccles. χεῖρας αἴρειν pro ἀνατείνειν usurpatur. Ὁσίους autem juxta *Bezam* attice pro ὁσίας, commate 9. κοσμίῳ pro κοσμίᾳ dixit: *puras* nempe sceleris; ut apud profanos scriptores *manus purae* opponuntur *sacrilegis et impiis.* Videtur Apostolus lotiones apud Judaeos non infrequentes respicere, *Lev.* 6, 13; *Marc.* 7, 4; *Ebr.* 9, 20. quibus animi et conscientiae puritatem vel sanctitatem, per manus puras hic significatam Apostolos opponit. Signum enim hic externum, ad denotandum internum animi habitum peccantis ponitur.

§. 6. Deinde Clemens Alex. *stromat.* 6 (*f.* 454. *ed. Paris.*) Aeaci

meminit his verbis: *Αἰακὸς, ἀνελθὼν ἐπὶ τὸ Ἑλληνικὸν ὄρος, τὰς καθαρὰς χεῖρας ἐκτείνας εἰς οὐρανὸν, κοινὸν ἀποκαλέσας τὸν Θεὸν, ηὔξατο οἰκτεῖραι αὐτὸν τετρυμένην τὴν Ἑλλάδα.* Et strom. 7 (fol. 519.): *πᾶσαν γὰρ τὴν ἐνδιάθετον ὁμιλίαν ὁ Θεὸς ἀδιαλείπτως ἐπαΐει. ταύτῃ καὶ προσανατείνομεν τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴρομεν τούς τε πόδας ἐπεγείρομεν κατὰ τὴν τελευταίαν τῆς εὐχῆς συνεκφώνησιν, ἐπακολουθοῦντες τῇ προθυμίᾳ τοῦ πνεύματος εἰς τὴν νοητὴν οὐσίαν. καὶ συναφιστάνειν τῷ λόγῳ τὸ σῶμα τῆς γῆς πειρώμενοι, μετάρσιον ποιησάμενοι τὴν ψυχὴν ἐπτερωμένην τῷ πόθῳ τῶν κρειττόνων, ἐπὶ τὰ ἅγια χωρεῖν βιαζόμεθα, τοῦ δεσμοῦ καταμεγαλοφρονοῦντες τοῦ σαρκικοῦ.* Similia habent alii Patrum antiquissimi; ut Tertullianus Apolog. 30.: *Illuc* (coelum) *suspicientes* Christiani *manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecunque hominis et Caesaris vota sunt.* Et de spectac. 25.: *Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosae cupiditatem: quale est enim de ecclesia Dei in diaboli ecclesiam tendere? ex coelo (quod ajunt) in coenum? I l l a s m a n u s quas ad D e u m e x t u l e r i s, postmodo laudando histrionem fatigare?* Idem de orat. 11.: *Caeterum quae ratio est manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? quando et ipsis manibus spiritales munditiae sint necessariae, ut a falso, a caede, a saevitia, a veneficiis, ab idololatria caeterisque maculis, quae spiritu conceptae, manuum opera transiguntur, p u r a e a l l e v e n t u r.* Et paucis interjectis: Nos vero non a t t o l l i m u s *tantum* (manus) *sed etiam e x p a n d i m u s, e dominica passione modulatum, et orantes confitemur Christo.* Minucius Felix in Octavio (*edit. Wow. p.* 40.): *Audio vulgus, cum ad c o e l u m m a n u s t e n d u n t, nihil aliud quam Deum dicunt:* et p. 69. signum crucis praedicaturus, ait: *signum sane crucis naturaliter videmus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur: et cum erigitur jugum, crucis signum est:* Et *cum homo p o r r e c t i s m a n i b u s Deum p u r a m e n t e v e n e r a t u r.*

§. 7. Ex quarti sec. Patribus *Gregor. Naz.*, poëtae ac oratoris maxime sublimis, carmen annotari hic meretur:

Χειρῶν ἔργον ἄριστον, ἐς οὐρανὸν αἰὲν ἀείρειν
Ἁγνῶς, καὶ παρέχειν εὐσεβέεσσι λιταῖς.

Quod doctissimus *Joach. Camerarius* aliquando inter prandendum ita transtulit:

Optimum opus manuum, has in coelum tendere puras,
Atque pio castas fundere ab ore preces.

uti refert filius *Philippus, oper. subcis. Cent.* 1. c. 1. Euseb. hist. eccl. 12, 7. martyrem hoc gestu orantem describit: *Vidisses hunc adolescentulum* ait, *vix dum vicesimum aetatis annum ingressum, absque vinculis stantem, καὶ τὰς μὲν χεῖρας ἐφαπλοῦντα εἰς σταυροῦ τύπον, firmoque et impavido animo attentissime Deo supplicantem; nec ab eo, in quo steterat, loco*

recedentem aut ullatenus declinantem: cum interim ursi et pardi furoris ac mortem anhelitu ipso spirantes, membra illius paene jam morsibus invaderent. Qui tamen nescio quo pacto constrictis divina quadam et arcana virtute ipsorum faucibus, retro protinus abscedebant. Athanasius episc. Alexandr. *orat. contra Gentes tom. I. f.* 4. docet, *manus* homini datas, *εἰς τὴν τῶν ἀναγκαίων ἐνέργειαν καὶ ἔκτασιν τῆς πρὸς τὰν Θεὸν εὐχῆς.* Haec causa fuit, cur Constantinus M. nummos aureos cudi curaverit, *ὡς ἄνω βλέπειν δοκεῖν ἀνατεταμένος πρὸς Θεὸν, τρόπον εὐχομένου· τούτου μὲν οὖν ἐκτυπώματα,* addit *Eusebius* (*de vita Const.* 4, 15.) *καθ᾽ ὅλης τῆς Ῥωμαίων διέτρεχεν οἰκουμένης.* Imo in ipsa etiam regia juxta quasdam januas, in imaginibus ad ipsum vestibuli fastigium positis, depictus est stans, *ἄνω μὲν εἰς οὐρανὸν ἐμβλέπων, τὼ χεῖρε δ᾽ ἐκτεταμένος εὐχομένου σχήματι.* *Chrysostomus homil. ad popul. Antioch.* 13. *καὶ πάντες κοινῇ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἐβλέπομεν, καὶ τὰς χεῖρας ἀνετείνομεν σιγῇ τὴν ἄνωθεν ἐκδεχόμενοι ῥοπὴν καὶ τὸν Θεὸν παρακαλοῦντες.* Augustinus de *cura pro mortuis* c. 10.: Nam *et orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua flectunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt.* Cf. *Caesarii Arelat. hom.* 30. *Salvianus de gubernat. Dei I. p.* 12. *ed. Baluz.* providentiam divinam asserturus, quaerit: *si enim negligit Deus in hoc seculo genus humanum, cur ad coelum quotidie manus tendimus? cur orationibus crebris misericordiam Dei quaerimus? Hoornbeckius in Miscell. sacr.* I, 10. exempli loco adducit Oswaldum regem Anglorum, quod *extensis* subinde *manibus* Deum precatus sit. Enimvero *Beda Venerabilis hist. eccles.* 3, 12. assiduitatem ejus in precando quidem memorat; sed addit, *ubicunque sedentem supinas super genua sua manus habuisse:* quod non est extensis aut elevatis manibus orare. Fecerat vero hoc *Paulus eremita.* Nam Antonius Magnus speluncam ejus ingressus, vidit genibus complicatis, erecta cervice, *extensis in altum manibus* corpus hujus exanime, quem vivere primum ratus, pariter orabat. Nulla vero, ut solebat, suspiria precantis audiens, intellexit, Sancti etiam cadaver Deum, cui omnia vivunt, officioso (ut *Espencaeus* loqui amat) gestu precari. Cf. *Espencaei comment. in* 1 *Timoth.* 2. *fol.* 29.

§. 8. Plura ex Patribus testimonia vel exempla hic cumulare, quid aliud esset, quam otio abuti? Id tantum ulterius quaeri potest; an, dum manus elevarunt orantes, eas junxerint digitisque compressis orarint; qui mos Christianis adhuc orantibus frequens esse solet? ubi, sive figuram crucis, quam manuum elevatio, ex Patrum interpretatione, referre debet, sive etiam historiam de nummis hac figura conspicuis consulimus; negandum nobis videtur, palmis compositis atque digitis compressis veteres in hac *χειραρσίᾳ* orasse. *Paulus Aringus in Roma Subterr.* 4, 20. imagines orantium repertas fuisse tradit, quarum aliae ad pedes Domini humiliter procubuere, *aliae extensis brachiis manibusque sublevatis precantium in morem steterint*; addens Nicolaum I. Papam Rom., qui circa a. Chr. 1360. in responso ad Bulgaros mentionem complicatarum manuum facit. Enim vero ritus ille complicandi manus inter precandum

videtur recentior fuisse Graecorum. Hi enim dum in precibus palmas combinarunt, ipso habitu coram Deo se reos miseresque peccatores suppliciis dignos professi sunt, misericordiam hoc gestu humili instar vinctorum implorantes. Cf. *Hildebrandi rituale orantium* c. 9. n. 9.

§. 9. Sanctior ergo hic gestus magisque conveniens devote orantibus fuit, quam *Trascodrugitarum*, quos Epiphanius *haeres.* 48. memorat, inter orandum, *digitum suum indicem in nasum imposuisse*; ut inde nomine hoc etiam appellati fuerint. Nam *trascus*, interprete Epiphanio, apud ipsos perticam, *drusus* vero nasum significabat. Unde *Perticonasati* audiunt. Baronius *Anal. ad a. Chr.* 174. *num.* 38. inepti hujus moris hanc rationem reddit: Quod nasus esset judicii signum, et digitus hieroglyphicum dimensionis (ut est apud Horum Apollinem) digito nasum tangere idem significare videbatur, quod recto judico cuncta metiri ac judicare. Enimvero Epiphanius, cui maiorem hac in parte fidem habemus, gestum hunc symbolum animi moerentis fuisse ait. Si veterum imaginibus aliquid tribuendum, ante jam memoratos Epiphanio haereticos mos non dissimilis in antiqua ecclesia apostolica obtinuit. *Paulus* enim *Aringus* l. c. testis est, sibi visas imagines Petri apostoli et Jonae prophetae, quarum utraque digitum manibus admotum habuit; ita quidem, ut juxta Petrum gallus, trinae abnegationis monitor, Jonas sub arido foliorum umbraculo positus fuerit. Mirum vero Aringo videtur, hunc haereticorum ritum ad catholicas preces pervasisse. Quare picturis illis non mores orantium exprimi, sed v. g. in imagine Jonae indignationem notari, cum is stomacharetur, Ninivem uti numine propitio, putat. Nares enim, ait, velut praecipua sedes iracundiae sunt. Confer *Hildebrandi ritual. orant.* 9. *n.* 15. Nos cum de antiquitate imaginum ab Aringo descriptarum nihil cetri constet, pictorum aut sculptorum lusus verius quam ritus orantium has effigies referre opinamur. Quo enim indicio nosci potest, hoc gestu, sanctos duumviros usos esse? Hieroglyphica autem istorum hominum sapientia exiguae apud prudentiores semper fuit auctoritatis.

§. 10. Si porro causas *χειραρσίας* inquirimus, primum homines videntur luminis naturae ductu moti, ut Deum invocaturi, manibus sublatis, coelum respicerent, quod mirandam summi architecti quasi sedem exhibet. Id quod Theodoretus in Ps. 19, 2. *fol.* 466. eleganter describit: *ἀρκεῖ καὶ μόνον φαινόμενον τὸ κάλλος καὶ μέγεθος, τοῦ δημιουργοῦ τὴν δύναμιν κηρύξαι. εἰ γὰρ ὁ μεγίστην καὶ καλλίστην οἰκοδομίαν θεώμενος, τὸν οἰκονόμον θαυμάζει, καὶ σκάφος ὁρῶν εὖ καὶ καλῶς κατεσκευασμένον, τὸν ναυπηγὸν ἐννοεῖ, καὶ τῇ θεωρίᾳ τῆς εἰκόνος ἡ τοῦ ζωγράφου συνεισέρχεται μνήμη, πολλῷ δήπουθεν ἡ κτίσις ὁρωμένη πρὸς τὸν δημιουργὸν ποδηγεῖ τοὺς ὁρῶντας.* Confer *Joh. Damasc. de Fid. orth.* 2, 6. Hinc Aristoteles *de coelo* I, 5. *πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι, καὶ βάρβαροι καὶ Ἕλληνες, ὅσοιπερ εἶναι νομίζουσι θεούς.* Et autor libri de mundo, qui Aristotelis nomine circumfertur: *Συνεπιμαρτυρεῖ δὲ καὶ ὁ βίος ἅπας, τὴν ἄνω χώραν ἀποδοὺς θεῷ. Καὶ γὰρ πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανόν, εὐχὰς ποιούμενοι.* Philopon. *de Creat.* I, 19. *Διὸ καὶ τὰς χεῖ-*

ρας εἰς αὐτὸν ἐκτείνουσιν εὐχόμενοι. ποδηγετεῖ γὰρ τοῦτο τὰς παχυτέρας τῶν ψυχῶν διὰ τῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ὄψεώς τε καὶ ἀναστάσεως. Cf. Cicero. *de nat. Deor.* 2, 95., Aristotelis verba recitantem. Tertullianus apolog. c. 17. *fol.* 18. clarius significationem hanc exponit: vultis, inquiens, ex animae ipsius testimonio comprobemus? quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis Deis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam potitur, Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, et quod Deus dederit, orantium vox est; judicem quoque contestatur illum, Deus videt; et Deo commendo, et, Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter christianae. Denique pronuncians haec non ad capitolium, sed ad coelum respicit. Novit enim sedem Dei vivi. Ab illo et inde descendit. Et quid opus aliis testimoniis? ipse Christus *Matth.* 6, 9. patrem nostrum ἐν τοῖς οὐρανοῖς, vel, ut *commate* 26. declaratur, τὸν οὐράνιον invocandum jubet. Quippe majestas Dei in coelo maxime conspicua. Cf. Jes. 57, 19.

§. 11. *Deinde* haec χειραρσία simul ἀναφορὰν mentis refert πρὸς τὰ ἄνω, de qua Cyprianus de orat. dominic. c. 12. agit. Et quam Chrysostomus homil. 12. *Tom.* 5. *fol.* 61. explicat: τοῦτό ἐστι μάλιστα εὐχή, ὅταν ἔνδον αἱ βοαὶ ἀναφέρωνται. τοῦτο μάλιστα ψυχῆς πεπονημένης, οὐ τῷ πόνῳ τῆς φωνῆς, ἀλλὰ τῇ προθυμίᾳ τῆς διανοίας τὴν εὐχὴν ἐπιδείκνυσθαι. οὕτω καὶ Μωσῆς ηὔχετο. Vel ut alibi *homilia* 22. *in epist. ad Hebr.* c. 11. *fol.* 1898. clarius exponit: μετὰ τῶν χειρῶν καὶ τὸν νοῦν ἀναλάβωμεν. ἴστε οἱ μεμυημένοι τί λέγω, τάχα ἐπιγινώσκετε τὸ λεχθέν. καὶ συνορᾶτε ὅπερ ᾐνιξάμην. ἐπάρωμεν εἰς ὕψος τὴν διάνοιαν. οἶδα πολλοὺς ἄνδρας ἐγὼ σχεδὸν κρεμαμένους ἀπὸ τῆς γῆς καὶ πέρα τοῦ μέτρου τὰς χεῖρας ἀνατείνοντας, καὶ ἀθυμοῦντας ὅτι μὴ δυνατὸν μετεωρισθῆναι, καὶ οὕτως εὐχομένους μετὰ προθυμίας. οὕτως ἡμᾶς εἶναι βούλομαι ἀεί. εἰ δὲ μὴ ἀεί, κἂν πλεονάκις, κἂν ὀλιγάκις, κἂν ἐν ταῖς ἑωθιναῖς, κἂν ἐν ταῖς ἑσπεριναῖς. εἰπὲ γάρ μοι, ἐκτείνειν τὰς χεῖρας οὐ δύνῃ. ἔκτεινον τὴν προαίρεσιν, ὅσον θέλεις. ταύτην ἔκτεινον εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν. κἂν αὐτῆς βουληθῇς τῆς κορυφῆς ἅψασθαι, κἂν ἀνωτέρω περιπατεῖν, ἔξεστί σοι. παντὸς γὰρ πτεροῦ κουφότερος καὶ ὑψηλότερος ὁ ἡμέτερος νοῦς. Hinc Claud. Espencaeus comment. in 1 Timoth. 2. fol. 29.: Per manus opera indicantur; has elevat, qui actus in terra suos elevat, et cujus in terra adhuc ambulantis conversatio in coelis est. Phil. 3, 20. *Philippus Camerarius*, ubi morem recensuit interpretum LXXII., quod non nisi lotis prius manibus et votis ad Deum solutis legere et interprerari perrexerint, eandem quoque rationem adducit: Eadem, inquit, nobis in colloquio Thespharis Naamathitis cum Jobo monitio repraesentatur: Ut puro corde manus ad Deum extendamus. Quare? Quoniam per infirmitatem nostram nobis non licet in coelum conscendere, unde opus est aliquo signo, quod contestatur extrinsecus id, quod intus latet. Noster animus videri non po-

test. Quod si absque simulatione precemur, noster animus sursum attollitur atque ita quasi comparemus coram Deo, ut ei totam mentem nostram exponamus. Id quidem invisibile est, sed manuum extensione declaramus, nos tendere ad Deum et ad ipsum unum confugere. Propterea in sacris literis per externum illud signum oratio significatur. Non quod illud sit aut totum aut praecipua pars. Nam hypocritae sedulo quidem et manus et brachia extendunt, adeo, ut toti zelo flagrare videantur; et tamen nihil, quam mentiuntur et illudunt Deo. Oportet igitur hoc signum ex sincero corde proficisci, quod etiam scriptura praesupponit. Ideo recte et pie dicitur: cor esse praeparandum. v. *Camer medit. hist. cent.* 2, 1. *p.* 3—4. Sic praeparato corde hac animi devotione manus ad coelum tollebat *S. Martinus* apud *Sulpitium Severum epist.* 3. *ad Bassulam socrum suam*: Oculis igitur (ait) ac manibus in coelum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et cum a presbyteris, qui tum ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpusculum lateris mutatione relevaret: *sinite*, inquit, *sinite me, fratres, coelum potius respicere, quam terram, ut suo jam itinere iturus ad dominum spiritus dirigatur.*

§. 12. Aliam causam *Maximus Taur.*, qui a. Christi 420. floruisse scribitur, reddit: *Elevatis manibus orare,* ait, praecipimur, ut ipso membrorum gestu passionem dominicam repraesentemus. *Homil.* 2. *de cruce et sepultura Domini.* Et hoc sensu etiam mystico videtur *Gregorius Nyss. de vita Mosis tom. I. fol.* 217. ὁ δὲ λαὸς, εἰ μὲν ἐπηρμένας βλέποι τοῦ νομοθέτου τὰς χεῖρας, ὑπέρτερος τοῦ ἐχθροῦ κατὰ τὴν παράταξιν γίνεται, εἰ δὲ καθειμένας, ἐνδίδωσιν. Hujus significationem mysticam aut ἀναγωγικὴν deinde subjungit; cf. quae supra ex *Minucio Felice* adduximus et quae in hanc rem collegit *Joh. Bapt. Casalius de vet. sacr. Christian. ritibus. c.* 3. *p.* 31.

§. 13. Tametsi vero isthaec interpretatio, non aeque ad complicatas manus, quam quidem expansas possit accommodari, nihilominus tamen illae ideo minus convenientes Christianis orantibus censeri nentiquam debent. Causam enim hujus complicationis manuum hodie solemnis quaesituri, ex Theologis hanc fere audiemus: nimirum expansionem in veteri foedere significasse, quam anxie Messiam promissum exspectarint, laetabundis amplexuri brachiis; complicationem vero in novo testamento virtutem Jacobaeam laetitiamque Simeonicam spirare; ita, ut precantes Servatorem jam exhibitum omnesque in ipso nobis factas promissiones junctis complectamur manibus, pectori velut impressuri, nec omnino dimissuri, donec nobis benedicat Dominus. Gen. 32, 26; Luc. 2, 28. Cf. *Scriverii meditationes german. cent.* 3. *med.* 9. *p.* 436 *ss.* Id quod cum gens Turcarum caecutiens haud intelligat, mirum non est, quod complicatas inter orandum manus Christianis vertat vitio. Ecquid enim dissimulem? Non ita pridem animi causa ex Turca quopiam, sacro baptismate propediem initiando, quaesiveram: cur non compressis potius quam extensis oraret manibus? respondit ille: Has acrem et attentum, illas somnolentum atque desidem prae se animum ferre. Cum

tamen alias non certe complicatae, sed in sinum consertae manus signum sint ignaviae, teste *Pierio in Hierogl.* 35, 5. *p.* 424.

§. 14. Eloquentissimus pater Chrysostomus aliam adhuc causam sanctae *χειραρσίας in Psal.* 141. *tom. I. fol.* 857—858. adfert mysticam: *τί βούλεται*, quaerit, *τῶν χειρῶν ἡ ἔκτασις ἐν τῇ εὐχῇ; ἐπειδὰν πολλαῖς πονηρίαις διακονοῦνται αὗται, οἷον πληγαῖς, φόνοις, ἁρπαγαῖς, πλεονεξίαις, δι᾽ αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο κελευόμεθα αὐτὰς ἀνατείνειν, ἵνα ἡ τῆς εὐχῆς διακονία δεσμὸς αὐτῆς γένηται τῆς κακίας, καὶ ἀπαγάγῃ τῆς πονηρίας. ἵνα ὅταν μέλλῃς ἁρπάζειν ἢ πλεονεκτεῖν, ἢ τύπτειν ἕτερον, ἀναμνησθεὶς ὅτι ταύτας μέλλεις ἀντὶ συνηγόρων πρὸς τὸν θεὸν πέμπειν, καὶ διὰ τούτων τὴν θυσίαν ἀναπέμπειν, ἐκείνην τὴν πνευματικὴν, μὴ καταισχύνῃς αὐτὰς, καὶ ἀπαῤῥησιάστους ἐργάσῃ τῇ διακονίᾳ τῆς πονηρᾶς ἐργασίας.*

§. 15. Hieronymus tandem. Opp. in 1 Timoth. 11. tom. 9. f. 311. innocentiae testimonium manuum elevationem esse censet, haud dubie respiciens epitheton *ὁσίους*, quod apostolus l. c. addiderat: Nam *manus puras* dicit *a caede et sanguine omnique opere malo. Testimonium enim* (subjicit) *innocentiae* est *manuum elevatio.* Espencaeus loc. cit. cum varias jam ritus dicti explicationes recitasset, subdit, mentis sublationem, vultum, oculos manusque sequi ac adeo attolli coelum versus. Manuum ergo (pergit) elevatio et hujusmodi alia non quidem per se Deo accepta sunt, sed quatenus per haec extima alacritatis intimae et humilitatis signa, homo intus spiritualiter attollitur aut humiliatur, ut sicut manuum ablutio, innocentiam cordis (ut ante diximus) sic sublevatio, spiritus itidem ad Deum sublevationem signet ac testetur suggeratque manus ad coelestia sublatas, non ad terram depressas, juxta illud Thren. 3. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* Atque hac interpretatione acquiescentes, manus elevamus nostras solique Deo dicimus gloriam.

XXV.

Christoph. Volland de subsultu precantium in primitiva ecclesia *).

§. 1. Ea est rerum humanarum indoles, ut jam vel nascendo ad suprema fastigia et florem pulcherrimum assurgant vel denascendo adeo in ultimas suas lineas et incita rudera attenuentur, ut diluta istarum remaneant vestigia, ex quibus obscure, istas quondam extitisse cognoscamus. Cum ergo res nostrae perpetuo fluxu et constanti periodo inter ortum atque interitum volvantur, vel otiosa vel parum saltem utilis mihi videtur eorum quaestio, qui, num antiquitas doctior et feracior a bonis literis fuerit, quam praesentia tempora, disputant. Non quidem eorum patronos nos parabimus, qui tam superstitioso amore vel suo Aristoteli vel turbae scholasticae vel aliis etiam vetustatis magnis nominibus agglutinantur, ut, fideliter in eorundem verba jurantes, ab ipsis discedere piaculum, scelus aliis postponere, refutare vero sacrilegium esse opinentur; adeo quidem, ut malint sanguinem, quam has antiquitatis sordes evomere; minus tamen eorum etiam temeritatem probamus, qui antiquorum eruditionem vix guttam ad pelagus, vix tenuem radium ad immensum splendorem hodiernae doctrinae fuisse autumant. Modestiae certe signum est, si non in plerisque tam ambitioso supercilio nosmet ipsos et nostra tempora antiquis praeferamus, maxime si consideremus, quam pauca incorrupta monumenta supersint, ex quibus totam amplitudinem vetustae eruditionis non licebit dimetiri, dum plurima cum vetustate aboleverunt. Accedit his, quod nosmet ipsi de nostrorum sive ingeniorum sive temporum felicitate non judicare debeamus, dum facile natus nobiscum nostri amor hic luxuriet et propria, quam agimus, causa summis nos opprimat praejudiciis. Nos certe, quando expendimus, quam graviter quondam Seneca, quam accurate Epictetus, quam subtiliter Plato de Deo rebusque divinis, de virtutibus scripserint egerintque: a nostro animo impetrare non possumus, ut ullis nostrae aetatis philosophis vel aequas vel priores partes hoc in rerum genere deferamus. Quicquid tamen sit de totius hujus quaestionis curiositate, tolerari ista posset, si, ut in doctrina rudem, ita et in simplici et emendato more optimam vetustatem

---

*) Prodiit, praes. J. M. Sonntag, Altorfi 1707. 4.

superaturi, operam daremus, ne cum tot vitiis ingravesceret Horatii (III, 6.) querela:

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox datura
Progeniem vitiosiorem.

In quod si factitare inducemus animum, inter alia animum nostrum intendamus oportet ad primos Christianos, quae vita, qui mores, quae ceremoniae eorundem fuerint, quae tanquam jam piorum jam infirmorum exemplorum documenta, in illustri monumento posita intuitus, inde, quod tibi tuisque rebus, quod imitere, capias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. Ceterum ut ad illustre hoc negotium et nos aliquid conferremus, elegimus nobis considerandum ritum quendam, qui olim erat familiarissimus Christianis precantibus, dum nimirum in suae orationis fine subsiliebant et in gaudii signum corpus elevabant. Elegimus autem hujus moris contemplationem ideo maxime, ut, dum totus mundus coacescit et omnium scelerum, quae in praecipiti sunt, moles ultima minatur, in exemplum piorum veterum eamus calamitatesque, quae nostra tempora exulcerant, si non amoliamur, ad minimum tamen leniamus.

§. 2. De hoc autem ritu exultationis in fine precum, de quo alias paucissima nobis supersunt testimonia, loquitur Clemens Alex. Stromat. p. 722. ex ed. Sylb.: *Ταύτῃ καὶ προσανατείνομεν τὴν κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴρομεν, τούς τε πόδας ἐπεγείρομεν κατὰ τὴν τελευταίαν τῆς εὐχῆς συνεκφώνησιν, ἐπακολουθοῦντες τῇ προθυμίᾳ τοῦ πνεύματος εἰς τὴν νοητὴν οὐσίαν καὶ συναφιστάνειν τῷ λόγῳ τὸ σῶμα τῆς γῆς πειρώμενοι, μετάρσιον ποιησάμενοι τὴν ψυχὴν ἐπτερωμένην τῷ πόθῳ τῶν κρειττόνων, ἐπὶ τὰ ἅγια χωρεῖν βιαζόμεθα, τοῦ δεσμοῦ καταμεγαλοφρονοῦντες τοῦ σαρκικοῦ. Ἴσμεν γὰρ εὖ μάλα, τὸν γνωστικὸν τὴν ὑπέρβασιν παντὸς τοῦ κόσμου, ὥσπερ ἀμέλει τῆς Αἰγύπτου οἱ Ἰουδαῖοι, ἑκουσίως ποιούμενον, ἐνδεικνύμενον ἐναργῶς παντὸς μᾶλλον, ὡς ὅτι μάλιστα σύνεγγυς ἔσοιτο τοῦ Θεοῦ.*

§. 3. Haec ut eo melius intelligamus, sciendum, Clementum Gnosticum non eum hic describere, quem modo propter falso sibi vindicatam appellationem, modo propter innumeras et sordidissimas haereses tota execratur antiquitas; sed eum, qui vere pieque Deum per Christum cognoscit, h. e. verum Christianum. Quamvis si rigidius patrem hunc tractes, non immerito videri possit magis suum Gnosticum ad Platonicae et Stoicae philosophiae, quam scripturae adstrinxisse vincula. Ex ipsius enim sententia tres sunt gradus, per quos verus Gnosticus assurgat; primus quidem doctrina cum timore, qui corpus adhuc attingat; secundus autem spes, per quam desideremus, quae sunt optima; tertius caritas, quae doceat per viam cognitionis. Strom. 4. p. 495.

§. 4. Cum itaque ex Clementis nostri relatione acceperimus, subsiluisse ad finem precum veteres Christianos, recte omnino moris hujus intuebimur originem. Neque enim Christianos veteres cum suis ritibus

debemus adspicere, tanquam bruta simulacra, quae sua fortuito, cogente necessitate, sine causa agunt; sed firmiter credamus, esse hos ritus corticem, qui locupletem frugem ardentis pietatis obsepiat. Duplex autem est fons, ex quo hic mos dimanasse videtur, alter quidem generalior, alter propior et specialior. Prima eaque origo remotior erat, quod jam ad exemplum Apostolorum, imo omnium sanctorum, primi Christiani orantes corpus ad certos gestus flexerint. Nam uti terra internis impulsa Flatibus movetur omnino, ita et corpora piorum, si tota ipsorum anima spirat quasi et liquescit precibus, saepius in externos motus quosdam formantur, cum et haec sint Spiritus S. habitacula. Sic Apostoli bulliebant velut in gaudio corporaque commota testabantur de firma mentis tranquillitate, adeo, ut ex nimio motu quasi flammulae quaedam jam ex ore, jam ex capite emanarent et ipsi hanc ob causam aliis, haec non intelligentibus, viderentur ebrii. Et cum iidem sancti viri precibus suis totam domum, in qua habitabant, postea commoverint, facile poterat contingere, ut ipsa etiam animarum habitacula concitata fuerint.

§. 5. Haec postea sunt imitati Christiani veteres illisque et aliis, quae temporum vetustate aboleverunt, plura alia addiderunt, non eo quidem consilio, ut omnes preces in externum semper morem exprimerent, sed ut Deum coram hominibus colerent et aliorum pietatem acuerent. Inde nata est conversio precantium ad orientem, de qua ut multa facilia relatu historiarum memoria subjicit, ita ceteris missis Clementem nostrum allegabimus, qui in citato Strom. 7, p. 724. ita disserit: *Ἐπεὶ γενεθλίου ἡμέρας εἰκὼν ἡ ἀνατολή, κἀκεῖθεν τὸ φῶς αὔξεται ἐκ σκότους λάμψαν τὸ πρῶτον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐν ἀγνοίᾳ κυλινδουμένοις ἀνέτειλε γνώσεως ἀληθείας ἡμέρα κατὰ λόγον τοῦ ἡλίου. Πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαί. Ὅθεν καὶ τὰ παλαίτατα τῶν ἱερῶν πρὸς δύσιν ἔβλεπεν, ἵνα οἱ ἀπαντὶ πρόσωπον τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι, πρὸς ἀνατολὴν τρέπεθαι διδάσκωνται.*

§. 6. Inde factum est, ut omnibus externis membris orantium certi cujusdam gestus character impressus fuerit. Oculos certe jam cum Davide extollebant ad montes, unde profecturum erat auxilium, jam deprimebant, ne corpus mortale mentem πολυφρόντιδα plane opprimeret et meditationes conceptas externae species dissiparent. Infundebant etiam suis precibus lacrymas, incitatissimi ardoris non minus, quam humilitatis verae obsides. Ducebant inde originem suspiria, quibus preces suas alebant et cor ob peccata triste et contritum testabantur. Et ne quaedam pars vacaret, caput inclinarunt et totum tandem corpus incurvarunt, ut debitam, quam possent, Deo reverentiam exsolverent. Stabant etiam precantes, praesertim a tempore paschatos usque ad pentecostem, ostensuri, tum intentum animum ad preces, tum imaginem futurae gloriosae suae resurrectionis, cujus spem beatam tota scriptura adfirmat.

§. 7. Adhuc genua etiam flectebant, exscribentes hoc modo morem apostoli Pauli inprimis, qui saepius in sacris literis orans genua posuisse dicitur. Fecerunt autem hoc non solum in obedientiae signum, sed etiam, ut miserum lapsum nostrum in paradiso haberent in memoria

et simul Christo agerent gratias, quod tanquam summus Deus eo humilitatis processerit, ut humanam nostram naturam assumeret. Corpora denique tota effuderunt et prostraverunt in terram, fragilitatis suae, uti Abrahamus, memores, cum quo fatentur se coram Deo pulverem et umbram esse. Accreverunt his alii mores precandi, qui tamen, quoniam sub Antichristo, ephebos jam excedente et pietatis fervore in externam hypocriseos pompam degenerante, nati sunt, nos non adeo morabuntur.

§. 8. Quandoquidem ergo tot externos ritus precaturi veteres assumpserint, nullum est dubium, quin morem hunc exultandi servarint in majorem et ardentiorem precum excitandarum impetum. Nam cum usu eveniat plerumque, ut in precibus desideria per externa signa prodamus, ideo rectissime pia invenit antiquitas ejusmodi externos in orationibus ritus, tanquam materiam magnificandi Dei, uti Apostolus monet, et in spiritu et in corpore. Scilicet hic obtinet Graecorum dictum: *τρόπος ἔσθ᾽ ὁ πείθων, οὐ λέγοντος λόγος.* Haec tamen omnia non eo interpretanda iterum volumus, quasi preces, quae nullos gestus habent comites, sint steriles et frustraneae, sed lubentissimo potius suffragio imus in sententiam Clementis nostri, qui l. l. p. 724. ita disserit: *Εἰ ἡ φωνὴ καὶ ἡ λέξις τῆς νοήσεως χάριν δέδοται ἡμῖν, πῶς οὐχὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ νοῦ ἐπακούει ὁ Θεός· ὅπου γε ἤδη ψυχῆς ψυχὴ καὶ νοῦς νοὸς ἐπαΐει. Ὅθεν τὰς πολυφώνους γλώσσας οὐκ ἀναμένει ὁ Θεός, καθάπερ οἱ παρὰ ἀνθρώπων ἑρμηνεῖς. Ἀλλ᾽ ἁπαξαπλῶς ἁπάντων γνωρίζει τὰς νοήσεις. Καὶ ὅπερ ἡμῖν ἡ φωνὴ σημαίνει, τοῦτο τῷ Θεῷ ἡ ἔννοια ἡμῶν λαλεῖ, ἣν καὶ πρὸ τῆς δημιουργίας εἰς νόησιν ἥξουσαν ἠπίστατο. Ἔξεστιν οὖν μηδὲ φωνῇ εὐχὴν παραπέμπειν, συντείνοντα μόνον ἔνδοθεν τὸ πνευματικὸν πᾶν εἰς φωνὴν τὴν νοητὴν, κατὰ τὴν ἀπερίσπαστον πρὸς τὸν Θεὸν ἐπιστροφήν.*

§. 9. Origo haec generalior, quam hactenus consideravimus, justum porro in nobis accendit desiderium, ut pariter et propiorem expendamus paululum. *Joh. Henricus Ursinus in Analect. sac.* I, 38. *p.* 52. morem hunc exultandi a Judaeis in ecclesiam permanasse existimat. Moribus autem suis receptum habent pulcherrimum gentes recutitae, uti *Buxtorfius in Synagoga judaica sua* nos edocet 10. *p.* 207. subsultum in precibus. Habent precationem praecipue, ut putant, sanctam, שמנה עשרה vocatam, cujus originem referente laudato *Buxtorfio* Rabbi Bechai ad Synagogam Magnam retulit. Hanc orationem Judaei non solum stantes aequaliter extensis pedibus recitant; sed etiam in ejusdem quandam particula, quam קדושה appellant, cum verba illa proferunt: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Exercituum, gloria ejus plena est omnis terra,* ter in altum subsiliunt. Id quod faciunt, vel ut se aequent cum angelis prima vice hunc hymnum proferentibus, vel, quia a voce clamantium superliminaria commota sunt, multo potiori ratione hominem a sancto hoc angelorum hymno commoveri et subsilire debere.

§. 10. Exsiliunt porro Judaei per tres passus sub finem precum suarum matutinarum, ubi ad haec verba deveniunt: עושה שלום במרומיו עלינו ועל כל ישראל אמן *Qui superis dat pacen, nobis et toti Israël pacem*

dat. Ritum hunc adeo sanctum servant, ut si quis peregre profectus, equo vel asino per tres passus sit retrocedendum. Si conferto agmine verba haec recitent ac proinde retrocedere nequeant, ter subsiliunt, proin corpus inclinant, caput in sinistram, mox in dextram reflectunt, ita designantes, Deum ubique pacem praestare velle. Si cui forte obvius hic fiat Christianus, vel cum crucifixi imagine vel alio quolibet idolo, animo, non corpore fieri debet inclinatio, ne coram illa imagine se inclinare eique honorem hunc deferre videantur. Tres illi passus retrogradi honoris causa fiunt. Si quis enim a magnate aliquo digrediatur, per passus aliquod retroagitur, manuum osculo et corporis inclinatione illi valedicit et debitum habet honorem. Ita etiam Judaei Deo valedicturi retrocedunt et illum coram salutant, ne Deus dicat: Populus meus, longa prece defatigatus, dorsum mihi obvertit. Exscripsimus hanc paragraphum ex ipso Buxtorfio, ut et cetera, quae ad Judaeos attinent. Laudatus vero auctor citat etiam quosdam Rabbinos, qui opinentur, ritum hunc subsiliendi in vestigio cujusdam miraculi esse positum. Cum enim ad montem Sinai populus Israëliticus staret omniaque tonitru, igne et nebula miscerentur, illum, panico plane terrore perculsum, per tria millia in puncto temporis a monte retrocessisse.

§. 11. Utrum ergo, ut laudatus Ursinus opinatur, hic ritus Judaeorum exultationi christianae sub fine precum semina tulerit, nos quidem vehementer dubitamus. Primo enim summa et rabiosa ista superstitio, quae similitudinem cultus judaici traxerat, Christianos veteres adeo in odium justum tradidit, ut istos cum ceteris umbris non solum non assumpserint, sed et eorum cogitatione cohorruerint maxime. Deinde, quoniam nascentis christianismi primordia ea praesertim praejudicata turbabat opinio, ritus judaicae religionis salva divina veritate exolescere non posse, sed in cultus christiani corpus assumi iterum oportere: idcirco data opera ad evitandam offensionem rigidioris ejusmodi gestus gentis recutitae declinabant in suis sacris, velut hortulani, qui arbores, justam formam assecuturas, inflectunt vehementius. Quin vel adeo verterunt in contrarium, ut maluerint gentium more ad orientem, quam sicut Judaei ad occidentem precari. Tandem vero hae exultationes ex altiori et latiori videntur effluxisse principio, quam ut earum origo in angustis terminis imitationis judaicae includatur.

§. 12. Nos itaque, si quicquam poterimus dicere, dicimus ritum hujus exultationis ex interno gaudio et plerophoria fidei existere. Solet enim saepius mens precantium, quasi jam compos voti, in fiduciam plane ingentem crescere, et, ubi ante omnia prospera desperaverat, jam nihil desperare. Tunc enim cum Davide sperat in Deum, quod tam benignus sit corque exultat, quod tam prompto animo suos adjuvare soleat. Et huc spectat iterum regius psaltes, confessus, se orantem demum deprehendere, Deum etiam suum Deum esse, non eo quidem sensu, quasi antea Deo diffidat, sed quod inter precum fusionem entelechia laetissima moerentem squalidumque suum animum animet atque in tantam spem excitet, quanta ferendo sit Ixioneas etiam calamitates.

§. 13. Atque hos motus hancque fiduciam, quae nescio, quo certo augurio praesentis lamentationis eventum informat felicissimum, merito referimus ad motus heroicos, quos Deus piis Christianis subinde reliquit in solatium hodierno quoque tempore, ne a fuste in carnem dato obruantur plane et obstupescant. Radix autem certitudinis hujus heroicae inter precandum ortum suum ducere videtur ab illis, quos Spiritus S. in nobis excitat, gemitibus inenarrabilibus, qui licet ad omnes Christianos se porrigant, interdum tamen apud quosdam in gradus majores, quam alibi, adolescunt. Habemus in sacris heroicae hujus certitudinis exemplum in Jeremia, qui precatus Deum ut calamitosam suarum rerum statum haberet in memoria, in tantam animi evadit praesentiam, ut dicat: Tu vero, o Deus, recordaberis, cum mens mea hoc mihi praesagiat. In historia communi laudandus nobis est Lutherus noster aureus, qui per preces suas adeo firmatus erat, ut satis sciret, dum viveret, nullum bellum esse oriturum adversus puram doctrinam. Sic porro ab aliis de Chamiero refertur, quod cum urbs, ubi erat, in persecutione gallica obsideretur, in longa aliquando concione, qua suos auditores tum solatus fuerit, propter tot mala, quae verae doctrinae causa exhaurirent, tam inflammarit ad disturbanda indefessa fortitudine Pontificiorum sanguinolenta consilia, dixerit tandem plus vice simplici: Hostes hac vice urbem non ingredientur. Respondit dictis eventus obsidioque irrita soluta est, quamvis ipse dictus Theologus, e muris pugnans, periculo, in quod se sponte sua e nimio fervore accinxerat, occubuerit.

§. 14. In psalmis, v. g. in decimo tertio et decimo octavo alibique, plura ejusmodi specimina habemus Davidica, quae tamen nemo melius intelligit, nisi ille, qui in crucis schola tirocinia deposuit Davidica. Quod si quis hic disputet, certitudini huic de eventu prospero in rebus maxime corporalibus inter precandum non satis convenire cum suffragio sacrarum literarum, utpote quae doceant, preces nostras pro rebus temporalibus ad conditionem voluntatis divinae, quam tamen per tumultus carnis nostrae non semper possumus agnoscere, esse adstrictam debere: tunc nihil tam facile quam hoc expedire poterimus. Primo enim hanc ipsam ob causam vocantur hi motus motus heroici, quia a communis regulae abscedunt linea, ut ideo non sint metiendi ad conditionem cursus soliti. Deinde vero, quia hic aliquid amplius et sublimius est, quam in communi ordine; idcirco ipsa certitudo in eo ut plurimum consistit, ut noris, ea, quae orantur, congrue ad Dei desiderium ideoque eventum esse certissimum. Interim vero sicut Deus non numen est Parcarum, ut stoicus Deus, clausum carcere, ita etiam non facile patitur, ut ad certa loca et tempora ipsius terminemus auxilium. Secus si fit, certo sciamus, nostram firmissimam persuasionem vanissimum somnium esse.

§. 15. Credimus ergo, pios hos motus maxime esse causam exultationis hujus apud veteres Christianos, utpote quibus hic fructus στεναγμῶν ἀλαλήτων, quos Spiritus S. in nobis suscitat, saepius procul dubio contingebant, quam hodie, ubi atheismi malum tam frequens est. Nec fecerunt hoc porro sine mandato, cum Christus ipse jusserit in soli-

dissimi gaudii signum exultare. Exultarunt itaque Christiani sub finem precum ideo maxime, ut ostenderent, quantos animos quantamque fiduciam ex misericordia divina sumerent, quae ipsis certo, quae oraverint, sit concessura. Est enim alias signum proprii gaudii, si subsilimus, uti Catullus testatur, qui in epigr. 48. ita dicit:

Otium, Catulle, tibi molestum est,
otio exultas nimiumque gestis.

Nimirum quemadmodum *exultant aestu latices*, ita et conceptus quidam mentis nostrae, veluti partus in muliere, quod sponte nascantur, non possunt comprimi; sed si tenes, effluunt, si cogis, erumpunt. Elevatio ergo corporis oritur cum gaudio apud omnes fere homines, adeo, ut apud ethnicos quoque obtinuerit. Sacerdotes Cybeles si laetabantur ob servatum Jovem, ita laetabantur, uti *Callimachus* in Hymno Jovis testatur, dum ita ait:

Οὖλα δὲ Κουρῆτές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
Τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν
Ἀσπίδος εἰσαΐοι καὶ μή σεο κουρίζοντος.

Accedit, quod ipsa haec exultatio bonum signum fuerit, cum alias saltus membrorum et corporis in felix omen acceptus sit. Unde Juvenalis, satyr. VII.

Laeva in parte mamillae
Nil salit Arcadio juveni.

Et Theocritus Idyll. III.

Ἄλλεται ὀφθαλμός μοι δεξιός.

Et apud Romanos elevatio externi corporis, erat illorum signum, qui plausum dabant. Unde illud *Varronis* in *γνῶθι σεαυτόν*: *Non subsilies et plaudes et ab Arato posces Astricam coronam.* Sic testatur etiam *Suetonius* in *Augusto*, quod, cum hoc spectante ludos dictum esset: *Dominum aequum et bonum omnes, quasi de ipso dictum, exultantes comprobasse.*

§. 16. Haec omnia eo facilius ut credamus, adducimur, si porro expendimus, esse quasi augurium et suffragium omnium gentium, ut post peractas suarum orationum formulas laetitiam quandam profiteantur. Videtur huc psaltes respexisse, si Deum ita alloquitur: Exaudis precationem; ideo omnis caro ad te accedit. Nullus enim populus tam ferus et barbarus unquam exstitit, quin ad Deum, utut falsa plerumque sub specie, preces funderet. Namque cum vita humana varias periculi procellas, a quibus desiderium auxilii divini commovetur, sustineat, ipsum vero lumen naturae ex attributis divinis misericordiam etiam exponat, idcirco ex Homeri verbo, Iliad. XXIV, 301.

Ἐσθλὸν γὰρ δὴ χεῖρας ἀνασχέμεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ.

Consonant his, quae Euripides per chorum ad *Electram* dicit:

Δοκεῖς τοῖς σοῖσι δακρύοις
μὴ τιμῶσα θεοὺς κρατήσειν

Ἐχθρῶν; οὔτι στοναχαῖς
Ἀλλ' εὐχαῖς θεοὺς σεβίζουσ'
ἕξεις εὐαμερίαν, ὦ παῖ.

§. 17. Plato in Alcibiade II varia nec poenitenda praescripsit monita, quomodo ad Deum precari conveniat. Vult autem, uti Ficinus ad ipsum praefatur, ut universalis precatio, qua bonum solummodo petitur, semper fiat; propria vero, qua certum aliquid, quod bonum videtur, optatur, tunc peragatur, cum quid poscendum est quis noverit. Tunc id noscet, cum quod bonum, quod malum est intellexerit, id intelliget, cum a mente didicerit, discet, cum se ad illam converterit; convertet, cum purgaverit animum tenebrasque expulerit; purgabit, cum se legitimae philosophiae dediderit; tradet, cum suam ignorantiam recognoverit. Imo hanc ob causam aureum dictum *γνῶθι σεαυτὸν* Apollinis templo inscriptum fuerat, ne quis, temere oraturus, Dei tentaret patientiam. Confirmat dicta *Euripides* in *Ione* sequentibus:

Τῷ γὰρ Θεῷ τἀναντί' οὐ μαντευτέον.
Εἰς γὰρ τοσοῦτον ἀμαθίας ἔλθοιμεν ἄν,
Εἰ τοὺς Θεοὺς ἄκοντας ἐκπονήσομεν
Φράζειν, ἃ μὴ θέλουσιν, ἢ προβωμίοις
Σφαγαῖσι μήλων, ἢ δι' οἰωνῶν πτεροῖς.
Ἂν γὰρ βίᾳ σπεύδωμεν ἀκόντων Θεῶν,
Ἄκοντα κεκτήμεσθα τἀγάθ', ὦ γύναι·
Ἃ δ' ἂν διδῶσ' ἑκόντες, ὠφελούμεθα.

§. 18. Assecla Platonis Porphyrius egregie etiam in doctrinam de precibus disputat apud Ficinum in *Compendio Timaei cap.* 6. allegatus: Dicit enim, quod, cum Deus nobis provideat ac res nostrae possint aliter se habere, certe pro rerum nostrarum usu utiliter adoremus, videlicet si boni sumus. Sic enim, utpote similes facti Deo, propius conjungemur. In qua quidem conjunctione adorationis vis tota consistit. Nempe cum Dei filii simus, sed ab eo quasi in exilio et carcere segregati, suppliciter adorare decet, quo hinc liberati revertamur ad patrem. Alioquin similes eorum erimus, qui parentum patrocinio sunt orbati. Profecto cum universi partes simus, universo procul dubio indigemus. Ipsa enim ad totum conversio partibus salutem praestat. Sive igitur virtutem sectaris, adorandus est tibi, qui totam virtutem continet, quia ipsum amare bonum causa erit et tibi ejus, quod tibi expedit boni; sive corporeum optas bonum, extat in universo virtus omnia continens corpora. Inde igitur provenire necesse est partibus quibuscunque salutem. Compertum vero habemus, excellentissimos quosque apud omnes gentes sapientia viros divinis potissimum votis incubuisse, praecipue Indorum Brachmanas, Persarum Magos, Graecorum Theologos, Chaldaeos autem et aliud quiddam adoravisse. Ipsam enim superorum virtutem appellantes Deum, uno hoc nomine venerati sunt.

§. 19. Ita speciose de prece disseruit Porphyrius, quem accurate secutus est, tanquam praeceptorem Jamblichus, qui non solum teste Eu-

napio *de Vit. Phil.* inter precandum sublatus fuit nonnunquam, πλέον ἢ δέκα πήχεις, plus quam decem cubitus, sed apud allegatum Ficinum dicit etiam, quod ipsa divina unio nos ad vota rapiat. Quod si enim natura, ex Deo manans, quasdam rebus quibusdam convenientes cum superis proprietates inseruit, per quas quodammodo ad superos sese vertant, ceu ad solem solaria, ad lunam vero lunaria, multo magis animarum pater rapientes ad se vires eis impressit. Ipsam vero nostram in Deum restitutionem adoratio supplex hinc orta absolute consummat, divinam in nos beneficentiam naturali trahens congruitate, copulans adoratores cum adorato, coaptans superorum intelligentiae voventium preces, movens voluntatem eorum, qui bona in se omnia complectuntur, ad bona nobis ad votum impertienda, divinae persuasionis effectrix, nostra omnia stabiliens in Superorum firmitate. Haec ubi ita disseruit, pergit ad requisita orationis verae, quinque praesertim. Primum est notio ejus, quod adorandum est et quomodo sit colendum; secundum assimilatio quaedam vitae nostrae ad divinam vitam, puritate, castitate, sanctimonia, disciplina, ordine proficiscens, divinam captans benevolentiam et animas divinae largitioni subjiciens. Tertium est contactus aliquis, per quem essentiam divinam fere jam attigimus et in ipsam summitate quadam animae vergimus. Quartum ingressio quaedam in luminis divini vestibulum. Quintum denique unio, unitatem animae propriam divinae unitati insinuans, unam eandemque actionem Dei ut animae conflans, adeo, ut nec ultra nostri juris, sed Dei simus, splendore obruti divino. Finis ergo supremus adorationis hujus nunquam intermittendae est, ut conversionem animae ad Deum reddat perpetuam et quicquid a divina unitate processit, eidem restituat. Sola igitur adoratio animas aeternae reddit patriae, sola sanctimonia est plena virtus, solus vir bonus ad Deum fideliter et decenter precatur. Arceantur hic impii, solis puris et piis admissis, qui adducunt tres comites praecipue, fidem, veritatem, et caritatem, quibus stipati spem firmam bonorum concipiant atque extra cetera seque ipsos positi divinae se ipsos luci prorsus immergant. Frustra enim Deum quaeritat, qui non adhibet se solum soli immobilemque stabili et simplicem simplicissimo. Quemadmodum enim non possumus enti per non ens conjungi, sic neque mutati per multitudinem et stabilitati per modum et simplicitati per mixtionem, sed relabimur in oppositum.

§. 20. Missis autem his e diverticulo in viam redituri, consideremus necesse est, quomodo hic mos innocens non minus quam laudabilis adeo vetustate aboleverit, ut nec vestigium ejus amplius supersit hodie. Conjecturis saltem rem peragere cogimur, quod pia antiquitas causam, vel, quod nos quidem sciamus, hujus rei omiserit et siluerit, vel ita tetigerit, ut non facile intelligas, quid in alterutram sententiam sit statuendum. Nos primam causam, ob quam extabescere et deleri haec consuetudo coeperit, ingravescenti moli impietatis adscribimus, quippe quae quo latius occupavit inter homines spatium, eo majus frigus religionis induxit, adeo, ut jam puderet plurimos externorum horum motuum, qui pios animi motus exprimerent, eam maxime ob causam, quod simulatam

saltem pietatem significare videbantur. Potissima tamen ratio, cur ritum hunc subsiliendi in fine precum exolescere sinerent, ea fuisse videtur, quod pii Christiani viderent, hanc sui gaudii ardentiorisque zeli eruptionem ab aliis in falsum imitamen accipi. De Meletianis ex Petrei Catalogo Haereticorum Stockmannus refert, quod pulsando tintinnabula canendo, saltando Deum placare se posse putaverint. Sed cum Epiphanius, haereticae et schismaticae impietatis censor alias acerrimus, nihil de hac re refert, vix hactenus a nobis impetrare potuimus, ut pleni nostri suffragii, si quod quidem habemus, calculum his assertis adscriberemus.

§. 21. Quamvis enim, si stemus Baronii et Petavii judicio in Historia Meletianorum, Epiphanio parum fidei habendum sit, quod in scriptorem aliquem Meletio faventem inciderit, qui falsa hominis acta scribendo turpissimam infamiam et exsecrabilia facta dissimularit: nihilominus tamen, si haec vera essent, contra communem antiquitatis consensum Meletius non schismaticis, sed haereticis adscribendus foret. Non itaque Meletiani, sed aliae sectae jam dudum ante gentium ridicula sacra animos Christianorum videntur induxisse, ut usum huic abrogarent ritui. Nempe gentes olim non infimam sacrorum suorum partem choreas esse voluerunt, quippe Plato de legg. 2, 6. testatur, singulis Diis choreas olim consecratas fuisse. Ipsa Bacchi sacra cum tripudiis agebantur, unde non solum hic Lycophroni audit *δαίμων ἐνόρχης, φιγαλεὺς φαυστήριος*, sed et ipsius sacerdotes plerumque erant feminae, jam ab insania Maenades, ab impetu et furore Thyades, a morum pravitate Bacchae appellatae. Ne itaque impiarum gentium sacra plene omnia; neque enim de quibusdam ritibus loquimur, in penetralia christianismi transferre viderentur et ita occasionem cavillandi ethnicis subministrarent, omiserunt fortassis has commotiones corporis in fine precum pendentes oratores.

§. 22. Veteres sane quidam haeretici, uti christianismi et gentilismi dogmata miscebant, ita hujus ritus sacra saepissime sumebant mutuo. Gnostici, uti Epiphanius de ipsis refert, Haeres. 26. uxorum communione, impudica earundem contrectatione, commessatione larga, saltatione atque inde furiosa et monstrosa venere tanquam religionis suae symbolis utebantur. Alii, quos Evchetas appellarunt, vitaturi haec vitia, currebant in contraria, dum nimio, hoc est, vitioso orandi studio in furorem agebantur et ea absurda, quae nemo vel piorum vel sapientum vidisset per somnia. Etenim si Theodoreto fides *Haeret. fabul.* l. IV. et Augustino ad *Quod vult Deum* c. 57. statuebant, Deum corporeum esse, quem in triplici persona suis praesentem precibus usurparent oculis, seque Spiritus S. adventum sensu percipere sub visibilis ignis specie, quemadmodum egressam impietatis sub suis cum porcellis exeuntis figura. Horum itaque occasione, si Hildebrandum de Precc. Christ. exaudias, subsultus precantium sub finem cito in abusum transiisse videtur, dum inter alios fanaticos orandi mores mire pedibus saltaverint, persuasi se eo gestu Satanam sub pedibus conterere et daemonibus insultare. Hinc inde cum aliis ipsis haec etiam nomina, quibus Psallia-

mistae, Carchitae, Choreutae vocarentur, veluti haec pluribus historia ecclesiastica prodidit memoriae.

§. 23. Nos, qui haec omnia nec affirmare facile, nec negare audemus, merito sub finem jam paucis de saltationibus hodiernis agemus. Etenim cum in V. T. nobis saltationum exempla proponantur, porro quia Christiani jam, ut audivimus, in fine precum, prae gaudio in paschatos festo saltare non dubitaverint: merito quaeras, an hodiernae saltationes plane ab impietatis paxillo suspendendae sint. Nos quamvis simpliciter ipsas saltationes non damnemus, partim quod piorum exemplo muniantur, partim vero quod ipsarum natura utriusque moralitatis, ut loquuntur, capax sit: nihilominus tamen, si hodierni temporis injuriam et lascivientis seculi praesentis indolem respicimus, in istorum rapimur sententiam, qui existimant, fore, ut de exercitio in virtutibus et progressu in severiore vita praeclarius agatur, si nimiae istae et theatrales plerumque saltationes omittantur. Juventutem quidem si non decent, licebunt saltem isti indecora quaedam et confusa, quae tamen si emolliri et excusari velint, ex aetatis vitio et praecipitanti ardoris exaestuantis impetu nata sint necesse est, non ex quaesita occasione, jam tot laboribus, jam tot impensis, ut in saltationibus fieri solet. Moralistae disputaturi de his postulant ad licitam saltationem tempus debitum, honestas personas, honestum modum, honestos cantus, locum commodum, intentionem vel non libidinosam vel non superbientem; quae omnia qui cum hodiernis, utut non omnibus, tamen plerisque choreis conabitur conciliare, sine dubio cum recta ratione insaniet. Sed quicquid hujus sit, illum tandem vere sapientem non minus quam felicem praedicamus, qui aequam tum in arduis tum in laetis rebus mentem servare novit indiesque aurea illa Ecclesiastae perdiscit magis initia: vanitas vanitatum et omnia vanitas.

XXVI.

Joh. Christoph Wichmannshausen de lotione manuum *).

§. 1. Manuum lotionem divino instituto declarandae innocentiae signum fuisse, ex Deut. 21, 6—7, liquet, quippe ubi magistratus civitatum, in quarum agris caedes esset perpetrata, dum auctor caedis ignoraretur, ad piacularem victimam lavare manus eoque ritu se puros esse a scelere isthoc testari jubentur. Quod autem usu venire nunquam non solet, ut, etiam qui divinae sunt auctoritatis ritus, veteratoria simulatorum nequitia ad tegenda et dissimulanda flagitia traducantur, idem lotioni manuum accidisse comperimus, quando in ea munditiem animi externam hypocritae quaesiverunt. A quorum grege, ut quam longissime se abesse Davides, vir divini Spiritus, ostenderet, ubi vitae sancte et innocenter actae testimonium dicere voluit, non tantum se manus lavare vel etiam lavare posse, sed etiam id se facturum *in innocentia* seu *per* ac *propter innocentiam*, vel si mavis, *innocentiae caussa* esse asseverat. Ita sane Ps. 73, 13; coll. 26, 6. Quibus locis cum haud obscure Davides ad ritum illum, divino monitu sancitum, respicit, tum optime se illo usum esse affirmat, quando manus ab omni scelerum contagio puras servarit et si qua forsan macula infectus praeter voluntatem fuisset, eam tempestive ac rite eluerit. Nec vero negare ausim, ad sollennem lotionis ritum, quo sacerdotes ex lege tenebantur, simul digitum a Davide intendi, praesertim cum altaris circumeundi mentio iniecta deprehendatur. Non enim licebat sacerdotibus, nisi lotis manibus pedibusque accedere ad altare. Quorsum spectant verba in Talmud *Cod. Ioma. III.* §. 3. אין אדם נכנס לעזרה לעבודה אפ׳ טהור עד שיטבול חמש טבילות ועשרה קדושין טובל כהן גדול ומקדש בו ביום: *Nemo atrium intrabat ad ministerium obeundum, licet etiam mundus esset, priusquam lavasset. Sacerdos autem magnus quinquies in eo lavabat, et decies* (manus et pedes) *in die expiationis sanctificabat.* Quae sane, si cum Ex. 30, 19—20; 40, 32. componantur, haud praeter rem dicta esse videantur. His autem significantius dictu est, quod Job. 9, 30. ex eodem ritu, de sanctitatis suae coram Deo vanitate dixit. *Aquis* autem *niveis se lavare* idem est, quod *reddere* se *purissimum ac*

*) Prodiit Viteb. 1716. 4.

nitidissimum, non quod *aquae nivis*, ut volunt quidam, praeter ceteras aquas, insignem *δύναμιν ῥυπτικὴν* habeant, sed quod *aquae nivis*, per metonymiam effecti, Hebraeis usitatissimam, aquae sunt, quae hominem nivis instar mundum ac nitidum reddunt. Mundare autem manus aqua fontanea seu viva, quid aliud est, quam ultimam velut lineam munditiei adhibere et se conquisitis undique sive coloribus sive argumentis quam innocentissimum venditare? Vere igitur, quod Philo de *vita Mos.* 3. ait: *λουτὴρ σύμβολον ἀνυπαιτίου ζωῆς.*

§. 2. Et vero haec ipsa causa fuit, ob quam sacerdotibus, quos exemplum esse sanctimoniae morum decebat, lotionis frequentioris observatio tam sedulo iniuncta est. Id quidem recte constat, sacerdotes hebraeos nudis pedibus sacra obiisse, cum nulla prorsus calceorum aut tibialium mentio in vestium sacerdotalium enumeratione injiciatur. Facile igitur pulvere ita inquinari pedes poterant, ut accessuris ad sacrorum ministeria opus lavacro esset. At non haec lotio ideo a Deo praecepta erat, quod pulvis ei aut sordes externae corporum omnino essent fastidio, aut quod piaculo res per se digna ipsi videretur, pedibus pulvere vel sanguine victimarum foedatis exire sacrario et induere soleas, sed ut frequenti horum membrorum lotione sordium animi eluendarum admonerentur. Ea sane certa mentique divinae consentanea illius ritus expositio est, qui sacerdotibus et ingressuris templum et egressuris manus pedesque lavandi negotium facessit. Eodem consilio certum ac singulare genus aquae expiatoriae ritu mosaico consecrabatur, quod immundis corporisque aliquo vitio laborantibus inspergi solebat, ut signum esset restitutae munditiei cum corporis tum animi.

§. 3. Nec sane ex instituto divino ulla Judaeorum lotio ea mente peragenda fuit, ut tolli ea sola omnes noxas posse quisque sibi persuaderet. Sive enim *lotionem pollutorum* sive *proselytorum* (quae duo velut summa *judaicae lotionis* sive *baptismi* genera fuerunt) consideremus, neutram tamen alio institutam primum consilio reperimus, quam ut externum internarum animi sordium signum esset ac velut publicum eius confessionis testimonium. Nam baptismus pollutorum cum ante esset instituendus quam sacrorum, quibus demum expiabantur, participes redderentur (Lev. 15, 16 ss.), non potuit esse nisi polluti peccatis et animi et corporis argumentum iustaque admonitio, ne quis contaminato animo et illotis, quod aiunt, manibus aggredi ad sacra auderet. Omnis namque eius ratio in balneis consistebat, quibus affinis erat manuum lotio, a Deo utraque idcirco praecepta, ut, cum aqua viva vel totum corpus vel aliquam eius partem abluerent, purgandi a criminibus animi commonefierent. Neque tamen non potest Pharisaeorum superstitio Christi aetate ita depravasse ritum isthunc, ut, cum essent eius observantissimi, omnem in istius celebratione sanctitatis fiduciam collocarent, Marc. 7, 2 ss. Baptismus autem proselytorum per quem alienigenae ad Judaeorum sacra et religionem initiabantur, vel ideo noxarum eluendarum praesens haberi medicina haud poterat, quia nec a Deo expresse ac definite praeceptus, nec promissionibus salutaribus firmatus erat, et tum demum solebat in-

stitui, cum praeputii amputatione facta in divinae foedus gratiae receptus homo esset et criminum ante commissorum, veniam iam impetrasset, publica sacrorum communione et usu tandem confirmandam. Signum itaque potius fuit ac velut publica declaratio acquisitae jam innocentiae ac civilis aliqua ad sacrorum cultum praeparatio.

§. 4. Exteris etiam gentibus in usu erat, manus lavare, antequam obirent sacra, ne Diis sacratas victimas immundis manibus contrectarent. Hinc illud Tibulli est eleg. 2, 1:

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Eam, quae ante sacrificium fiebat, lotionem Graeci vocabant χέρνιβα vel χέρνιμμα, quae vox *lotionem manuum*, vel ipsum etiam *vas*, *in quo quis lavat*, generatim indigitat. Atque huius ante sacra lotionis adprime observantes fuisse Graecos, praeter multa alia Homeri dicta, illud Il. 1, 449, loquitur:

χερνίψαντο δ' ἔπειτα, καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.

Ad quem quippe locum Eustathius animadvertit, antiqui moris esse, manus ante sacrificia lavare, adiecta caussa: δεῖ γὰρ καθαροὺς τῶν θείων γενέσθαι. Similo huic illud Homeri est Il. 3, 34.

Ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.

Quibus verbis addit Eustathius explicationis causa, ὡς μέλλουσι θύειν. Nimirum et Penelopen ante preces aqua se abluentem induxerat Homerus et de Telemacho, Palladem adoraturo, dixerat Od. 2, 260 sq.

Τηλέμαχος δ' ἀπάνευθεν ἰὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης
Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς εὔχετ' Ἀθήνῃ.

ut haberet omnino, cur haec assereret, Eustathius. Meminit praeterea *Thucydides* libr. 4. quarundam gentium, quae aquam tetigerint nunquam, nisi cum vellent lavare manus, ut ad sacrificia se rite praepararent. Illum igitur ritum opinio aliquando sacrosanctum apud Graecos fecerat, prorsus ut, qui scelere aliquo contaminati essent, a lavandique cerimonia arcerentur, id quod Demosthenes vocat χερνίβων εἴργεσθαι ideoque factum dicit, quod deceat sacrificaturos habere ὁσίας χεῖρας. Huc facit et illud Sophoclis in *Oed. Tyr.* v. 247 seq.:

μήτε θύμασι
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.

§. 5. Elucet inde, manuum lotionem etiam inter populos a Judaeorum ritibus alienos innocentiae symbolum in sacrificaturis extitisse. At eadem lavandi cerimonia sollenniter expiari posse, qui caede vel alio gravi scelere, se polluerant, vulgo persuasum erat. In eam rem Triclinius in Sophoclis *Ajace*: Ἔθος ἦν, inquit, τοῖς παλαιοῖς, ὅτε φόνον ἀνθρώπου ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. Pertinent huc illa Virgilii *Aen.* 9, 818:

Et laetum sociis abluta caede remisit.

Et 2, 717:

> *Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates:*
> *Me bello e tanto digressum et caede recenti*
> *Attrectare nefas, donec me flumine vivo*
> *Abluero.*

Ex quibus haud difficulter colligimus, stolidam dignamque adeo poëtarum risu et ludibrio opinionem olim plerorumque animis insedisse, aqua fluminea omnem peccatorum labem tolli posse. Cuius persuasionis futilitatem confutat Tertullianus inquiens: *Hae aquae cum divina auctoritate et promissis carerent atque extra Dei usurparentur foedus, inutiles ac viduae erant. Non enim maritae vel ulla Spiritus potentia foecundae erant nec omnino unda ista fuit genitalis.* Simplicior igitur et a tam nefandae opinionis labe purior fuit illa manuum lotio, quam iudices, reum criminis, ex legum sententia capitis damnaturi, publice suscipiebant, cum, manibus ad solem elevatis, clara voce profiterentur, *se ἀθώους ὑπάρχειν τοῦ αἵματος τοῦ ἀνθρώπου τούτου*, sicut traditur *Constitut. Apostol.* 2, 3.

§. 6. At non ea Pilato fuit lavandarum causa manuum Matth. 27, 24, cum, quem ipse tradebat in crucem agendum, non ex legum sententia damnatus esset. Insedebat potius eius animo prava isthaec quorundam Judaeorum, Graecorum et aliarum gentium opinatio, aqua non corporis solum, sed animi quoque sordes facile elui et ablutis manibus, hominem, *ἀθῶον καὶ καθαρὸν* praestari. Itaque quasi illud Hesiodi, *ἔργ. κ. ἡμ.* 738 seq. probe meditatus:

> *Ὃς ποταμὸν διαβῇ, κακότητι δὲ χεῖρας ἄνιπτος,*
> *Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, καὶ ἄλγεα δῶκαν ὀπίσσω*

cum sola aqua *ἀμιγής* ad manus esset, eam non alio sibi consilio porrigi jussit, quam ut deinceps *ἐναγής* esse desineret ac somnium uxoris simul procuraret. Illa enim postquam nunciari marito jusserat: *μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ. πολλὰ γὰρ ἔπαθον σήμερον κατ᾽ ὄναρ δι᾽ αὐτόν* Matth. 27, 19; Pilatus volebat quidem purus ab omni sceleris et culpae contagio videri, dum: *Ἀθῶος*, inquit, *εἰμὶ ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου τούτου*, (v. 24.) at ipsa de lotione ipsius adhibita vox *ἀπονίπτειν* mendacii eum et mentis male consciae coarguit. Nam ut apud *Veteres νίπτειν* vel *νίψασθαι* sigillatim de *lotione ante coenam* dicitur, *ἀπονίπτειν* contra vel *ἀπονίψασθαι* de *lotione post coenam*, ubi pollutae manus contactu esculentorum sunt: ita *ἀπονίπτειν* sacro ritu communiter significat eluere vel expiare commissa crimina, quorum conscius sibi sit necesse est, qui velit ab iis mundari.

§. 7. Ex Judaeorum autem an ex profanarum gentium consuetudine hanc manuum lotionem Pilatus hauserit, iam pridem disceptatum est inter eruditos. Origenes quidem, l. c. in *Matth.*, omnino negat, eiusmodi lotionem apud Romanos in usu fuisse. At falsum ipsum esse, tum ab aliis iam ostensum abunde est, tum ex iis patet, quae supra sunt ex-

posita. Quapropter, praeterquam quod de caprina lana litigant, idoneis argumentis destituuntur illi, qui Pilatum magistratuum Judaeorum ritum Deut. 21, 6—7, potius, quam patrias imitatum cerimonias in lavandis manibus esse, pertinacissime asserunt. Quid enim, si καθαρμοὶ et περιῤῥαντισμοὶ inter *Judaeos* etiam ideo suscepti fuerunt, ut admissa crimina hoc velut piaculo expiarentur? Num propterea Judaeos imitatus esse Pilatus censendus est, cum manuum lotione omnem animi noxam tolli posse somniavit? Aut cum innocentem se esse sanguinis praeter ius et aequum effundendi testatus est lotione illa, num propterea censendus est magistratuum Judaeorum ritum veterem studio consectari voluisse? Enimvero, cum similem in lotionibus consuetudinem foverent Romani, quidni eandem inde a parvulis inbibisse Pilatum potius putabimus, quam ab invisis suae genti sacris Judaeorum demum adscivisse? Non sane, quia illa Pilati actio simile quicquam ritus judaici habet, ideo cum isto erit eadem. Demus Aristeae, vetusto scriptori, interpretes sacri codicis graecos LXXII solitos fuisse lavare manus prius, quam ad opus faciendum se accingerent causamque quaerentibus subiecisse hanc, quam ipse his verbis prodidit: *διεσάφουν, ὅτι μαρτύριόν ἐστι τοῦ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν*. Quis autem colligere ausit ex eo firmiter, Pilatum id ipsum voluisse imitatione exprimere? Stramineum insuper fulcrum est, quo hanc causam fultam credunt, qui verba Pilati formulamque illam, declarandae innocentiae, ab ipsis transumtam Judaeis existimant propterea, quod in historia Susannae verba Danielis reperiantur, a Pilati verbis parum absona: Mundus ego sum a sanguine huius. Anne vero credibile est, hominem judaicis ritibus tanquam suae gentis ludo iocoque infensum tumultuosisque Judaeorum querelis ad dicendam sententiam, quam ipse iniquissimam esse noverat, vix et aegre adactum, Judaeorum quam patriis uti ritibus formulisque maluisse, cum tamen Caesaris auctoritate dominus Judaeis ac judex esset praefectus?

§. 8. Ferenda tamen fortassis isthaec esset opinio, cum sanae Christianorum Judaeorumve doctrinae nihil officiat. Illa vero J. Spenceri sententia explodenda omni studio est, cum de Legg. mov. 3, 3, p. 172 ss. adstruere non erubescit, ritum manus lavandi Hebraeos non a patribus suis divinoque aliquo instituto accepisse, sed ex gentium fictitiorum Deorum simulacra colentium moribus in rem publicam suam traduxisse. Quaeras, quibus id argumentis confirmare sategerit? Primum quidem sibi reperisse videtur, quod Jacobi familia (Gen. 35, 2) lavacro se ac vestes suas purgasse dicitur, cum perficienda sacra essent Bethele. Ex eo enim colligit nec inique sane aut insulse, lotiones eiusmodi iam ante Mosis tempora fuisse usitatas. Quid tum vero? Largimur enim id ultro ambabus, quod aiunt, manibus. Jacobus autem, cuius familia his velut lustricis lavacris usa est, nonne in atavis Judaeorum numerandus est? Ab eo si acceperunt Judaei ritum lavandi, num ab homine profano verique cultus divini ignaro acceperunt? At, inquit, quid ad ea respondebis, quae de Aegyptiis regibus Diodorus Siculus (*Bibl. hist. I*, p. 63), tradit, dum eos quoque usos ante lotionibus esse affirmat, quam iverint

sacrificatum? Hos quidem Mosis aetate antiquiores fuisse, communi historicorum consensu comprobatur. Nihil tamen evincit Spencerus. Concedamus enim, Mose illos fuisse priores, num ex ipso firmatum satis et ad liquidum perductum est, ipsis etiam patriarchis aut aequales aut eorum aevo priores fuisse reges Aegyptios, qui illo lotionum genere se expiarunt?

§. 9. Sed alia in promtu Spencero tela sunt, quibus nocere velit. Provocat ad Marci Marsilii, Natalis Comitis, Filesaci et aliorum, qui de Syris, Aegyptiis, Graecis et Romanis iam pridem isti Judaeorum lotioni consimiles ritus annotarunt. Inde pronum esse asserit, colligere, gentes istas, ingeniis quippe, linguis, moribus et terrarum spatiis multum inter se dissitas, in ritus huius communionem non alia de causa coiisse, quam quod eam a communi quodam parente ac gentium diversarum auctore derivatam in se accepissent. Qua quidem in disputatione, si dextre explicetur, nihil est, quod reprehendamus. Si enim communium parentum nomine antiquissimum quemque patriarcharum, Noachum puta aut Eberum et qui deinceps ex eius familia orti sunt cultumque Dei purum diu servarunt, intelligit, id sentit sane, quod nostrum nemo negare ausit, maxime cum usu temporum exploratum sit, posteros, ubi a majorum suorum sanctimonia insigniter degenerarunt, servasse tamen semper prisci quaedam ritus vestigia, spurcissimis licet corruptelis inquinata. At nunc quo pacto concludi ex eo possit, ritus Judaeorum a gentibus profanis traductos esse, ille viderit, qui Argo est oculatior.

§. 10. Maxime autem infirmum ac debile est, quod causae adhibet suae, firmamentum Spencerus, cum ex ritus huius simplicitate, quam temporum antiquiorum ruditati adprime consentaneam ac conformem putat, confici posse pronunciat, Judaeos non a patribus suis, sed ab externis populis illam lavandi cerimoniam esse mutuatos. Sordium enim ablutionem, qua ad aras accessuri consueverint uti, clarissime docere ait, ritus huius auctores aliquem quidem divinae sanctitatis, sed crassum admodum et languidum sensum habuisse. Dolemus igitur, non venisse Spencero in mentem recordari eius, quod, quo ritus sit simplicior, eo magis coelestem originem referre videatur. Deus enim cum purissimus ac simplicissimus, imo vero ipsa puritas sit, puro etiam ac simplici animo et ritu coli ab hominibus et suscipi voluit. Haec vero interna hominum puritas et simplicitas, quo alio signo simplicius atque aptius adumbrari ac declarari poterat, quam aqua, manibus potissimum vel ideo affusa, quod illarum opera et ministerio omnes fere externas actiones homo peragit? Eam quidem dicam profanis gentibus scribat Spencerus, languida potius et crassa, quam viva et vera eius ritus intelligentia imbutas fuisse, pios tamen et certos numinis sanctissimi cultores ea gavisos credat oportet, cum Davidem audit ac Jobum dicentes, se lavare non tantum manus suas aqua, verum etiam innocentia. Sed gentium quoque externarum multis fecerit iniuriam, si nihil eas aliud sua lotione voluisse dixerit, quam gratiam Dei externa quadam justitia et sola quasi manuum mundatione acquirere. Meminisse enim decebat eorum, quae supra

attulimus et quod immersi etiam crassissimis tenebris homines praeceperint, a sacrificaturis afferendas esse ad aram ὁσίας χεῖρας idque testandum publice sollenni manuum lotione; arcendos contra a χέρνιψι esse omnes, qui quodam se scelere contaminarint.

§. 11. Postremum quod affert ad rem conficiendam Spencerus argumentum aliquam gravitatis speciem primo obtutu praefert. *Nulla*, inquit, *lex adest scripta, qua sigillatim manuum lotio praecepta olim fuerit Israelitis.* Ex quo si illud eliceret: videri ergo haud abs re, Judaeos imitatione externi moris id fecisse, non sine ratione eum errasse forte diceremus. Nunc ubi id extorquere conatur: consequi ergo, ut Judaeos a gentilibus dudum doctos esse credamus, neminem nisi lotis manibus ad sacra tractanda aggredi debere et Deum hasce manuum lotiones populo hebraeo reliquisse potius quam imperasse: nae ille ratiocinando facit, ut nihil ratiocinetur. Quidni ergo potius cum Seldeno de synedr. 1, 3. sentiat, plebeios Judaeos, exemplo sacerdotum suorum istiusmodi lotiones celebrasse idque sibi putasse fas et aequum, quod illis expressa lege praeceptum erat. Imo vero, cum Ex. 19, 10, Deus per Mosen imperat Israelitis, ut vestimenta probe aqua eluerent antequam accederent ad se propius, quid obstat, quin totum corpus simul, praecipue autem manus, quae facillime in oculos omnium incurrunt, ablutas esse censeamus? Nihi sane hoc pacto praeter id statuemus, quod Hebraeorum doctores permulti et Seldenus l. c. affirmarunt, quorum posterior propterea animadvertit, per vestes etiam a Latinis interdum totum corpus significari. Et vero, si vestes divino monitu mundas esse in sacris oportet, quam facile erat illud conjectando assequi, multo magis manus, sacris operaturas aut quidquam tale tractaturas, mundas esse oportere. Ita sane sensisse videtur populus ille Judaeorum universus, qui, postquam rite se mundasset, h. e. aqua perluisset, munus suum fertur obtulisse, Judith 20, 25. Nec alia fuit initio mens eorum, qui quas manus offerendae victimae vellent imponere, prius abluebant. Quo de ritu Philo, de Victim.: *Ἀπονιψάμενος*, inquit, ὁ προσάγων τὰς χεῖρας, ἐπιφερέτω τῇ τοῦ ἱερείου κεφαλῇ.

§. 12. Tam ficulneis igitur, imo nullis prorsus rationibus cum Spenceri opinio nitatur, mirari satis haud possumus, Clericum ea delectari adeo, ut in Comment. ad Genes. 35, 2, sic scribere nihil vereatur: „Haud male, quod ab ethnicis institutum fuerat, Patriarchae suis exemplis confirmarunt". Quid? quod, postquam: immunditiem per se Deo invisam haud esse, neglectum tamen quendam eorum, quae aguntur, prae se ferre atque istos etiam, qui ex specie externa de rebus ipsis judicant, in contemtum facile abducere, velut sparsim dixerat, ita pergit: Si quis contendat, patriarchas huius similiumve rituum inventores fuisse, is primum Scripturae s. auctoritate, quae nuspiam hoc docet, destituetur, deinde etiam ostendat oportebit, qui a gente hebraea, plerumque spreta et ignota nec splendore et antiquitate Aegyptiis aut Babyloniis conferenda, per totum orbem gentes florentissimae, quae de Hebraeis ne audiverunt quidem, hos ritus mutuari potuerint? — At enim vero nondum

causa cecidimus. Qui eandem cum Spencero crambem et recoctam quidem apponit, eodem qui lixivio defricetur dignus est. Num quia patriarchae huius ritus auctores, nominatim in sacro codice, nusquam perhibentur, propterea minus fuisse credendi sunt? Adeone obesae naris Clericus est, ut, cum relatum legeret, Jacobum vestium mundandarum negotium familiae suae dedisse, subolfacere haud posset, monitu id eum et auctoritate divina fecisse? Patriarchas sane pios et religionis observantissimos ad normam oraculi divini et expressam sapientissimi conditoris voluntatem sacras actiones sacrosque ritus composuisse, nemo temere erit, qui infitietur, praesertim cum eosdem lege divina, per Mosen lata atque promulgata, deinceps confirmatos videamus. Id autem parum abest, quin temere a Clerico scriptum dicamus, gentem hebraeam spretam et ignotam fere fuisse et cum Aegyptiis, Babyloniis, ceteris vix conferendam, quando in propatulo est, hebraeam gentem, non aliam aeque, a Deo in peculium, orbe ab aquarum alluvie liberato, lectam, privilegiis ac beneficiis multo eminentissimis ornatam ac munitam inque centro quasi orbis terrarum, ut audiri facilius ab omnibus ac conspici posset, collocatam totque per omnes terras celebratissimis miraculis nobilitatam, opibus tandem rerumque praestantissimarum proventu uberrimo aliquando ditatam esse. Illa autem profanorum scriptorum testimonia, quae morem lavandi se vivis aquis antiquissimum ac multis communem populis faciunt, tantum abest, ut quicquam eius, quod Clericus velit, conficiant, ut potius firment coniecturam, inde usque a Noachi aut sane proximorum ab eo patrum aevo ritus illius originem esse repetendam. Id quod fuse edisseruit et accurate satis disputavit Iuriaeus Hist. crit. deogm. et cult. I, p. 102.

§. 13. Ad ipsos quoque Christianos iste lavandarum ritus manuum olim pertigit. Nam et hi antequam preces facerent et manus ad coelos elevarent, manus lavisse quondam perhibentur, inducti, ut, quidam putant, ad hoc per 1 Timoth. 2, 4, ubi *χεῖρας ὁσίους ἐπαίρειν* jubemur. Et hunc quidem in usum *λουτῆρας*, *κρήνας*, *νιπτῆρας*, *φρέατα*, in templorum suorum atriis habebant. Qua de re, qui plura velit nosse, I. C. Suiceri Observ. cap. 6, p. 159, et Thesaur. Eccles in vocc. *εὐχή*, et *λουτήρ*, item etiam Tertullianum, qui tamen corporis hanc lotionem (de Oratione 11—13) ex ecclesia summovendam esse existimat, consulito.

§. 14. Nos in Judaeorum lotione, a qua cepit initium haec commentatio, desinimus. Eam vero praeceptiunculis magistrorum futilibus, procedente tempore, misere cumulatam fuisse, legum mischnicarum liber iste, qui Ordo Puritatum inscribitur, exemplis pene multis dilucide confirmat. Inprimis vero id ipsum liquet ex Tractatu de Lotione Manuum, qui ipso Maimonide judice (in Hilcoth Micvoth, capite ultimo) nonnisi sapientum instituta atque placita enarrat. Alia vero, ut idem hic inculcat, nuncupatur נטילת ידים lotio manuum, alia טבילת ידים immersio manuum in aquam, eo quod manus lavandae quidem sint, siquis vel profanum panem comedere velit, in aquam vero immergendae, siquis e genere sacerdotali vel Levitico sacrum cibum comedere cupiat. Utrius-

que discrimen aquae respectu illud fere constituitur, quod lotio manuum in aquis haustis, at immersio manuum non in haustis, sed in lavacri tantum aquis perficienda sit. Porro quaedam ibidem formatur differentia inter aquas primas et inter secundas. Siquis enim sacerdos ambas manus laverit, ut oblationem primam comedat, tum postea eas aquis secundis illum lavare debere, ut ipsis mediantibus primas aquas removeat, quae manuum inquinamentis pollutae fuerunt; et si panis oblationis primae inciderit in aquas, quibus, prima vice, manus ablutae sunt, tum pollutum istum esse; at non item, si is in secundas inciderit. Sed non lubet huiusmodi recensendis amplius hic immorari, cum oppido in mentem veniat nobis, quod Maimonides, his enarratis, subiungit: omnes videlicet illas lotiones ab externis corporis partibus ad animum esse transferendas. Eum in finem, ait, a Sapientibus olim dictum esse, טבל ולא הוחזק כאלו לא טבל. Qui se immerserit nec animum attenderit, perinde erit, ac si non immerserit se. Ex iis demum sapienter praecipit, quod sicut corpus aquis terrestribus ab inquinamentis purgari soleat, ita animus quoque, a spiritualibus impuritatibus, in dies singulos, aquis vivis, i. e. verbo Dei purgandus sit.

XXVII.

J. Jul. Chr. F(ulda) de crucis signaculo, precum christianarum comite destinato*).

Crucis signum est, quo devoti christianae disciplinae homines, inter alia, quum ad preces matutinas plerumque ac vespertinas adpellunt animos, uti solent. Principes nempe manus dextrae digitos elevant agitantve in conspectu suo ternis vicibus transversim adeo, ut facile aliquam crucis figuram cerneres. Quae res, ut ab externis sacris haud aliena, antiquitus jamjam usu et auctoritate confirmata erat, ita inde a primis et subsequentibus christianismi seculis absque ulla sceleris aut superstitionis suspicione ac bonae tantum conscientiae pretio, jure suo, qualecumque id sit, digna aestimabatur. At nostra hac aetate, quae sanioris, si diis placet! ingenii est, ea in causa priscae consuetudinis auctoritas aut convelli aut accusari acriter videtur. Variis enim duci opinionibus ea de re itidem, ut factum fere in omni genere officiorum, quae ad externum spectant religionis cultum inque diversa ideo abire coeperunt nostri homines. Pars rejicit eam non minori contemtu, juxta atque altera omni eam fovet studio, quum inter ea pars cetera secum habitans perinde eam ipsam haberi censet. Cui ergo concedendum sit, ut disquiratur, non indignum mihi visum est in eoque exponendo pro mea intelligendi facultate in praesentia rerum allaborabo. Fontes enim ejusmodi sacrae consuetudinis *crucis signo utendi*, *precum comite*, aperire, simul atque eos, si fieri possit, ab impuritatis suspicione defendere placet. Quod si ex sententia successerit, cum non difficile erit probare, ea in consuetudine neque importunae superstitionis neque impii gentilismi maculam deprehendi posse; tum vero satis bene edoceri videbitur, eam ipsam bona de causa ad honorem sacrorum Christi observari oportere. Atque ita quidem non habebit irrisorum coetus, unde amplius nauseet eam risuque ac jocosis dictis prosequi, immo immani criminatione conspurcare voluptatis loco ducat. Verum etiam rectioris animi viri partim ut desistant, vel scelestam vel qualemcumque levissimam certe eam pendere partim ut ceteris religionis nostrae piis moribus eam adscribant, causas intelligent praegnantissimas.

---

*) Prodiit Lips. 1759. 4.

Mirae atque infelicis sane utcumque levitatis ac praecipitantiae notam haud effugeret, qui sacram, cuius causam tractandam adgredior, consuetudinem recta ex eo, unde proxime eam non sine odio atque invidia repetere multi non dubitant, derivandam esse censeret. Placuit enim hominibus, quorum eximia quasi vanitate refertum ingenium nihilo magis quam cultu religionis externo offendi solet, huius rei quidquid est educationi, qua frui aetatem puerilem oportet, dare vitio. Nec ipsis deesse, quo se munirent, argumentum passi sunt unquam; sed eo semper redit omnis eorum sermo, ut semet ipsos nominent exemplum qualibet exceptione maius. Etenim pueritiae suae memoriam quoad possunt inde usque repetentes, non vident modo nutrices juxta atque parentes sibi principes exstitisse et ad suscipiendam et ad colendam rationem crucis signa precibus adiungendi; sed etiam majoribus ipsis, nullae aut infimae scientiae hominibus, usu atque exercitatione receptum fuisse id recordantur ideoque satius esse ducunt per bonam consequentiam colligere, omnem hancce pietatis rem non minus atque genua flectendi ac manus supplices, precum gratia, implicandi morem, communi educationis vitio laborare. At qualis conclusio! Fac enim et hoc in capite illud Horatii valeat:

Aetas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores —

quis quaeso est, qui non intelligat, nihilo minus longe aliud initium pariter ac, qualecumque licet, fundamentum unde repetatur ea res, concedi debere? Vera proinde causa investiganda adhuc remanet. Atque eam quidem, cui ita succensendum esse existimant, educationem satis superque defensam in lucem adspectumque fore proditūram, spero, simul ac de remotioribus ejus rei cogitetur argumentis.

Quid ergo est, quod hic constitui soleat accipiendumque videatur? Sunt et fuere alii et multi sane, qui meram vellent superstitionem, causam quaerentes in antiquissima gentilium crucis signo utendi ratione. Quae quidem omnino non potest in dubium incertumque vocari. Etenim aliqua crucis forma inter gentes frequentissime fuit depicta sculptaque inventaeque sunt in Serapidis templo hieroglyphicae literae atque imagines, habentes crucis speciem*); quid? accepimus, profanos homines olim solitos fuisse, exstructos lapides sepulcrales quadam crucis figura curare condecorandos. Cujus quidem rei monumenta recentiorum temporum tractu permulta sunt reperta; ut de Cimbrica gente quaedam collegit Arnkiel**), qui et de ceteris testes nominat Casaubonum***), Olaum †), Stephanium ††) etc. Quod si is esset crucis signi usus, de quo nobis sermo est, idemque in utroque cerneretur animi finis: li-

---

*) Cf. G. Moebius *de aeneo serpente II.* §. 27. p. 224. it. *de agno paschali I.* §. 47. p. 895.

**) M. Trogill. Arnkiel in der Cimbrischen Heiden-Religion. p. 3. lib. 2, 5, §. 11. lib. 4, §. 6. p. 367; p. 4, lib. 1, 5. §. 5. p. 29.

***) *Exercit. Anti-Baron. n.* 78.

†) Histor. Sept. 1, 20.

††) *In notis ad Saxon.* lib. 8. p. 172.

ceret etiam hunc nostrum dicere superstitionem. Sed quum sit is toto ex capite longe alius ac diversus, non videtur hic huiusmodi meruisse censuram, quae simul omnem Christianorum disciplinam criminetur. Unde enim repetendum putas profanum illud institutum? Ratione magistra crucis formam, omni fine scopoque carentem, tot tamque variis hieroglyphicis characteribus adscribi haud potuisse, judicatu proclive est. Neque ex mera abundantia ad summum fastigium elatae superstitionis provenerit, arbitror, ut defunctorum cineres tranquille fore cubituros sibi persuaderent, si sepulcris crucis aliquam formam insculperent infigerentve; de ea enim nullus sensus, nulla cogitatio ipsis insidebat, licet ipse actus, quem cum cruce instituebant, mera superstitio fuerit. Itaque omnis ea res documentum potius refert vel fidei christianae quondam a maioribus, audita evangelii praedicatione, acceptae, nunc vero rursum abnegatae; vel vehementioris tantum studii, finitimos et proxime adiacentes verae religionis cultores imitandi iis in rebus, quas ad sacra pulcras atque honestas putarent; id quod mihi placet. Quamquam enim utrumque argumentum suam habet vim suumque valorem, tamen hoc altero magis mihi sese probavit, propterea quod ex eo videre licet, qui factum, ut iam ante Christum natum apud Arabes Aegyptiosque crucis quidam usus innotuerit, ille nimirum, ut opinor, ex κακοζηλία et studio earum gentium imitandi Israelitas introducebatur. Quod quum ita sit, patet certo, nihil profani nec quidquam superstitionis inesse signaculo crucis, si ortum eius atque inventionem spectes. Exstant enim, unde fluxerit ea consuetudo, longe puriores fontes, utpote qui patefacti jamjam, saltim detecti sunt, cum ostenderem, profanos ab aliis iisque sanioribus hominibus, quidquid crucis signi est, temere mutuari consuevisse. Pergamus itaque recta ac sedulo iisdem insistere fontibus, quos equidem arbitror, e Sina et Golgatha, sacris pariter ac celeberrimis illis montibus, scaturientes videbimus; inveniemus, inquam, lectissimas V. et N. foederis gentes, omnium principes auctores fuisse ad suscipiendum colendumve aliquod crucis signaculum.

Ac de Israelitis quidem longa disputatione non opus erit. Mittam, quod placuit haud paucis nimirum eam ipsam gentem, vel antequam ex Aegypto discederet, crucis formae adsuetam fuisse: de qua re sit fides penes auctorem. Certo vero certius hoc esto, quod post eam peregrinationem et divina adducti institutione et singulari quodam pietatis adfectu perculsi illi Hebraei crucis formam colere inceperint. Etenim non modo agnum paschalem, in crucis forma expansum atque ad ignem assatum fuisse, auctores habemus *); sed etiam serpentis aenei erectio, quam Deus exigebat **), satius hoc demonstrat. Siquidem pertica vexillaris fuit, quae erecto transversoque et crucis specie disposito stipite constabat, quo super aeneus iste serpens a Mose in deserta regione Sinaica erigebatur. Ceterum si verum est, quod scriptis Rabbinorum relatum et

*) Cf. Moebium *l. c. de agno paschali* §. 50. p. 895.
**) *Idem de aeneo serpente II.* §. 22. p. 221.

tot literatorum hominum suffragiis confirmatum legitur*), huc directe spectat: delectum illum populum fere in omnibus religionis suae partibus crucis formam amavisse, e. g. cruce summus sacerdos, dum populo nomine Iehovae bona quaevis precaretur, condecorabat et quasi obsignabat suum sermonem; sacrificia et oblationes adversus quatuor mundi plagas transversim, ad instar crucis, agitabantur; sacerdotes unctione, cruciformiter adplicata, initiabantur; agni immolati ad ignem in veru ad formam crucis composito circumagebantur; fasciculi ramorum ex arboribus, hosannae dicti**), festo tabernaculorum in brachiis, ita ut crucem repraesentarent, gestabantur; itidemque sepulcra cruce ornari, imo ea ipsa atque urbes, plateas, agros et fundos ad normam crucis exstrui intentissime curabant. Et quis dubitet, hoc omne eo consilio institutum fuisse, ut venturum atque olim in ligno crucis exaltandum Messiam significanter adumbraret eumque quam saepissime in memoriam hominum revocaret. Quid ergo mecum ego? apud Judaeos crucis signi usus certus et haud exigui momenti isque typica relatione constituendus est.

Nunc quidquid rei cum cruce vetustiores Christi confessores habuerint, ut percenseam brevique monstrem sequitur. Quo in loco praemonuisse juvat, illud hominum genus triplicem crucis usum antiquitus instituisse ***). Coluit nempe lignum, cui Christus erat adfixus; deinde vero imaginem crucis ex certa materia, sive ficta sive picta sive solida sive coloribus distincta, templorum, aedium sepulcrorumque ornamentum; denique et signum crucis in aëre motu digitorum transversim formatum, in memoriam Jesu Christi prorsus singularem; de quo quidem tertio hic nobis disserendum est; quare primum ad ipsum rei usum, deinceps vero scopum ac finem ejus attendamus.

Utebantur enim majores crucis signaculo cum in actibus sacris tum profanis. Quod ad illos attinet, Augustinum testem nomino, qui: *Signo crucis consecratur*, inquit †), *corpus dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri et ceteri gradus ecclesiastici; et omnia, quae sacrificantur, hoc signo dominicae crusis cum invocatione Christi nominis consecrantur. Immo cum legebatur evangelium, omnes surgebant, facto crucis signo: episcopi concionaturi, christiani oraturi crucis charactere se signabant; nec non orantes in modum crucis manus expandebant. In quibusdam ecclesiis crucis signo se signabant, articulum in symbolo pronunciantes carnis resurrectionem:* sunt verba Chladni ††). Atque eundem auctorem de usu signi crucis in profanis, quos dixi, actibus exponentem †††) citare mihi liceat. Habet ille sequentia: *cibo, potui, somno crucem praemittebant. Sacerdos vel alius inter accumbentes dignissimus fercula crucis signo consecrabat; panes dum pinserentur, crucis figura in-*

---

*) L. Dassovius: *Signa crucis gentis Hebraeae*, *Kil.* 1695. 4.

**) Th. Goodwini *Mos. et Aar.* p. 584.

***) Cf. G. Chladni Inventarium templorum, *Repositor. II. Repertor.* 7, 5. p. 364.

†) *Serm.* 181. *de tempore.*

††) *L. l.* §. 30.

†††) *Dict. loc.* §. 30.

signiebantur; martyres, adituri tyrannos, cruce se signabant. Quare Tertullianus: *ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, ad exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad limina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conservatio exercet, frontem crucis signaculo terimus* *). *Quidquid Deo consecratum, quidquid commendatum cupiebant, cruce signabant* etc. *Unde ethnici Christianos Crucicolas, crucis religiosos* etc. *vocabant.* Hactenus Chladni **). Ex his de pristino crucis signi usu certiores, nunc in fines quoque, quos animis ea in re homines intenderint, inquiramus necesse est. Ego vero arbitror, nisi quis hoc in capite tam magnos tamque honestos fines judicet eruendos, nihil ut in illis possit desiderari, nae istum sanctissimam priorum Christi confessorum animi indolem profanare immo conspurcare iniquius. Quales erga constituamus fines? Equidem ad ipsam rei simplicitatem integritatemve attentus invenio profecto praeter Christum colendi studium omnino nullum. Et quid quaeso aliud exspectandum putas, de animo omni agnitione salutis suae impleto atque multo gratissimo tenerrimoque amoris affectu erga suum et unicum humani generis Servatorem divinitus perculso? Quod si quis sentiat, ipsum crucis signaculum remedii loco ad tam dignum longeque optimum finem reponat. Habebat enim illud satis efficaciae summamque facultatem cum ad animum ita saepius Christi recordandum, ut nulla ejus beneficii, communi hominum vitae tributi, memoriam atque honorem obliterare posset oblivio, tum ad fidem in Christi meritum religionemque haud fucatam palam ac publice declarandam idque adprime aliis in exemplum. Id quod Chladni recte solvisse ***) mihi visus est, dum quatuor constituendas posuerit rationes, quare apud pios antecessores tantum honoris consecuta sit crux? *nempe propter redemtionis pretium, propter publicum judicium, propter fidei in Christum testimonium, propter religionis indicium.*

Constat igitur, quo ortum trahat sacra crucis signaculum adplicandi consuetudo nec sane iisdem causis immorari attinet, quum non solum antiquiores aevi Israelitas, sed priorum temporum Christianos eius rei auctores, vereor ut aequo longius, probavimus. Iam periculum faciamus, quomodo et nostri seculi christiana res hoc in capite defendi queat.

Acquievit enim, quod patet, sacer Christianorum coetus admodum secura conscientia in pie religioseque coeptis majorum, et posteris inter ceteros divinoris cultus actus et hoc crucis signaculum exemplo suo probe commendatum voluit. Immo quotus eorum est, qui, inde quo Christi sacris initiati fuere, crucis signum usurpare non dubitarunt? Quid? vel aliis de causis subortis inter eos dissidiis ac discriminibus facile difficillimis, tantum abest, ut aliqua eorum pars, nisi Calvinianos putes, ab eo ipso religionis actu abstinuisset, ut potius et ecclesiam Graecam et Romanam, pariter ac protestantium Evangelicam crucis

---

*) *De cor. milit. c.* 3.

**) Ethnicos olim ita insultasse Christianos: colis Deum crucifixum? Tertullianus testis est. *Apol.* 16.

***) *Loc. s. citat.* §. 32.

quemdam usum, pro instituto, sacris suis exercitationibus adnumerandum constituisse, compertum habeamus. At vero singularum earum partium placita, quae huc faciant, rimari jamjam longius foret; illud itaque tantum crucis exercitium, quod nostrates sibi religioni ducere solent, ad obrussam sanioris judicii expediendum nunc cupio.

Utimur nimirum hodienum crucis signo in actibus religionis publicis ac privatis idque, quod probe tenendum, nullo ex alio nisi summo eo fine, quem veteres habuisse adfirmavimus; nempe ut honorifice colatur noster Servator, quasi ob oculos depictus uti quondam cruci adfixus, licet nunc coelis sublimior factus. Quaeque enim ab ecclesiae ministris consecrantur, signo crucis signantur, cum devota pronunciatione S. S. Trinitatis aut speciatim nominis Jesu Christi. Exempla hac de re profero s. baptisma, s. coenam, sollennem ex altari et suggestu sacro coetus publici benedictionem, initiationes ministrorum, absolutiones poenitentium, copulationes conjugales etc. quae quidem singula publice geruntur. Est vero et privatus nobis crucis signi usus isque plane singularis atque simplex, quem ab initio orationis meae adduxi, utpote quum inter privatos parietes non solum in omni quaque sollenniori benedictione, quam aliis, saltim e vita discedentes, peroramus, sed et in precibus adprime matutinis ac nocturnis frontem crucis charactere terimus. Atque de hoc privato crucis usu duo inprimis notanda itemque probanda esse duco; alterum, quod non sit actus superstitiosus, alterum vero, quod non ultimam habeat et mereatur auctoritatem.

Ac primum quidem, quod multos offendere solet, quasi abominandam saperet superstitionem Christianorum crucis signaculum, hoc nunc facile tollitur e medio. Esset videlicet tum demum importuna superstitio, si vel gentes ipsi auctores principes eius rei et suasores probari possent; vel a nobismet scelesto, in se religioso aut qualicumque alio modo non magis ad avertenda mala, quam ad adipiscenda divinitus bona usurparetur. Quo quidem in loco et ecclesiae Graecae et Latinae sequaces vere peccare non infiteor et ipsi videant, num et quomodo rebus suis consulere liceat. Neque id negare audeo, frequentiorem illum crucis usum, quem antecessores nostri instituerunt, dum ad profanos actus extendere ipsum non dubitarent, valde in eo ac turpiter laborasse. At hoc ipsum, quantumcumque sit, nequaquam sanctiorem ac simpliciorem crucis signaculi usum tollere, est id quod jure suo contendo. Quid enim? si cetera salva sunt, si crucis character, precum votorumque comes, bona mente bonoque consilio usurpatur; si recto ex fine, h. e. subsidii causa ad memoriam dignissimi Servatoris, cruci quondam adfixi, quem adoras, quisquis sis, adhibere soles: nonne hoc superstitionis nomine insignire nefas? Nonne pura et impolluta religio eaque nostra *) externum non minus quam internum exigit cultum suisque ipsum informat regulis atque praeceptis? Possumne ego haec omnia superstitionis metu ac dubitatione omittere, fugere, contemnere? Nec poteris hoc unquam nec

*) Cf. *Aug. Conf. art.* 15. *Apol c.* 8. it *Epit.* 10. et Decl. 10 *cet.*

debes. Neque ergo est, quod a crucis signo preces concomitante protinus abhorreas.

Quod restat, de auctoritate signaculi crucis, si quid hoc loco sim commentaturus, mihi hoc placet et praecipuum videtur, eam rem, tum quoad publicum tum quoad privatum usum, non aliter considerare ac *ceremoniam*; actum nomino, qui ad religionem Jesu Christi externam honorifice respicere solet. Jam vero in eius indolem ac naturam praestantiamve curatiuś inquirentem, quisquis sit, ita ego informo: Primo, usum signaculi crucis in se spectatum haud quidem necessarium nec essentialem, sed adiaphorum, ut dicunt, ac liberum esse, utpote nullis expressis regulis neque exemplis ex disciplina morum, quam viri N. F. deopneusti tradidere, petitis innitatur. Deinde vero, si finem respicis, rem constituit pariter bonam quam piam, non temere abrogandam. *Bonam* nimirum dico tum, quoniam et usus Christi historicus vel per se, h. e. nisi error aut superstitio interstrepat, quod scilicet fit, quum e. g. cultum imaginis Christi analogicum et reductivum ut papista amas; nunquam pro malo haberi debet; tum vero etiam propterea, quod ad effectus producendos ea adprime faciat. Cruce enim in nomine Jesu facta, non possumus non vitam eius et merita cum animis nostris significanter recordari; id quod ipse cupit quam intentissime Jes. 34, 21; quodque nobis semper, eo vero magis mentibus ad Servatorem per alloquia allatis curae cordique esto. Juvat nempe mentis nostrae imbecillitatem, qua iis, quae quasi in sensus cadunt, magis duci solemus magisque affici; juvat et ad alios nobiscum degentes, in fide religiosa confortandos simulatque de nostra sinceritate studioque colendi Christum confirmandos. Quae quidem aequo suo ambitu, si quis secum meditetur, crucis signum et piam rem nominet necesse est; siquidem longe egregie atque eleganter faciat ad memoriam passionis Christi, ad testimonium fidei nostrae in Crucifixum, ad incitamentum studii, optimum Servatorem colendi, ad commonefactionem crucis propter confessionem Jesu Christi institutae. Nec possum denique non hancce nostram rem *vere Lutheranam* renunciare. Ille enim pater ecclesiae nostrae Lutherus, qui de puriori Jesu Christi religione graviter simul atque sapienter restituenda sategit, ipse auctor suasorque est, ut crucis signaculum precibus matutinis nocturnisque comes adiungatur; non sane qua res ex papatu idque novissime suborta, sed jam olim et antiquitus in sacris pie usurpata suaque dignitate satis conspicua. Utrumque catechismi divi viri minoris exemplar et germanicum et latine a Iona versum testis mihi est ea de re locupletissimus. Nam ibi in adpendice de benedictione matutina et vespertina expresse commendat crucis signaculum. Verba quae eo loco fecit, digna sunt, quae hic legantur. Ita vero germanica fluunt: *des Morgens, so du aus dem Bette führest, sollt du dich segnen mit heiligen Kreuze und sagen: das walt Gott Vater, Sohn und heiliger Geist, Amen.* Iterum: *des Abends, so du zu Bette gehest, sollt du dich segnen mit dem heiligen Kreuze und sagen: das walt Gott Vater, Sohn und heiliger Geist. Amen.*

Quorsum vero haec omnia ita dicta sunt? Scilicet ut religiosa illa consuetudo, quae in crucis signaculo posita est, luce sua expressa ad-

pareat atque lector videat, cujus quidem ea sit indolis quaeque valeat auctoritate. Potissimum autem, alia si mihi daretur disserendi occasio, hoc quidquid est, illi hominum generi dictum cuperem, qui ut fere ceteris ecclesiae evangelicae ritibus, ita et huic infensissime succensere solent, licet eorum animus in religione aliquando quasi tenerrimus videatur. Quos quidem graviter monerem, vellent sibi cavere, ne eo ipso suspicionem abominandae Deoque inimicae negligentiae invidiaeque rerum divinarum pariter atque humanarum incurrerent, hostes christianae crucis. De reliquo jamjam praecipiendum quoque duco, secum habitet omnis vere christianus homo, isque rectus ac simplex; utatur, pro more, *crucis signaculo, comite precum destinato*, mane ac vesperi; sed probe norit, cur illud adhibeat? scilicet ut eo facilius Jesu, quem seruatorem crucifixum adorat, et per quem ad coelestem Patrem, cujus providentia omnia gubernantur, supplicationibus adscendit suis, reminiscatur. Facto itaque crucis signo, animo cogitet Christum pro se cruci adfixum, intueatur eum defixa, pia et devota mente, credatque semetipsum pretiosa huius Filii Altissimi cruce Patri O. M. per Spiritus S. dona carum esse redditum atque acceptum. Hoc ratum, firmum, fixum teneat, laetetur et bene sese gerat ad gloriam Jesu Christi, qui et omnia et in omnibus (Col. 3, 11), isque non Nisi Crucifixus (1 Cor. 2, 2). Namque in debilitate quidem cruci adfixus est, at vivit per Dei potentiam (2 Cor. 13, 4) in secula seculorum *μόνος δεσπότης* (Jud. 4).

Appendix,

continens indicem dissertationum, programmatum et libellorum, quibus singuli antiquitatum ecclesiasticarum loci illustrantur.

Block, W. D., d. wahre Geburtsjahr Christi, oder: wir sollten 1862 st. 1843 schreiben. Berlin 1843. 8.
Ebel, C., chronothesia sacra et christiana. Berol. 1751. 4.
Hamberger, G. A., de epochae christianae ortu et auctore. Jen. 1688. 4.
Helvigius, A., de vulgaris aerae christ. veritate. Rost. (s. a.) 4.
Janus, J. W., historia aerae christ. s. cycli Dionysiani. Viteb. 1718. 4.
Liebknecht, J. G., de aera nativitatis Christi genuina. Giessae 1735. 4.
Lorenz, J. M., de aera Christianorum vulgari. Argentor. 1766. 4.
Piper, F., Kirchenrechnung. Berlin 1841. 4.

Arnold, G., fratrum sororumque appellatio inter Christianos maxime usitata. Frcf. ad V. 1696. 4.
Benner, J. H., de Christianis non a Chresto. Giessae 1747. 4.
Buddeus, J. F., de origine, dignitate et usu nominis christiani. Jen. 1711. 4; rep. in ejsd. miscellan. sacr. 1. p. 280—327.
Büttner, J. E., de nonnullis Christianorum nominibus. Stade 1680. 4.
Burgmann, J. C., de nomine Christiani, ejusque origine et notione. Rost. 1739. 4.
Cyprian, J., de nomine Christi ecclesiastico acrosticho Ἰχθυς. Lips. 1699. 4.
Deyling, S., de exoso Christianorum nomine; in ejsd. observ. sacr. 2, p. 390.
Fischer, L. J., de laude Christianorum in obtrectationibus. Jen. 1759. 4.
Hebenstreit, J. F., de variis Christianorum nominibus. Jen. 1713. 8.
Heumann, C. A., de ortu nominis Christianorum. Gott. 1736. 4; rep. in ejsd. primit. Gotting. p. 130—153.
Ott, J. B., de nomine Christianorum. Tiguri 1710. 4.
Rossal, M., de Christo per errorem in Chrestum commutato. Groningae 1717. 8.
Schamelius, J. M., Christianus, od. von den mancherlei Namen der Christen. Leipz. 1720. 8.
Stange, T. F., üb. d. Benennung: Christen; in dess. Symmikta. 1. S. 39 ff.
Weber, J. C., de genuino Christi nomine a gentilibus perperam pronunciato. Viteb. 1733. 4.
Zimmermann, M., ad dictum Tertullianeum: Fiunt, non nascuntur Christiani. Lips. 1662. 4.

Baier, J. W., de Christianorum migratione in urbem Pellam imminente Hierosolymorum excidio. Jen. 1694. 4.
Boehmer, J. H., de vet. ecclesiae statu generatim; in ejsd. XII dissertt. juris eccles. antiqui (Hal. 1729. 8.) p. 445—485.
— de extraordinario primitivae eccl. statu; ibid. p. 509—569.
Bogenhard, C. F., v. Stickel.
Borsing, J., de primorum hominum christianorum vita privata. Lugd. Bat. 1825. 4.

Brestovin, C. G., de quinque diversis N. T. doctorum ordinibus ad Eph. 4, 2. Lips. 1741. 4.
Buchner, G., Christianus antiquus, penicillo Clementis Alex. delineatus. Viteb. 1687. 4.
Buddeus, J. F., ecclesia apostolica. Jen. 1722. 8.
Carstens, M. N., de communione bonorum ad Act. 2 et 4; in bibl. Lubec. 5. p. 57 ss.
Crusius, C. A., super erroribus de retinenda lege Mosaica inter primos Christianos. Lips. 1770. 4.
— M., de senectute heroica veterum Christianorum. Hamb. 1721. 4.
Danov, E. J., de episcopis aetate apostolorum. Jen. 1774. 4.
Dürr, P. C., de antiquissima fidei ac morum regula. Gotting. 1781. 8.
Ess, Leand. v., was war d. Bibel d. ersten Christen? Leipz. 1816. 8.
Forbiger, T. S., de muneribus ecclesiast. aetate apostolorum. Lips. 1776. 4.
Francke, C. F., notae historicae conditioni cognoscendae primorum Christianorum servientes. Viteb. 1791. 4.
Fröreisen, J. L., de temeraria provocatione ad primitivam ecclesiam. Argentor. 1741. 4.
Fronto, J., de moribus et vita Christianorum in primis eccl. seculis; in ejsd. epp. et dissertatt. eccl. (ed. Fabricius. Hamb. 1720. 8). p. 1—30.
Gabler, J. P., de episcopis primae eccl. christ. eorumque origine Jen. 1805. 4; rep. in opusc. 2. p. 321 ss.
— examinatur Forbigeri sententia de presbyteris aetate apostolorum. I—II. Jen. 1811—12. 4.
Goldhorn, D. J. H., d. Christuspartei zu Corinth im Zeitalter der Apostel; in Illgen's Zeitschr. f. hist. Theol. 10. Bd. 2. (1840). S. 121—174.
Gothofredus, J., de interdicta Christianorum cum gentilibus communione; in Zornii bibl. antiq. 1. p. 154 ss.
Greiling, J. Ch., üb. d. Urverfassung der apostolischen Christengemeinden. Halberst. 1813. 8.
Gruner, J. F., de falsis apostolis ecclesiae apostolicae. Cob. 1749. 4.
Gude, G. F., eleemosynae ecclesiae apost. Zittav. 1727. 4.
Hallbauer, F. A., pristina christianae rei facies a Plinio repraesentata. Jen. 1738. 4.
Hammerich, J. M., de usu evangelici codicis apud. vett. Christianos. Hafn. 1702. 4.
Hansen, P., observatt. in illa Act. Apost. loca, quae de primorum Christianorum conventibus sacris agunt. Hafn. 1794. 8.
Harenberg, J. C., de theologia primorum Christianorum dogmatica. Brunsv. 1746. 4.
Hartmann, J. J., de rebus gestis Christianorum sub apostolis. Berol. 1699. 4.
Heyst, D. van, de Judaeochristianismo ejusque vi in rem christ. sec. I. Lugd. Bat. 1828. 8.
Holste, J., de politia eccles. primitivae ad politiam civilem formata. Helmst. 1676. 4.
Ittig, Th., de haeresiarchis aevi apostolici et apostolico proximi. Lips. 1690. 4; rec. 1703.
Knapp, J. G., de comparatione status eccl. apost. et hodierni sobrie instituenda. Hal. 1762. 4.
Kniewel, T. F., ecclesiae Corinthiacae vetustissimae dissensiones. Ged. 1842. 4.
Koeppe, C. G., num in Act. App. de absoluta primae eccl. bonorum communione sermo sit? Hal. 1828. 8.
Kortholt, C., in Plinii et Trajani de Christianis primaevis epistolas comment. Kil. 1674. 4.
— de persecutionibus ecclesiae primitivae. Rost. 1689. 4.
Kotz, J. B., d. Armenpflege bei den ersten Christen. Regensb. 1839. 4.
Kraft, J. G., de nascenti Christi ecclesia, sectae judaicae nomine tuta. I—II. Erl. 1772. 4.
Lazari, P., de persecutionibus in eccl. excitatis aevo apostolico. Rom. 1749. 4.

Lechla, G. F., de donis extraordinariis Sp. S. in primitiva ecclesia. Lips. 1759. 4.
Leuthier, M. F., de synodis aevi apostolici. Neap. ad Oril. 1746. 4.
Lobstein, J. M., de vet. ecclesiae sacrarum literarum amore. Giessae 1775. 4.
Loehn, E. W., de presbyteris primae ecclesiae; in bibl. Studien d. sächs. Geistll. 1, S. 129—144; 3, S. 43—54.
Lorenz, J. M., de communione bonorum in primitiva ecclesia. Argentor. 1751. 4.
Lücke, G. Ch. F., de ecclesia Christianorum apostolica. Gotting. 1813. 4.
Middelboe, St., de evangelistis ecclesiae apostolicae. Hafn. 1779. 4.
Mosheim, J. L., de vera natura communionis bonorum in ecclesia Hierosolymitana; in ejsd. dissertt. ad hist. eccl. 2. p. 1—53.
— de illis, qui prophetae vocantur in N. T. Helmst. 1732. 4; rep. ibid. 2. p. 125 ss.
— de causis suppositorum librorum inter Christianos sec. I. et II. Helmst. 1725. 4.
Papst, J. G. F., de faustis christ. religionis initiis. Erlang. 1786. 4.
— de apostol. eccl. exemplo caute adhibendo. Ibid. 1790. 4.
Persigk, G., de pastoribus ac doctoribus ad Eph. 4, 2. Lips. 1738. 4.
Rheinwald, G. F. H., de pseudodoctoribus Colossensibus. Bonnae 1834. 4.
Schenkel, D., de eccl. Corinthiaca primaeva factionibus turbata. Basil. 1838. 8.
Schmid, J. A., hist. eccl. secc. I—VIII., fabulis variorum maculata. I—V. Helmst. 1700—15. 4.
— J. C., de legis mosaicae apud vett. Christianos auctoritate I—II. Erl. 1782. 4.
Schmidt, H. P. A., de utilitate persecutionum eccles. primaevae Christianorum. Frcft. 1797. 4.
Schreiber, M., de concordia Christianorum in pr. eccl. Regiom. 1710. 4.
Seelen, J. H. a., pietas vett. Christianorum erga magistratum civilem; in ejsd. miscell. p. 155 ss.
Seidenstücker, J. H. P., de Christianis ad Trajanum usque pro cultoribus relig. mosaicae habitis. Helmst. 1790. 4.
Semler, J. S., initia christianae religionis Antiochiae. Hal. 1767. 4.
Stickel, J. G., et Bogenhard, C. F., de morali primaevorum Christianorum conditione. Neap. ad Oril. 1826. 8.
Stoer, V. D., de Seniore, antistite vet. ecclesiae. Norimb. 1749. 4.
Surer, F. Th., d. Bibellesen in d. ältesten Zeiten. Salzb. 1784. 8.
Thomasius, Jenk., de inferioribus ordinibus aliisque antiquitatibus primitivae ecclesiae; in ejsd. dissertt. varii argum. (Altorf. 1712. 8.) p. 241—335.
Walch, C. W. F., vom Gebrauch d. heil. Schrift unter den alten Christen. Leipz. 1779. 8.
— J. G., de ecclesiis domesticis Christianorum apostolicorum. Jen. 1752. 4.
— de hymnis eccl. apostolicae. Ibid. 1737, 4; rep. in ejsd. misc. sacr. p. 81 ss.
Wegner, G., de presbyteris laicis ad 1 Tim. 5, 7. Regiom. 1698. 4.
Weller, J. G., de eccl. primitivae incertis multis rebus gestis, tanquam divinae sapientiae documento. Zwick. 1758. 4.
Weken, F., hist. Bibelfleiss d. ersten Christen. Leipz. 1732. 4.
Zola, J., de rebus Christianorum ante Constantinum M. Ticin. 1780. 4.
Zorn, P., erstes Christenthum in Lehre u. Leben. Kil. 1711. 4.

Bücher, J., de ἀπαθείᾳ stoica, relig. christ. minime conveniente. Viteb. 1754. 4.
Cleemann, A. C., quantum intersit inter amorem erga inimicum stoicum et christianum. Dresd. 1749. 4.
Grotefend, F. A. L. A., doctrina Platonis ethica cum christiana ita comparata, ut utriusque tum consensus tum dissensus exponatur. Gotting. 1820. 4.
Hoppe, E. A. D., principiorum doctrinae de moribus stoicae et christianae collatio. Viteb. 1799. 4.
Hüpeden, L. P., doctrina de amore inimicorum christ. comparata cum ea, quae in nonnullis V. T. locis et in libris philosophicis Graecorum et Romanorum traditur. Gotting. 1817. 4.

Klippel, G. H., doctrinae Stoicorum ethicae atque christianae expositio et comparatio. Gotting. 1823. 4.
Meyer, J. C. F., doctrina Stoicorum ethica cum christiana comparata. Gotting. 1823. 8.
Müller, D., de Epicteti christianismo. Chemn. 1724. 4.
Perlet, C. G., dictaminum Stoicorum et Christianorum comparandorum specimen I—II. Erf. 1799. 4.
Pichler, Caroline, die Stoa und das Christenthum. Wien. 1822. 8.
Stäudlin, C. F., de religionis lamaicae cum christiana cognatione. Gotting. 1808. 4.
Stallbaum, G., doctrina de Deo platonica et christiana inter se comparata. Lips. 1838. 4. X
Strauch, Ag., de christianismo Senecae. Viteb. 1668. 4.

Albinus, J. H., analysis Plinii epp. X. 97. Viteb. 1693. 4.
Ammon, C. F., in Suetonii Claud. c. 25. Erlang. 1813. 4.
Bornmeister, S., de erroribus historicorum in rebus sacris recensendis. Suob. 1688. 4.
Buttstedt, J. A., C. Suetonius Tranq., testis veritatis religionis christ. Ger. 1780. 4.
Cleemann, A. C., de Luciano, christ. veritatis teste. Drésd. 1753. 4.
Colonia, Domin. de, la religion chretienne autorisée par le temoignage des anciens auteurs payens. Lyon. 1718. 4.
Crophe, P. J., res S. S. in scriptoribus gentilibus obviae. Jen. 1722. 4.
Cuper, G., de Chresto Suetonii; in ejsd. lettres de critique p. 508 ss.
Eckhard, T., non-Christianorum de Christo testimonia. Quedlinb. 1725. 4; rec. 1736. 4.
Foertsch, N. A., hist. eccl. christ. antiquissima, selectis class. latin. locis illustrata. Herbip. 1804. 8.
Fronmüller, die Beweiskraft der Zeugnisse nicht-christl. Schriftsteller des 2. Jahrh. über die Geschichte Jesu; in d. Studien der württemb. Geistlichkeit. 1838. 10. 1.
Glaesener, J.M., de testimoniis Judaeorum pro veritate rel. chr. caute allegandis; in parerg. Gotting. 1. 3.
Guibertus, A., testimonia auctorum ethnicorum de Christo et iis, quae illius adventu et crucis tempore in coelo et terra mirabiliter facta sunt. Lugd. Bat. 1561. 4.
Heumann, C. A., de Chresto Suetonii. Jen. 1709. 4; repet in ejsd. sylloge dissertt. 1. p. 536.
Hilscher, P. C., de Chresto, cujus mentionem Suetonius facit. Lips. 1798. 4.
Koecher, J. C., historia Jesu Christi ex scriptoribus profanis eruta. Jen. 1726. 4.
Mücke, J. H., de rebus Christianorum testimonia ex Luciano. Lips. 1788. 4.
Müller, D., testimonia gentilium de Christo. Lips. 1698. 4.
Pezron, P., hist. evang., per jud. et romanam confirmata. Par. 1696. 12.
Ryden, C., vestigia S. S. in profanis auctoribus reperta. Lund. 1790. 4.
Schleusner, C., de gentilismo Messiam incarnandum ludificante. Lips. 1703. 4.
Seelen, J. H. a., de veritate rel. christ. ex profanis scriptt. caute confirmanda. Lubec. 1722. 4.
Tzschirner, H. G., graeci et romani scriptores cur rerum christ. raro meminerint? I—III. Lips. 1824—25. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 283—309.
Velthusen, J. C., antiquissima scriptorum a sacris christ. alienorum testimonia, hist. evang. veritatem confirmantia. Helmst. 1779. 4.
Walch, F. C. W., explicatio rerum christ. apud Lucianum de morte Peregrini; in nov. commentatt. soc. Gotting. 8. p. 1 ss.
Walter, J. A., codex in Suida mendax de Jesu. Lips. 1724. 4.
Witsius, H., Judaeus christianizans. Lugd. Bat. 1659. 4.
Zeibich, H. A., Lucianus, Christi redemtoris testis. I—II. Gerae. 1762. 4.

Zobel, N. E., cacozelia gentium in doctrinis de generis humani origine nec non resurrectione mortuorum. Altorf. 1737. 4.

Baier, J. G., de propagatione fidei per vim armorum, a praxi eccl. christ. aliena. Jen. 1686. 4.
Beer, M., Fortpflanzung des Evangelii. Nürnb. 1654. 12.
Bret, J. F. le, de suspectis rel. christ. commendandi modis. Tub. 1788. 4.
Buddeus, F., de statu ecclesiarum apostolicarum. Jen. 1720. 4; rep. in ejsd. miscell. sacr. 2. p. 215 ss.
Carpzovius, J. B., de septem Asiae ecclesiis. Lips. 1698. 4.
Christiani, W. E., de eo, quod divinum est in propagatione evangelii. Kil. 1766. 4.
Frommann, E. A., de relig. christ., omni climati accommodata. Cob. 1764. 4; repet. in ejsd. opusc. p. 595—612.
— de Judaeorum per orbem dispersione, religionis christ. inter gentes olim propagandae magno adjumento. Cob. 1766. 4; rep. in ibid. p. 470—501.
Gedicke, L., de divina propagatione rel. christ. sub cruce. Hal. 1708. 4.
Hoffmann, J. G., ruina superstitionis paganae. Viteb. 1738. 4.
Gude, G. F., de felici chr. rel. propagatione per conjugia. Lips. 1726. 4; rep. in ejusd. Paganus laudator etc. p. 144—192.
Kneschke, J. G., de religione christ., a sexu muliebri per connubia propagata. I—XI. Zittav. 1817—24. 4.
Liebeherr, B., de propagatione fidei per ferrum et flammas. Lips. 1720. 4.
Lindgren, M., de propagatione religionis christ. sub ethnicis imperatoribus. Upsal. 1720. 4.
Rechenberg, A., de propagatione relig. violenta. Lips. 1671. 4.
Sartorius, C. F., admiranda religionis christ. propagatio, veritatem ejus probans. Tub. 1768. 4.
Schmid, J. A., de modo religionem propagandi per carmina. Helmst. 1710. 4.
Schmidlin, J. C., de admirabili rel. christ. propagatione. Tubing. 1768. 4.
Stosch, E. H. D., de argumento divinae originis relig. christ. a propagatione ejus. I—III. Frcft. ad V. 1767—69. 4.
Tzschirner, H. G., de religionis christ. per philosophiam graecam propagatione. Lips. 1827. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 329—340.
Voetius, G., de plantationibus ecclesiarum; in ejsd. sel. disputt. theol. 2. p. 552 ss.
Zachariae, G. T., de propagatione relig. armata. Hal. 1752. 4.

Anton, V., veritas christ. rel. ipsis Judaeorum obtrectationibus confirmata. Hal. 1718. 4.
Baer, J. D., de Judaeorum in Christianos hostilitate. Lips. 1700. 4.
Börner, C. F., de hostibus rel. christ. internis atque domesticis. Lips. 1734. 4.
Bücher, J., cur Christianorum conventus paganis adeo fuerint invisi. Viteb. 1767. 4.
Buddeus, J. F., de veritate relig. christ., philosophorum gentilium obtrectationibus confirmata. Jen. 1711. 4; rep. in ejsd. miscell. sacr. 1. p. 328—380.
Cyprian, E. S., expenditur illud Tertulliani: haereticorum patriarchae philosophi. Helmst. 1799. 4.
Englert, J., de gentili teste veritatis. I—II. Lips. 1710. 4.
Falster, C., de meritis gentilium in ecclesiam Dei; in ejusd. amoenitatt. philolog. 1. 13.
Friederici, J. C., philosophi gentiles controversae fidei in vetere Christi ecclesia arbitri. Lips. 1723. 4.
Grape, Z., de calumnia ono-et chorolatriae, Judaeis et Christianis olim adspersa. Lips. 1696. 4.
Gruner, J. F., de odio humani generis Christianis olim a Romanis objecto. I—III. Cob. 1755. 4.
Gude, G. F., Paganus Christianorum laudator et fautor. Lips. 1741. 4.

Gude, G. F., de causis odii paganorum in Christianos; ins. ejsd. Pagano Christ. laud. praef. p. III—XX.
Hardt, H. v. d., de virtutibus priscorum Christianorum a posteris imitandis. Helmst. 1723. 4.
Hasaeus, T., de onolatria, a gentilibus olim Judaeis et Christianis impacta. Erf. 1716. 4.
Huldricus, J. J., de calumniis a gentilibus in primaevos Christianos sparsis; in ejsd. Gentilis obtrectator. Tigur. 1744. 4.
Keil, C. A. G., de causis alieni Platonicorum recentt. a religione christ. animi. Lips. 1785. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 391—438.
Kniberg, A. F., praecipuae rationes, quibus relig. chr. contra ethnicos ante Constantinum M. defendebatur. Lund. 1819. 4.
Koch, C. N., de philosophis gentilibus christ. religionem impugnantibus. Jen. 1746. 4.
Kortholt, C., de calumniis paganorum in veteres Christianos sparsis. Kil. 1668. 4.
— de origine et natura christianismi ex mente gentilium. Ibid. 1672. 4.
— de vita et moribus Christianis primaevis per gentilium malitiam adflictis. Ibid. 1683. 4.
— de atheismo veteribus Christianis ob templorum aversationem a gentilibus objecto. Ibid. 1689. 4.
— de nominibus, quibus per ludibrium Christiani olim a profanis sunt appellati. Ibid. 1693. 4.
— de philosophia orientali primis p. Ch. n. seculis ecclesiam christ. turbante. Lips. 1733. 4.
Kreyssig, J. G., de scriptoribus sec. II., qui novam religionem impugnarunt vel impugnare creduntur. Misen. 1845. 4.
Lindner, J. G., de ονολατρεία Christianis objecta; exc. ad Minuc. Felic. p. 314 ss.
Löscher, C., de objectionibus Christianis de cruce et crucifixo ab ethnicis factis. Viteb. 1696. 4.
Morinus, St., de calumnia gentilium, caput asininum esse Christianorum Deum; in ejsd. diss. p. 282 ss.
Mosheim, J. L., de turbata per recentiores Platonicos ecclesia. Helmst. 1725. 4; rep. in ejsd. dissertt. ad hist. eccl. 2. p. 90 ss.
Münnich, J. A., de nominibus quibusdam contumeliosis, quae Christianis olim a gentilibus imposita sunt. Lips. 1690. 4.
Nevè, J. W. de, de Epicureorum et Stoicorum Christianismo intentatis convitiis. Fcft. ad V. 1708. 4.
Overkampf, G. W., de Judaeis, primariis christ. nominis hostibus. Jen. 1736. 4.
Pfeiffer, A., calumniarum judaicarum in Christum et Christianos e scriptis talmudicis recensio; in ejsd. mataeologia jud. 5.
— an haereticorum patriarchae philosophi? ex Tertulliani adv. Hermogenem ad Col. 2, 8. Lips. 1705. 4.
Quasius, A., causae calumniarum, quas pagani in Christianos coniecerunt. Viteb. 1703. 4.
Rechenberg, A., de atheismo Christianis olim a gentilibus objecto. Lips. 1681. 4.
Roesler, C. F., de origine philosophiae ecclesiasticae. Tub. 1781. 4.
— de commentitiis philosophiae Ammonianae fraudibus et noxis. Tub. 1786. 4.
Tiemeroth, J. H., de Judaeorum in rebus Christianorum publicis tolerantia. Erf. 1703. 4.
Wormius, C., de veris causis, cur delectatos humanis carnibus et promiscuo concubitu Christianos calumniati sint ethnici. Hafn. 1695. 4.
Zeibich, H. A., de Christianis Serapim colentibus. I—II. Ger. 1766—67. 4.
Zimmermann, J. J., de Stoicorum et Epicureorum religioni christ. intentatis conviciis; ad J. J. Huldrici ἄσμα κύκνειον. Turic. 1731. 4.

*

Bindemann, C. W. J., üb. Celsus u. seine Schrift gegen die Christen; in Illgen's Zeitschr. f. hist. Theol. 12 Bd. (1842) 2. S. 58—146.
Fenger, J. F., de Celso, Christianorum adversario, Epicuraeo. Havn. 1828. 8.
Jachmann, C. R., de Celso philosopho. Regiom. 1836. 4.
Kühn, J. S., de Celsi σκωλήκων ἐλπίδι. Hal. 1775. 4.
Philippi, C., de Celsi philosophandi genere. Berol. 1836. 4.

*

Eichstädt, H. C. A., Lucianus num scriptis suis adjuvare relig. christ. voluerit. Jen. 1820. f.
Germar, J. C. S., symbolae ad Luciani librum de morte Peregrini rectius aestimandum. Thorun. 1789 f.; rep. in ejsd. meletemm. Thorun. p. 49—78.
Gesner, J. M., de Philopatride, Luciani dialogo. Lips. 1730. 4.
— de aetate et auctore dialogi Luciani, qui Philopatris inscribitur; in opp. Luciani 3. p. 708—33 ed. Reiz.
Kelle, C. G., Luciani Philopatris, rerum Christi sub Marco Aurelio et patronus et irrisor; in Rosenmüller et Fuldner commentatt. theol. 1. 2. p. 215—67.
Krebs, J. T., de malitioso Luciani consilio relig. christ. scurrili dicacitate vanam et ridiculam reddendi; in ejsd. opusc. p. 308 ss.
Kühn, H., Lucianus a crimine librorum ss. irrisorum liberatus. Grimmae 1844. 4.
Peucer, D., de maledictis Lucianeis in Christum ejusque apostolos. Lips. 1742. 4.
Treuner, J., de Luciani theologia. Jen. 1697. 4.

*

Freytag, F. G., de Porphyrii philosophi de innocentia Servatoris testimonio. Numb. 1729. f.
Siber, U. G., de apostasia Porphyrii Tyrii vera; in Miscell. Lips. 1. p. 305 ss.

*

Hebenstreit, G. E., de Jamblichi, philosophi Syri, doctrina, christ. religioni, quam imitari studet, noxia. Lips. 1764. 4.

*

Berger, J. W., de Libanio. I—VI. Viteb. 1696—98. 4.
Petersen, A., de vita Libanii. Hafn. 1827. 4.

*

Heyne, C. G., censura ingenii et morum Q. Aurel. Symmachi. Gotting. 1801. f.; rep. in Matthiae miscell. philol. I.
Hofmann, C. F., de ara Victoriae imperatoribus christianis odiosa. Viteb. 1759. 4.
Schmieder, B. F., des Symmachus Gründe fürs Heidenthum und des Ambrosius Gegengründe. Halle 1790. 8.

*

Schmieder, B. F., de Themistio, tolerantiae patrono. Hal. 1789. 4.

Balduinus, F., ad edicta vett. principum roman. de Christianis. Hal. 1727. 4; rep. in J. G. Heineccii jurispr. rom. I. p. 1374 ss.
Crause, J., de Romanorum imperatoribus haereticis. Ziz. 1674. 4.
Hebenstreit, P., de primis christianis imperatoribus. Jen. 1702. 4.
Heineccius, J. M., de ministris Caesarum gentilium christianis eorumque in ecclesiam meritis. Hal. 1712. 4.
Heumann, C. A., de Theophilo, cui Lucas historiam sacram inscripsit; in bibl. Brem. 4. p. 483 ss.
Hirt, J. F., de imperatorum ante Constantinum M. erga Christianos favore. Jen. 1758. 4.
Koepke, G. G. S., de statu Christianorum sub impp. rom. alt. p. Chr. seculi. Berol. 1828. 4.
Kortholt, M. N., de primo principe christiano et coelestis lucis creperae, clarae, in domo Augusta exortu. Hal. 1705. 4.

Levyssohn, D. H., de Judaeorum sub Caesaribus rom. conditione et legibus ad eos spectantibus. Lugd. B. 1828. 8.
Osiander, J. A., de Theophilo κρατίστῳ. Tubing. 1659. 4.
Rechenberg, A., de concordia imperii et christianismi. Lips. 1689. 4.
Rüdiger, S. F., de statu et conditione paganorum sub impp. post. Constantinum. Vratisl. 1825. 8.
Schelgvig, G., de Theophilo. Ged. 1711. 4.
Seelen, J. H. a., de Caesaribus romanis in N. T. diserte nominatis. Lubec. 1742. 4.
Stoltze, J. G., vindiciae Theophili evangelici. Viteb. 1693. 4.
Sylva, J., de roman. principum et vett. Ictorum in Christianos odio. Paviae 1781. 8.
Thorlacius, V., de romanorum, qui relig. christ. nomen dederant, imperatorum pontificatu maximo; in ejsd. opusc. (Hafn. 1812. 8.) 2. Nr. 10.

*

Hasse, J. G., Augustus Christi nascituri forsan non ignarus. Regiom. 1805. 4.
Hering, J. T., de duobus impp. Rom. Augusto et Tiberio, titulum Domini reformidantibus, temporibus Domini nostri Jesu Christi, sub forma servi in hoc mundo degentis. Stettin. 1727. 4.
Köber, J. F., an Caesari Augusto quidquam de nativitate Christi innotuerit? Ger. 1669. 4.
Sperling, P. G., utrum natalis Christi Augusto etiam innotuerit? Viteb. 1703. 4.
Zeibich, H. A., de ficta Caesaris Augusti in Servatorem pietate. Gerae 1718. 4.
— ob Virgil im vierten Hirtengedicht von Christo geweissagt habe? in dess. verm. Beitr. 1, 3.
Zorn, P., an ex eo, quod Augustus et Tiberius Domini nomen exhorruerunt, Christi divinitas probetur et defendatur; in ejsd. opusc. II. p. 481—504.

*

Braun, J. W. J., de Tiberii Christum in Deorum numerum referendi consilio. Bonae 1834. 8.
Greve, A., Tertulliani testimonium de ἀποθεώσει Christo a Tiberio decreta defensum. Viteb. 1722. 4.
Hasaeus, T., de decreto Tiberii imp., quo Christum referre voluit in numerum Deorum. Erf. 1715. 4.
Kortholt, M. N., de apotheosi Christi a Tiberio flagitata. Giess. 1707. 4.
Quell, C. F., de apotheosi Christo a Tiberio decreta. Fridericost. 1762. 4.
Sultzberger, J. J., de ἀποθεώσει Christi. Lips. 1687. 4.

*

Schnéckenburger, M., de falsi Neronis fama e rumore christiano orta. Bernae 1846. 4.

*

Eckhard, J. F., de Vespasiano pro Messia habito, veri Messiae teste. I—II. Isen. 1759. 4.
Kuntschke, J. G., de sic dictis Vespasiani miraculis. Viteb. 1711. 4.

*

Kelle, C. G., Nervae numus auferens, quos alebat Barnabae epistola, seditiosos spiritus. Freibergae 1822. 4.

*

Bach, J. A., de legibus Trajani. Lips. 1747. 4.
Cellarius, C., de Trajani, Antonini et Sept. Severi acerbiore in Christianos affectu; in ejsd. programm. p. 300—8.
Preuser, P., de Trajano imp., precibus Gregorii M. ex inferno liberato. Lips. 1770. 4.
Sandini, A., de precibus Gregorii M. pro Trajano; in ejsd. disputt. ad vitas pontiff. 16.

*

Feuerlin, J. C., de Adriani imp. eruditione. Altorf. 1743. 4.

Galthen, W., de Hadrianeis, Christo ab Hadriano destinatis. Hafn. 1706. 4; rep. in Martini thes. dissertt. 3, 1. p. 89.
Schmid, J. A., de templis ab Hadriano in honorem Christi exstructis; in ejsd. hist. sec. II—III. fabulis variorum maculata. p. 52 ss.
Woog, C. C., de eruditione Hadriani. Lips. 1769. 4.

*

Eichstädt, H. C. A., exercitationes Antoninianae I—VI. Jen. 1821 ss. f.
Haffner, J., de edicto Antonini Pii pro Christianis ad commune Asiae. Argentor. 1781. 4.
Hegelmaier, T. G., comment. in edictum imp. Antonini pro Christianis. Tub. 1776. 4.
Schurzfleisch, C. S., de primis duobus Augustis M. Aur. Antonino et L. Aurelio Vero. Viteb. 1702. 4.
Westenberg, J. O., ad constitutionem M. Aur. Antonini imp. Lugd. B. 1726. 4.
Wolle, C., de δεισιδαιμονίᾳ Antonini. Lips. 1730. 4.

*

Köhler, J. D., de philosophia M. Aurelii Aug. Altorf. 1717. 4.
Meiners, C., de M. Aurelii Antonini ingenio et moribus; in commentatt. soc. Gott. 6. p. 117 ss.
Moyle, G., discourse to prove M. Antoninus a persecutor; in theol. repository I.; deutsch im brit. theol. Magaz. 2. S. 705—56.
Walch, C. F. W., de religione M. Aurelii imp.; in act. soc. Jen. 1. p. 209 ss.

*

Baumgarten, G. J., examen miraculi legionis fulminatricis. I—III. Hal. 1740. 4.
Beyer, C., de legione Christianorum fulminatrice. Lips. 1759. 4.
Boysen, P. A., de legione fulminatrice. Helmst. 1719. 4.
Crug, S., de legione fulm. Christianorum. Franequ. 1689. 4.
Crusius, C., de M. Aurelii victoria, precibus Christian. impetrata. Viteb. 1755. 4.
Duncker, J. G., de legione fulminatrice Christianorum. Rint. 1746. 4.
Frick, J., de legione fulminatrice. Lips. 1696. 4; rep. in ejsd. meletem. p. 539—67.
Gregor, J. F., d. Wunder d. donnernden Legion d. Christen. Laub. 1751. 4.
Jablonski, P. E., de miraculo legionis fulminatricis; in misc. Lips. nov. 8, 3. p. 417 ss.
Köber, J. F., de legione fulm., an et quousque τοῖς ἔξω cognita fuerit. Ger. 1684. 4.
Larroquanus, D., de miraculo legioni fulminatrici adscripto; in M. Larroquani advers. sacr. p. 553 ss.
Mosheim, J. L., de miraculo, quod legio fulm. olim fecisse dicitur, disceptatio inter G. Moylium et P. Kingium; in syntagm. dissertatt. ad sanctiores discipl. pert. p. 621 ss.
Seelen, J. H. a., de tonitru, existentiae Dei teste. Lubec. 1722. 4; rep. in ejus miscell. p. 81 ss.
Whiston, G., de miraculosa liberatione exercitus Marci Antonini per preces Christianorum. Lond. 1726. 8.
Witsius, H., de legione fulminatrice Christianorum; in ejsd. Aegyptiacis. p. 429 ss.
Woolston, Th., defensio miraculi legionis fulminatricis. Lond. 1726. 8.

*

Berger, J. W., de honore singulari, quem Christo habuit Alexander Severus. Viteb. 1744. Fol.
Heyne, C. G., de Alex. Severo, religiones miscellas probante; in ejsd. opusc. 6. p. 169 ss.
Jablonski, P. E., de Alex. Severo, Christianorum sacris per Gnosticos initiato; in misc. Lips. nov. 4. p. 57 ss.; rep. in opusc. 4. p. 38 ss.

*

Horn, T., de Philippi Arabis Aug. fide christiana. Gryph. 1693. 4.

Kortholt, C., de Philippi Arabis, Alexandri, Mammaeae, Plinii jun. et Senecae praeter rem jactato christianismo. Kilon. 1667. 4.
Neumann, J. G., de Philippo Arabe, primo, ut videtur, Christianorum imperatore. Viteb. 1684. 4; rep. in ejsd. primit. dissertatt. p. 53—110.
— de Philippo Arabe. Viteb. 1699. 4.
Sebbelow, H. O., de pseudomeno Philippi Arabis christianismo. (s. l.) 1706. 4.
Spanheim, F., de Philippi, patris et filii impp. temere credito christianismo; in ejsd. opp. 2. p. 405 ss.
Vincentius, F. T., de religione utriusque Philippi. Rom. 1747. 4.

*

Maciejowski, W. A., de vita ac constitutionibus Decii; in ejusd. opusc. (Varsov. 1823. 8.) p. 1 ss.

*

Boguslawsky, C. A. v., Diocles. Berlin 1817. 8.
Gudmansen, E., vindiciae Diocletianae. Havn. 1793. 4.

Airenti, Gius., ricerche intorno alla toleranza religiosa degli antichi Romani. Genua 1814. 8.
Andreae, A., διωγμογραφία sacra s. persecutionum sacrr. theoria et praxis. Fcft. ad V. 1699. 4.
Benckendorf, H., kurzgef. Historie v. d. zehn Hauptverfolgg. d. Christen. (Auch u. d. Tit.: Marterstand der ersten Christen.) Leipz. 1770. 1712. (1727. 1732. 1773.) 8.
Bynkershoek, C. van, de cultu religionis peregrinae apud veteres Romanos; in opusc. 1. p. 341 ss.
Chevallier, P. A., de vexationibus, quas Christiani sub imperatt. perpessi sunt, ex lege Julia majestatis maxime derivandis. Groning. 1776. 4.
Cotta, J. F., de causis crescentis christianismi inter persecutiones. Tubing. 1758. 4.
Gehe, C., (praes. V. Alberti) vana persecutionum verae ecclesiae persuasio ad Joh. 16, 2—3. Lips. 1687. 4.
Hagenholtz, P. H., de vexationibus, quas passi sunt Christiani sub rom. imperio ante Constantinum Magnum; in annall. Acad. Rheno-Traj. 1817—18.
Hebenstreit, J. C., de Judaeo Roma exule. Lips. 1714. 4.
Kortholt, C., de persecutionibus ecclesiae primitivae. Jen. 1688; locupl. Kil. 1689. 4; deutsch Rost. 1674, 12. Hamb. 1698. 8.
Martini, C. D. A., persecutiones Christianorum sub. impp. rom., causae earum et effectus. I—III. Rost. 1802—3. 4.
Meisner, J., de persecutionibus et martyriis Christianorum vett. Viteb. 1654; 1670; 1692. 4.
Münter, F., Geschichte der Verfolgungen d. ältesten Kirche; in d. wissenschaftl. Verhdlgg. der Seeländ. Geistlichkeit I. 3. S. 490—537; II. 1. S. 35—67; 2. S. 181—207; III. 1. S. 82—106.
Papst, J. G. F., de ipsorum Christianorum culpa in vexationibus motis a Romanis. I—II. Erlang. 1789—90. 4.
Quell, C. F., de persecutionibus universalibus. Dresd. 1762. 4.
Quenstedt, J. A., de persecutione verae ecclesiae. Viteb. 1626. 4.
Rönsch, J. C. G., de vi et efficacia verae fidei in perpessionibus fidelium manifestata. Neostad. 1781. 4.
Rosenberg, J., de persecutionibus primitivae ecclesiae. Budiss. 1687. 4.
Stosch, E. H. D., de causis persecutionum a Romanis contra Christianos excitatarum. I—II. Fcft. ad V. 1755. 4.
Stubenrauch, S. E. T., de vera indole ac causis calamitatum, quibus sec. I. et II. p. Ch. n. afflicti sunt Christiani. Hal. 1768. 4.
Walch, C. W. F., de persecutionum christ. apud Romanos causis non solum politicis sed etiam religiosis; in commentatt. soc. Gotting. 2. p. 305 ss.
— de Romanorum in tolerandis diversis religionibus disciplina publica; ibid. 3. p. 1 ss.

*

Cellarius, C., de prima Christianorum persecutione. Hal. 1694. 4.
— de Neronis in rempublicam et ecclesiam saevitia. Hal. 1703. 4; rep. in ejsd. dissertatt. acad. p. 602—22.
Quell, C. F., de persecutione Neroniana. Fridericost. 1762. 4.
Vignoles, A. des, du tems précis de la persecution suscitée contre les Chrétiens par l'empereur Neron; in Ph. Masson hist. crit. de la repùblique des lettres 8 p. 74 ss.; 9. p. 172 ss.; 10. p. 328 ss.
Walch, J. E. J., marmor hispan. antiquum, vexationis Christ. Neronianae insigne documentum, illustratum. Jen. 1750. 4.
— persecutionis christ. Neronianae in Hispania uberior explanatio. Jen. 1753. 4.

*

Quell, C. F., de persecutione Domitiani. Fridericost. 1763. 4.

*

Haversaat, A. C., Vertheidigung der Plinischen Briefe üb. die Christen. Götting. 1788. 8.
Held, J., prolegomena ad epistolas, quas mutuo sibi scripsisse Plinius et Trajanus Caes. viri docti credunt. Schweidn. 1835. 4.
Heumann, C. A., de persecutione Christianorum Pliniana; in syll. dissertatt. 1. p. 119 ss.
Kirchmaier, G. C., de cognitione et poenis Christianorum sub Trajano. Viteb. 1693. 4.
Petit, S., de anno, quo Trajanus persecutionem in Christianos movit; in ejsd. var. lectt. 4. p. 152 ss.
Tesmar, J., processus gentilium in Christianos sub Trajano Caes. institutus et illustratus. Marb. 1681. 4.

*

Mosheim, J. L., de initio persecutionis Christianorum sub Severo. Helmst. 1724. 4.

*

Ueber die dem Kais. Decius zugeschriebene Christenverfolgung im 3. Jahrh.; in d. Berl. Monatsschr. v. J. 1795. Juni. S. 478 ff.

*

Brou, J. de, de initiis persecutionis Diocletianeae. Avar. Bit. 1676. 4.
Burmann, F., de Diocletianea persecutione; in Kappii oratt. sel. clariss. viror. (Lips. 1722.) p. 383 ss.
Gaudentiis, A. Benbellona de, ad edictum imp. Diocletiani de malef. et Manichaeis, quod in Christianos scriptum est. Serv. 1602. 4.
Walch, J. E. J., Christianorum sub Diocletiano in Hispania persecutio. Jen. 1751. 8.

*

Frommann, E. A., de philosophis a Licinio imp. excruciatis. Cob. 1763. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 613—31.

*

Schwarzfleisch, C. G., de non-christiano Christianorum fautore Constantio Chloro. Viteb. 1702. 4.

*

Arendt, W. A., üb. Constantin u. s. Verhältniss zum Christenthume; in Tub. Quartalschrift v. 1834. 3.
Balduinus, F., Constantinus Magnus s. de legibus Const. ecclesiasticis et civilibus. Basil. 1556; rec. Hal. 1727. 8.
Bilmark, J., de christianismo Constantini M. Abo. 1798. 4.
(Buchholz, S.,) Constantin d. Grosse in seiner wahren Gestalt. Berl. 1712. 8.
Cellarius, C., de vera causa, cur Const. M. sedem Roma Byzantium transtulerit. Ziz. 1686. 4.
— de Constantino Magno; in ejsd. programm. p. 470—77.

Chiffletius, P., de loco et tempore conversionis Const. M. ad fidem christianam. Par. 1677. 12.
Ciampini, J., de sacris aedificiis a Const. M. exstructis. Rom. 1693. 4.
Denkschrift zur Ehrenrettung Const. d. Gr.; in Hug Zeitschrift (1829.) 3. S. 1—104.
Dieze, J. A., de imperii administrandi forma a Const. M. recte atque sapienter mutata. Lips. 1752. 4.
Diefenbach, M., primi Christianorum imperatoris antiquitates. Viteb. 1679. 4.
Drasdo, J. G., de sorte rei christ. sec. IV. caute judicanda. Viteb. 1782. 4.
Flacius, Ill., de translatione imperii Romani. Basil. 1566. 8.
Frick, J., de fide Const. M. haud dubie christiana. Ulm. 1713. 4; rep. in ejsd. meletemm. p. 21.
Frommann, E. A., de codicibus sacris jussu Const. M. ab Eusebio adornatis. Cob. 1759; rep. in ejsd. opusc. p. 303—23.
Hofmann, C. F., de Constantini M. sepulcro. Lips. 1759. 4.
Helmke, F. F. J., de Const. vita et legibus ex ipsis fontibus repetita. Hal. 1823. 4.
Hoier, J. C., quae Const. M. favoris in Christianos fuerint causae. Jen. 1768. 4.
Holst, C. M., de christianismo Const. M. Hafn. 1774. 4.
Kirchmaier, G. C., de Const. M., maximorum criminum postulato, sed potiori parte absoluto. Viteb. 1698. 4.
Kist, N. C., de commutatione, quam Constantino M. auctore societas subiit christiana. Traj. ad Rh. 1818. 8.
Lentner, G. C., de Const. M. non ex rationibus politicis christiano. Jen. 1714. 4.
Lorenz, J. M., de transitu Const. M. ad sacra christiana. Argentor. 1757. 4.
Martini, C. D. A., üb. d. Einführung d. chr. Religion als Staatsreligion im röm. Reiche durch K. Constantin. München 1813. 4.
Ongaroni, Fr., de moribus et religione Const. M. Mediol. 1778. 4.
Petermann, J., Const. M., imperator romanus, discursu historico-politico exhibitus. Jen. 1650. 4.
Rosenberg, J., de Const. M. erga ecclesias et scholas munificentia. Budiss. 1711. fol.
Schröder, J. H., legenda vetusta Suecana S. Helenae, matris Constantini Caesaris. Holm. 1745. 8.
Schurzfleisch, C. S., quae sit vera origo imperii romano-christiani; in ejsd. controv. XXXV.
Struve, B. G., de Const. M., ex rationibus politicis christiano. Jen. 1713. 4.
Thomasius, C., fabulae de parentibus Const. M.; de ejus christianismo; fides scriptorum vita Constantini M.; in obss. select. ad rem literar. (Hal. 1700. 8.) 1. p. 370—440.
Vedelius, N., de episcopatu Constantini M. Delph. 1661. 4.
Vogt, J., de patria Const. M. Viteb. 1716. 4.
— historia literaria Const. M. Hamb. 1720. 8.
Weidener, J. J., Const. honeste et ex legitimo matrimonio natus. Rost. 1703. 4.
— Const. M. superatis juventae discriminibus legitimus tandem patris Constantii successor. Rost. 1702. 4.

*

Grossgebauer, P., (Vimar. 1709. 4.) Moller, D. G., (Altorf. 1696. 4.) de labaro Constantini Magni.

*

Fuhrmann, M., de baptismo Const. M. Rom. 1742. 4.
Gualther, B., de imp. Const. M. baptismo, donatione et legatione ad conc. Nicaenum. Jen. 1618. 4.
Nicolai, J., de Const. baptismo: ubi, quando et a quo fuerit celebratus. Par. 1690. 12.

Tentzel, W. E., examen fabulae romanae de duplici baptismo Const. M. Viteb. 1683. 4; rep. in ejsd. exercitt. 1. p. 299 ss.

*

Münch, E., üb. d. erdichtete Schenkung Constantins; in dess. hist. Schriften 2. S. 183–295.

*

Withof, F. T., de ficta Const. M. lepra. Ling. 1767. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 197–212.

*

Schmid, J. A., de donatione Const. M., Sylvestro Papae facta, explosa. Helmst. 1661. 4; rep. in ejsd. pentas dissertatt. (Helmst. 1716. 4.) Nr. 2.
Valla, Laur., de ementita et falso credita Const. M. donatione; ins. O. Gratii fasciculo rerum expetendarum (Colon. 1535. fol.) et S. Schardii syntagm. tractatuum de imperii jurisdictione; rec. per Ulr. de Hutten 1517. 4.

Baring, J., de signo crucis a Const. viso. Hannov. 1645. 8.
Berger, J. W., de Const. M. viso coelesti. Viteb. 1741. 4.
Fabricius, J. A., de cruce Const. M. Hamb. 1706. 4; rep. in ejsd. bibl. graec. 6. p. 703 ss.
Heumann, C. A., de cruce coelesti a Const. M. conspecta; in ejsd. poecilè 2, 50.
Jacutii, M., syntagma, quo apparentis Const. M. crucis historia complexa est. Rom. 1755. 4.
Rettig, H. C., de cruce a Const. M. visa; in Reuss ephem. exeg.-theol. symb. 3. p. 6–12.
Schmid, J. A., de luna in cruce visa. Jen. 1681. 4.
Thyme, M., de signo crucis et de historia, qua imp. Const. M. signum crucis apparuisse fertur. Budiss. 1711. fol.
Weidener, J. J., Const. M. signo crucis Christi in nubibus viso ad christianismum inauguratus. Rost. 1703. 4.
Wernsdorf, J. C., de viso Const. M.; in Stosch mus. crit. 2, 2. p. 131 ss.
Wolf, J. C., de visione crucis Const. M. Viteb. 1707. 4; rep. in Oelrichs Germ. liter. opusc. 2. p. 303 ss.

*

Schmid, J. A., de paschate Const. M. Helmst. 1710. 4.
Weickhmann, S., de consecratione templi Hierosolym.-Constantiniana. Viteb. 1770. 4.
Wernsdorf, E. F., de Const. M. religione paschali. Viteb. 1768. 4.
— hist. templi a Const. M. propter locum morientis et resurgentis Christi conditi. Viteb. 1770. 4.

(d'Argens) défense du paganisme par l'empereur Julien. Berl. 1764. 8.
Conz, C. P., Julians Leichenbegängniss; in dess. kl. pros. Schriften (Tübing. 1821.) 2. S. 256–63.
Cramer, J. A., üb. d. Versuch Julians, d. verfallene Heidenthum wieder herzustellen; in der Fortsetz. zu Bossuet 3. S. 404 ss.
Crichton, W., üb. Kaiser Julians Abfall. Halle 1765. 8.
Eckhard, J. F., de elegantiorum litterarum studiis inter Christianos tempore Juliani. Isen. 1764. 4.
Einert, C. G., commentatt. ad constitutiones Juliani imp. I–II. Lips. 1771. 4.
Ens, J., de persecutione Julianea. Traj. ad Rhen. 1720. 8; rep. in Kappii oratt. clar. viror. p. 379 ss.
Frenzel, F. C., starb Julian durch die Pfeile der Perser? in Augusti's theol. Monatsschr. 1. S. 368–70.
Germar, J. C. G., de inconstanti Juliani imp. adversus Christianos voluntate. Thorun. 1791. 4; rep. in ejsd. meletem. Thorun. p. 79–112.
— non adesse legem Julianeam, qua sint olim Christiani ab omni publico bonarum artium studio prohibiti. Thor. 1795. 4; rep. ibid. p. 113–46.

Gothofredus, J., de arcanis Juliani imp. artibus ad profligandam relig. christ.; in ejsd. opp. jurid. min. (ed. Trotz. Lugd. B. 1733.) p. 315—32.
Grulich, F. J., Juliani ad Arsacium de rebus Christianorum epistola, notis illustrata. Torg. 1832. 4.
Gude, G. F., de artibus Juliani paganam superstitionem instaurandi. Jen. 1739. 4; rep. in ejsd. Paganus Christianorum laudator etc. p. 207—62.
Hoiermann, A. P., edictum Juliani contra philosophos christianos. Hal. 1740. 4.
Hegewisch, D. H., üb. Kaiser Julians Schriften und Charakter; in dess. histor. u. liter. Aufsätzen. (Kiel 1801. 8.) Nr. 6.
Henke, H. P. C., de theologia Juliani, imperatoris philosophi. Helmst. 1777. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 353—79.
Holzfuss, V. G. F., (praes. J. G. Michaelis) de templi Hieros. Juliani imp. mandato per Judaeos frustra tentata restauratione. Hal. 1751. 4.
Herwerden, C. H. van, de Juliano imp., rel. christ. hoste eodemque vindice. Lugd. Bat. 1827. 8.
Heumann, C. A., de Juliani imp. voce extrema: Vicisti, Galilaee! Gotting. 1740. 4.
Hoemann, J., Julianus ex historicis genuinis vere apostata. Rost. 1703. 4.
Johnson, S., Beschreibung der Künste Julians, d. Christenthum auszurotten; a. d. Engl. v. A. Tittel. Liegn. 1748. 8.
Krebs, J. T., de argumentis pro veritate relig. christ. ex Juliani reliquiis. Grimmae 1770. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 353—77.
Lotter, J. G., historia instaurationis templi Hierosolym. sub Juliano imp. tentatae. Lips. 1728. 4.
Messerschmid, J. H., Julianus imp. scholas Christianorum occludens. Leucopetrae 1734. 4.
Mücke, G. T., de Juliano imp. scholis Christianorum infesto. Schleusing. 1811. 4.
Müller, J. S., Abhandl. vom Kaiser Julian. Hamb. 1752. 4.
Neander, A., üb. d. Kaiser Julian u. sein Zeitalter. Leipz. 1812. 8.
Pfeil, J. G., göttlich besiegter Julian. Goth. 1753. 8.
Progr. Lips. Diluuntur Juliani imperatoris objectiones. 1775. 4.
Rabener, J. G., de Juliani apostatae morte; in ejsd. amoenitatt. hist.-philologicis p. 85—91.
Rechenberg, A., de Juliani imp. apostasia. Lips. 1684. 4; rep. in ejsd. dissertatt. 1. p. 369—405.
Rosenberg, J., de Juliani imp. apostasia. Budiss. 1695. 4.
Schlosser, F. C., üb. d. Zustand des höheren Unterrichts, in den Zeiten von Julian bis Theodosius; in dessen Archiv f. Gesch. u. Literatur (Frkft. 1830. 8.) 1. S. 217—72.
Schulze, H., de Juliani philosophia et moribus. Strals. 1839. 4.
Schwarz, F. G. J., de dignitate Jesu Chr. adv. Julianum. Lips. 1778. 4.
Teuffel, W. S., de Juliano imp., Christianorum contemptore. Tub. 1844. 8.
— zur Geschichte des Kais. Julian; in Schmidt Zeitschr. f. Geschichte. Jahrg. 1845. S. 143—61; Jahrg. 1846. S. 405—39.
Warburton, W., üb. Julian's versuchten Tempelbau; deutsch von J. G. Pfeil. Gotha 1755. 8.
Wiggers, G. F., de Juliano apostata, relig. christ. et Christianorum persecutore. Rost. 1810. 4.
— Julian, Verfolger der Christen; in Illgen's Zeitschr. f. hist. Theol. 7. (1837.) S. 115—58.
Zorn, P., Juliani imperat. ad Arsacium epistola, commentar. illustrata. Sed. 1729. 4.

*

Müller, P. E., de genio et moribus aevi Theodosiani. Hafn. 1797. 8.
Stuffken, J. H., de Theodosii M. in rem. christ. meritis. Lugd. B. 1828. 8.

*

Schurzfleisch, C. S., de Justiniano orthodoxo. Viteb. 1682. 4.

Benthem, H. L., Vorstellung der Schriften der alten Kirchenlehrer von der Wahrheit der christl. Religion. Hamb. 1727. 8.
Clausen, H. N., apologetae ecclesiae christ. antetheodosiani, Platonis ejusque philosophiae arbitri. Hafn. 1817. 8.
Eisenlohr, C. F., de argumentis ab apologetis sec. II. ad confirmandam relig. chr. veritatem ac praestantiam contra gentiles usurpatis. Tüb. 1797. 4; rep. in Pott sylloge commentatt. theol. 2. p. 114—202.
Gabler, G. A., de verae philosophiae erga rel. christ. pietate. Berol. 1836. 4.
Goetze, J. M., de patrum primitivae eccl. feliciori successu in profliganda gentilium superstitione quam in confirmanda doctrina christiana. Hal. 1738. 4.
Lange, J. L. F., expositio argumentorum, quibus patres apologetici rel. christ. a culpa atheismi ei objecta defenderunt; in Illgen's hist.-theoll. Abhdlgg. 2. S. 127—213.
Rechenberg, A., de apologiis doctorum vet. ecclesiae. Lips. 1685. 4.

*

Cellarius, L. F., de Sila, viro apostolico. Jen. 1773. 4.
Dietelmaier, J. A., de Archippo. Altorf. 1751. 4.
Hausdorf, W. S., de ordinatione Timothei. Viteb. 1754. 4.
Lange, J. G., de Timotheo episcopo Ephesino minus recte asserto. Lips. 1755. 4.
Müller, L., de eloquentia Apollonis viri apostolici. Jen. 1717. 4.
Siep, J. A., Epaphroditus, Philippensium apostolus. Lips. 1741. 4.
Strohbach, J. D., de Epaphra Colossensi. Lips. 1710. 4.
Walch, J. G., de Tito, viro apostolico. Jen. 1741. 4.

*

Basch, S., de interpretatione N. T. ex patribus apostolicis. Lips. 1726. 4.
Gilse, J. van, Heyns et Junius de patrum apostolicorum doctrina morali. Lugd. B. 1833. 4.
Heyns, S. P., v. Gilse.
Ittig, Th., de patribus apostolicis; praem. ejsd. biblioth. patr. apost. Lips. 1699. 8.
Junius, F. J. J. A., v. Gilse.
Planck, J. G., anthologiae patristicae specc. I—VI. Gotting. 1833 ss. 4.
Raupach, B., obss. sacr. ex patribus apostolicis decas I II. Kil. 1711. 4.
Stäudlin, C. F., de scriptis patrum apostolic. veris et suppositiciis, historiae disciplinae morum christ. antiquioris fontibus et documentis insignibus. Gotting. 1800. 4.

*

Cyprian, E. G., de Clemente Romano evangelico.
Feuerlin, J. W., philosophemata potiora recognitionum, Clem. Rom. falso attributarum. Altorf. 1728. 4
Freudenberger, J. G., hist. recentior controversiarum de Clem. Rom. epistolis. Lips. 1755. 4.
Frommann, E. A., interpretatt. N. T. ex Clemente Rom. I—III. Cob. 1768. 4.
Rondinini, P., de S. Clemente. Rom. 1606. 4; rep. in act. eruditt. 4. p. 140 ss.

*

Brehme, E. G., de Jos. Barsaba s. Barnaba justo, viro apostolico. Leucop. 1735. 4.
Haverkorn van Rysewyk, de Barnaba. Arnhem. 1835. 4.
Hefele, C. J., d. Sendschreiben des Barnabas auf's neue untersucht. Tüb. 1840. 8.
Henke, E., de epistolae, quae Barnabae tribuitur, authentia. Jen. 1827. 8.
Puccinelli, P., vita di Santo Barnaba. Mediol. 1649. 4.
Rördam, J. C., de authentia epistolae Barnabae. Hafn. 1828. 8.

*

Gratz, A., disquisitionum in Hermae Pastorem pars I. Bonn. 1820. 4.

Torell, O. M., placita quaedam Hermae, viri, ut habetur, apostolici. Lund. 1825. 4.

*

Baumgarten-Crusius, L. F. O., de Dionysio Areopagita. Jen. 1823. 4; rep. in commentatt. theol. ed. a Rosenmüller etc. 1, 2. p. 268—308.
Engelhardt, J. G. V., de Dionysio Areopagita plotinizante. Erl. 1821. 4.
— de origine scriptorum Areopagiticorum. Ibid. 1822. 4.
Meier, G. A., Dion. Areopag. et mysticorum sec. XIV. doctrina inter se comparata. Hal. 1845. 8.

*

Beyer, C., de Ignatio, veritatis confessore et martyre. I—II. Lips. 1722. 4.
Cureton, W., vindiciae Ignatianae. Lond. 1846. 8.
Düsterdieck, F. A. C., de Ignatianarum epistolarum authentia duorumque textuum ratione et dignitate hucusque prolatae sententiae. Götting. 1843. 4.
Huther, J. E., d. wichtigsten Bedenken gegen d. Aechtheit der Ignatianischen Briefe; in Illgen's Zeitschr. f. hist. Theol. II. Bd. (1841.) S. 1—73.
Tentzel, W. E., de apophthegmate Ignatii: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Viteb. 1683. 4; rec. 1688; rep. in ejsd. exercitt. sel. 1. p. 46 ss.

*

Cruciger, C., de Polycarpi vita. Viteb. 1543. 8.
Danz, J. T. L., ecclesiae Smyrn. epistola encycl. de martyrio S. Polycarpi. Jen. 1818. 4.
Groddeck, G., de anno et die passionis St. Polycarpi. Ged. 1704. 4.
Heumann, C. A., examen fabulae de columba, ex Polycarpi rogo evolante; in bibl. Brem. 3. p. 429 ss.
Tentzel, W. E., de Polycarpo, episc. et martyre Smyrnensi. Viteb. 1684; rep. in ejsd. exercitt. sel. 1. p. 73 ss.

Derling, C. G., de Miltiade, perantiquo Christianorum defensore. Helmst. 1746. 4.

*

Bürger, C. G., antiquitas liturgiae evang. Lutheranae ex Justino M. demonstrata. Viteb. 1755. 4.
Boll, F. C., üb. d. Verhältniss der beiden Apologien Justins d. Märtyrers; in Illgen's Zeitschr. f. hist. Theol. 12. Bd. (1842.) 3. S. 3—47.
Gercken, C. C., de Justini Martyris ad rel. chr. conversione admodum memorabili. Lips. 1753. 4.
Gratianus, P. C., de Memorabilibus Justini M. historicis atque dogmaticis. Tub. 1766. 4.
Grossheim, G. D. a., de epistola ad Diognetum quae fertur Justini M. Lips. 1828. 4.
Herbig, W., de scriptis, quae sub nomine Justini circumferuntur. Vratisl. 1833. 4.
Junius, F. J. J. A., de Justino martyre apologeta. Lugd. Bat. 1836. 8.
Koch, C. G., Justini M. cum Tryphone Judaeo dialogus, secundum regulas criticas examinatus. Kil. 1700. 8.
Krom, H. J., de authentia dialogi Justini M. cum Tryphone Judaeo. Medisb. 1778. 8.
Lange, G. G., Justini M. apologia prima examinata. I—II. Jen. 1745. 4.
Münscher, W., an dialogus cum Tryphone Justino M. recte adscribatur. Marb. 1799. 4; rep. in commentatt. theol. ed. a Rosenmüller etc. 1, 2. p. 184-214.
Nifanius, C., Justinus M., veritatis evangelicae testis Frcf. 1688. 8.
Otto, J. C. T., de Justini M. scriptis et doctrina. Jen. 1841. 8.
— de epistola ad Diognetum Just. M. nomen prae se ferente. Jen. 1845. 8.
Rau, J. J., de philosophia Justini M. et Athenagorae. Jen. 1733. 8.
Stieren, A., üb. d. Todesjahr Justin's d. Märtyrers; in Illgen's Zeitschrift f. hist. Theol. 12. Bd. (1842.) S. 21-37.

Schmid, J. A., de Justini M. theologia morali. Helmst. 1691. 4.
Winer, G. B., Justinum M. evangeliis canonicis usum fuisse ostenditur. Lips. 1819. 4.

*

Clarisse, T. A., de Athenagorae vita, scriptis et doctrina. Lugd. B. 1819. 4.
Hoven, J. D. van, de inscriptione et vera aetate πρεσβείας Athenagorae. Ling. 1752. 4.
Leyser, A. P., de Athenagora. Lips. 1736. 4.
Lindner, J. G., curae posteriores in Athenagorae deprecationem. Longos. 1775. 8.
Mosheim, J. L., de vera aetate apologetici Athenagorae; in dissertatt. ad hist. eccl. 1. p. 269 ss.
Veyssier la Croze, M., de fabula erotica, quae sub Athenagorae nomine prodiit; in Fabric. bibl. gr. 6. p. 800 s.

*

Daniel, H. A., Tatianus, der Apologet. Halle 1837. 8.
— de Tatiano apologeta. Hal. 1835. 8.
Longerve, L. de, de Tatiano et Eucratitis; in Vogt bibl. haeresiolog. 1, 2. p. 201 ss.

*

Graebener, G., de Theophilo episc. Antiocheno. Dresd. 1744. 4.
Walpurger, J. G., de Theophilo Antiocheno. Chemn. 1735. 4.

Bernhold, J. B., de T. Fl. Clemente, utriusque in ecclesia cathedrae ornamento. Altorf. 1725. 4.
Bielke, J. A. F., de Clemente Alex. ejusque erroribus. Jen. 1737. 4; rep. in J. G. Walch misc. sacr. p. 510 ss.
Dähne, A. F., de γνώσει Clem. Alex. Lips. 1832. 8.
Eylert, F. R., de Clemente Alex. ejusque philosophia. Erlang. 1828. 4.
— Clemens v. Alexandrien, als Philosoph u. Dichter. Leipz. 1832. 8.
Hoffstede de Groot, P., de Clemente Alex., philosopho christiano. Groning. 1826. 8.
Holzklau, Th., de Clemente Alexandr. ejusque doctrina morali. Herbip. 1779. 4.
Neander, A., de fidei gnoseosque idea secundum mentem Clementis Alex. Heidelb. 1811. 8.
Tribbechovius, J., de Clemente Alexandrino. I—III. Hal. 1706. 4.

*

Frommann, E. A., interprett. N. T. ex Hippolyto. Cob. 1765. 4.
Haenell, C. G., de Hippolyto. Gotting. 1838. 8.
Heumann, C. A., ubi et qualis episcopus fuerit Hippolytus. Gotting. 1737. 4.
Kimmel, E. J., de Hippolyti vita et scriptis. Jen. 1839. 4.
Seinecke, L. F. W., üb. Leben und Schriften des Hippolytus; in Illgen's Zeitschr. f. hist. Theol. 12. Bd. (1842.) 3. S. 48—77.
Woog, C. C., fragmentum Hippolyti Martyris. Lips. 1762. 4.

*

Detmers, J. P., de theologia Origenis. I—IV. Frcf. ad V. 1782—85. 4.
Bochinger, J. J., de Origenis allegorica S. S. interpretatione. I—III. Argentor. 1829—30. 8.
Ernesti, J. A., de Origene, interpretationis librr. ss. grammaticae auctore. Lips. 1756. 4; rep. in ejsd. opusc. philol. (ed. 1.) p. 288—323.
Fischer, P., de Origenis theologia et cosmologia. Hal. 1846. 8.
Gaudentius, P., de dogmatum Origenis cum philosophia Platonis comparatione. Flor. 1639. 4.
Hagenbach, C. R., obss. circa Origenis methodum interpretandae S. S. Basil. 1823. 8.
Karsten, J. A., de Origene oratore sacro. Groning. 1824. 8.
Krüger, L., üb. d. Verhältniss des Origenes zu Ammonius Saccas; in Illgen's Zeitschr. f. hist. Theol. 13. Bd. (1843.) 1. S. 46—62.

Meisner, J., de Origene et Origenianis. Viteb. 1665. 4; rep. 1712. 4.
Münscher, W., Origenes als Sittenlehrer betrachtet; in Henke's N. Magaz. f. Religionsphilos. 6, 1. S. 130 ff.
Walch, C. W. F., Origenis (c. Cels. 8, 21—23.) de diebus Christianorum disputatio. Gotting. 1777. 4.

*

Birch, A., loci theologici e Tertulliano collecti. Hafn. 1791. 4.
Gaudentii, P., salebrae Tertullianeae de vita Christianorum ante Const. M. tempora. Flor. 1639. 4.
Cyprian, E. S., de doctrina Tertulliani evangelica. Cob. 1701. 4.
Mosheim, J. L., de aetate apologetici Tertulliani. Helmst. 1724. 4.
Nösselt, J. A., de vera aetate scriptorum Tertulliani. I—III. Hal. 1757. 4.
Schütz, C. G., de regula fidei apud Tertullianum. Jen. 1781. 4.
Walch, J. E. J., de apostolorum literis authenticis a Tertulliano commemoratis. Jen. 1653. 4.
Zentgrav, J. J., de lapsu Tertulliani ad Montanistas. Argentor. 1706. 4.

*

Bremer, J. C., epist. crit. super aliquot Minucii locis. Quedlinb. 1781. 4.
Meier, H., de Minucio Felice. Tigur. 1824. 8.
Russwurm, J. G., Octavius. Hamb. 1824. 4.

*

Fehrer, J. F., utrum Cyprianus sit auctor doctrinae de unica Christi religione et ecclesia salvifica. Erf. 1792. 4.
Reuchlin, F. J., de doctrina Cypriani. I—III. Argentor. 1751—56. 4.
Schmieder, H. E., üb. Cyprian's Schrift von der Einheit der Kirche. Leipz. 1822. 8.
Weicker, K. E., üb. Cyprian's Schrift von der Einheit der Kirche; in Illgen's hist.-theol. Abhdlgg. 3. S. 111—40.

*

Gèret, S. L.. variorum de Arnobio Afro ejusque theologia judicia. Viteb. 1752. 4.
Meyer, G. W., de ratione et argumento apologetici Arnobiani. Hafn. 1815. 8.

Fant, E. M., de influxu relig.-christ. in imperium rom. I—II. Upsal. 1798—1800. 4.
Grenz, G. C., de vi religionis in salutem publicam. Lips. 1796. 4.
Hengel, W. A. van, de rel. christ. efficacitate in bellum cum plane singulari tum maxime salutari. Lugd. Bat. 1832. 8.
Meysenbug, H. O. A. de, de christ. rel. vi et effectu in jus civile. Gotting. 1828. 4.
Miller, J. P., de consecratis inde a Christo nato literarum studiis. Ibid. 1766. 4.
Olpe, C. F., de bellorum crudelitate christ. rel. lenitate mitigata. Dresd. 1780. 4.
Oordt, J. F. van, de relig. christiana, ad conjunctionis et societatis studia alenda et promovenda cum aptissima tum efficacissima. Traj. ad Rhen. 1821. 8.
Paetz, L. A., de vi, quam religio christ. per tria priora secula ad hominum animos, mores ac vitam habuit. Gotting. 1799. 4.
Rhoer, C. W. de, de effectu rel. christ. in jurisprudentiam romanam. Groning. 1776. 8.
Schwarze, F. H. C., de vi, quam rel. christ. in excitanda ac formanda ingenia, itemque in literas colendas atque augendas habuit. Heidelb. 1836. 4.
Steinbrenner, W. L., de vi et efficacia rel. christ. in tuendis atque regundis hominum moribus. Erlang. 1808. 4.
Tzschirner, H. G., de dignitate hominis per relig. christ. adserta et vindicata. Viteb. 1805. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 48—86.

*

Gregoire, H., de l'influence du christianisme sur la condition des femmes. Par. 1821. 8.

Hynek, C., quid sit, quod debeat religioni christ. sexus muliebris, inprimis honestior pars feminarum. Hamel. 1827. 4.
Münter, F., die Christin im heidnischen Hause vor den Zeiten Constantin des Grossen. Koppenh. 1828. 8.

Bernhold, J. B., de natura et constitutione historicae theologiae. Altorf. 1742. 4.
Blumenbach, H., de fontibus antiquitatum christianarum; praem. ejsd. commentat.: antiquitt. epiphaniorum. (Lips. 1737. 4.) p. 1–16.
Chladenius, J. M., de voluptate ex antiquitate ecclesiastica capienda. Lips. 1742. 4.
Chladni, M., de abusu chemiae in rebus sacris. Viteb. 1702. 4.
Dieterich, J. C., de usu lectionis scriptorum de antiquitt. sacris. Jen. 1635. 4.
Drasdo, J. G., de nimio et neglectu et usu antiquitatis profanae in explicandis sacris literis. Viteb. 1784. 4.
Emes, P., de argumento ab antiquitate desumto. Erf. 1792. 4.
Faber, J. M., de mythologia gentilium caute ad sacr. scriptt. interpretationem adhibenda. Onold. 1785. 4.
Floder, A., usus historiae et rituum profanarum gentium in illustrandis scriptt. N. T. Upsal. 1764. 4.
Gehe, H. C., quam utile et necessarium sit, historiam s. copulare cum ipsa religionis christ. institutione. Dresd. 1783. 4; rep. in ejsd. sylloge commentatt. p. 57 - 82.
Geret, G., systema antiquitatum ecclesiasticarum; progr. 1 — 47. Onoldi 1740 – 50. 4.
Herrmann, J. H., de summa antiquitatis eccles. cognitionis necessitate in Theologo. Jen. 1767. 4.
Hertel, C. F., de elegantiorum literarum in sacris usu. Jen. 1732. 4.
Hildebrand, J., de genuinis verae antiquitatis notis. Helmst. 1660. 4.
König, C. C., de sensu antiquit., sacrr. liter. interpreti maxime necessario. Misen. 1812. 4.
Krebs, J. T., de ratione N. T. e moribus antiquis illustrandi, minus caute instituta. Lips. 1777. 4.
Maschov, G., de auctoritate antiquitat. ecclesiasticae. Helmst. 1682. 4.
Mel, C., de usu antiquitatum judaicarum, graecarum et romanarum in explicandis obscurioribus S. S. dictis. Schleusingae 1707. 8.
Milius, D., de variis virorum doctorum in antiquitt. sacris erroribus. Traj. ad Rh. 1727. 4; rep. in Schlaegeri dissertatt. rar. de antiquitt. sacr. p. 1–30.
Nothe, A., de auctoritate antiquitatum ecclesiast. Lips. 1648. 4.
Olsson, J., de notitia morum orientalium, interpr. sacro necessaria. I — II. Lund. 1784. 4.
Ribov, G. H., de antiquitatibus judaeo-christianis. Gotting. 1752. 4.
Schulze, S., archaeologia sacra var. disquisit. ex itinere orient. illustrata. Hal. 1756. 4.
Sklerander, P. J., historia antiquitatum ecclesiasticarum. Frcf. ad V. 1716. 4.
Spaethe, C. F., de nonnullis ex antiquitt. graec. ad N. T. pertinentibus. Hal. 1767. 4.
Strodtmann, J. C., de eo, quod nimium et parum est circa antiquitt. profanarum adplicationem ad s. codicem. Guelf. 1746. 4; repet. in Biedermann Selecta scholast II. 1. p. 260 ss.
Thorschmid, J. C., de usu et flore antiquit. s. in ecclesia. Viteb. 1713. 4.
Turretin, J. A., de sacrarum antiquitatum usu multiplici atque praestantia. Genev. 1697. 4; repet. in ejsd. dilucidatt. philos.-theol. etc. vol. 3. p. 131 ss.
Vogel, P. J. S., de religionum historiae usu, ad judicium de religione christ. regundum. Erl. 1815. 8.
Woog, C. C., de genuinis antiquitt. sacrarum in primitiva ecclesia obviarum fontibus. Lips. 1745. 4.
Wyttenbach, D., de vi et efficacia historiae ad studium virtutis. Amst. 1785. 4.

Zaccaria, F. A., sulle studii d'antichita eccl.; in ejsd. dissertatt. varie italiane a storia eccl. appartenenti (Rom. 1780. II.) I, 1.
Zorn, P., hist. bibliorum pictorum, ex antiquitt. Hebr. et Christ. illustrata. Lips. 1743. 4.

*

Barth, C., de probatione per numismata in sacris. Mogunt. 1788. 4.
Berger, J. W. de, (resp. G. S. Marggraf) observationes ex numis antiquis sacrae. Viteb. 1745. 4.
Cyprian, E. G., de pictura teste veritatis sub. papatu. Jen. 1740. 4; rep. in ejsd. dissertatt. varii argum. p. 66—73.
Dürr, F. A., de probatione per picturas in sacris. Mogunt. 1779. 4.
Walsh, W., notice of some ancient coins and metals, illustrating the progress of christianity. Lond. 1827. 8.
Zeibich, G. E., observationes ex numis antiquis sacrae. Viteb. 1745. 4.

Anton, P., de doctrina publica et cultu publico, ex quibus papatus recte intelligi potest. Hal. 1700. 4.
Bahnmaier, J. C., de fatis coetus sanctioris divini numinis cultui addicti ab Adamo usque ad Noachum. Jen. 1759. 4.
Baier, J. G., de λογικῇ λατρείᾳ. Jen. 1787. 4.
Becmann, J. C., de jure subditorum circa sacra. Jen. 1689. 4.
Beyer, C. A., Lactantius de vero cultu. Viteb. 1690. 4.
Bose, J. J., de cultu Dei in silentio ad Ps. 65, 2. Lips. 1756. 4.
Breitenstein, Ph., christl. Cultus nach Angabe d. Schrift. Halle 1811. 8.
Brouer de Niedek, M., de populorum veterum ac recentiorum adorationibus. Amst. 1713. 8.
Buddeus, J. F., de jure belli circa res sacras. Hal. 1693. 4.
Buehlau, A. F., de synaxibus sacrorum causa institutis. Servestae 1718. 4.
Bulfinger, G. B., de cultu Dei rationali. Tubing. 1731. 4.
Burmann, F., de recto Deum cognoscendi et colendi modo. Traj. ad Rhen. 1747. 4.
Chapelle, A. de, la necessité du culte public parmi les Chretiens. à la Haye 1746. 8; rec. Frcft. 1747 12.
Christ, F., gloriosus cultus supremo Numini ejusque Christo N. F. temporibus exhibitus. Jen. 1723. 4.
Eckhard, J. F., de cultu veterum in templis, omnem immensiatis ideam evertente. Francohus. 1758. 4.
Fabricius, J., de reverentia erga sacra. Helmst. 1706. 4.
Franck, H. A., de sacris Eleusiniis, cum sacris christianis non comparandis. Erf. 1772. 4.
Goetze, G. H., de cultu Abrahami. Lips. 1702. 4.
Green, G. S., de luco, religioni ab Abrahamo consecrato ex Gen. 21. 33. Lips. 1735. 4.
Gruner, H. C., de mutuo morum et religionis nexu. Lips. 1829. 8.
Hanker, H., de jure circa sacra. Gotting. 1780. 4.
Hanneken, P. L., de vere religiosi adoratoris spiritu et veritate. Viteb. 1705. 4.
Hartmann, J. J., de cultu Dei externo. Altorf. 1692. 4.
Hardtschmid, J. N., de conventiculis. Argent. 1705. 4.
Heinring, G., de privatis legatorum sacris. Hal. 1713. 4.
Hildebrand, J., sacra publica veteris ecclesiae. Helmst. 1699. 4.
— de priscae et primitivae ecclesiae sacris publicis, templis et diebus festis. Helmst. 1652; rec. 1702, 1735, 1740. 4.
Höfling, J. W. F., von d. Composition d. christl. Gemeinde-Gottesdienstes. Erl. 1837. 8.
Kalinsky, J. G., sacra Christianorum vett. in castris. Lips. 1715. 4.
Kiesling, J. R., de ecclesia veterum campestri ad Gen. 4, 26. Lips. 1751. 4.
— de indole et natura cultus religiosi. In ejsd. exercitatt. in Trombellii dissertat. de cultu Sanctorum (Lips. 1742. 4.) I. p. 1—15.

Kortholt, C., öffentl. Gottesdienst d. alten u. heutigen Christen einander entgegengestellt. Kiel 1672. 12.
— de sacris publicis, debita cum reverentia praesentisque numinis metu colendis. Kilon. 1693. 4.
Küchler, C. C., de sacris publicis nostra aetate studiosius quam olim obeundis. Gosec. 1809. 8.
Lavater, J. J., de adoratione Dei in spiritu et veritate. Tigur. 1742. 4.
Löffler, G. F., de cultu divino Christianorum rationali. Dresd. 1778. 4.
Mayer, J. F., cultus Dei rationalis Rom. 12, 1. descriptus. Gryph. 1711. 4.
Michaëlis, J. H., de nexu officiorum hominis christiani in vero Dei cultu. Hal. 1728. 4.
Mieg, J. F., de cultu Dei sub N. T. ex Joh. 4, 24. Heidelb. 1686. 4.
Müller, G. P., de cultu Dei externo. Lips. 1713. 4.
Papen, J. L., de officio, coetus sacros frequentandi. I—II. Helmst. 1753. 4.
Pfeiffer, A. F., cultus Dei publicus in orbe primaevo haud neglectus. Erl. 1771. 4.
Pfitzer, J. J., de congregatione non deserenda. Altorf. 1718. 4.
Rechenberg, A., de cultu Dei externo. Lips. 1702. 4.
— de novitate circa sacra. Lips. 1708. 4.
Rehm, J. S., Parallelen aus dem Gebiete des Cultus. Nürnb. 1806. 8.
Reuter, C., de cultu Dei generatim. Viteb. 1702. 4.
Richter, G. G., de cultu Dei externo, falso unionis Protestantium principio. Lips. 1703. 4.
Riecke, J. C., de popularitate in sacr. publ. maxime necessaria. Hal. 1809. 8.
Roth, J. G., de cultu Dei rejectitio ad Matth. 15, 9. Lips. 1678. 4.
Sandellus, A., de Christianorum synaxibus extra aedes sacras. Venet. 1770. 4.
Sartorius, J., de hypocrisi gentilium circa cultum Deorum. Lips. 1713. 4.
Schedius, J. F., de sacris opertis vett. Christianorum. Gotting. 1790. 4.
Scheibler, M. F., de fuga templi s. contemto et neglecto sacrorum cultu. Lips. 1807. 8.
— Josias s. de restituendo Dei cultu. Solisb. 1814. 8.
Schlemm, J., de adoratione religiosa et civili gentilium. Jen. 1664. 4.
Schmid, T. G., de honoribus externis Deo tribuendis. Lips. 1771. 4.
Schwarz, C. G., de detestatione sacrorum. Altorf. 1729. 4.
Schweinsberger, J. J., [praes. N. G. Schreeder] de prima cultus divini publici institutione ad Gen. 4, 26. Marb. 1745. 4.
Schyll, P., de invocatione Numinis apud gentes. Upsal. 1724. 4.
Sommer, J. H., de obligatione hominis colendi Deum cultu ab ipso praescripto. Lips. 1701. 4.
Tilling, C. G., de religionis natura atque indole ejusque cum moribus nexu. Lips. 1791. 4.
Trase, J., de conventibus nocturnis sacris. Ups. 1726. 4.
Tympe, J. G., de cultu divino V. T. ad stata loca restricto. Jen. 1722. 4.
Tzschirner, H. G., de sacris publicis ab ecclesia vetere studiose cultis. I-II. Viteb. 1808. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 87—114.
— de sacris ecclesiae nostrae publicis caute emendandis. I—III. Lips. 1815. 4; rep. in ejsd. Memorabilien etc. 5, 1. p. 1—46; opusc. p. 137—69.
Ursinus, T. C., de religione naturali cultuque Dei vere rationali. Jen. 1727. 8.
Walther, F. A., de cultu Dei orali. I—II. Gotting. 1748. 4.
Weber, J. G., de sacris nocturnis. Lips. 1719. 4.
Wedel, G. W., de usu rationis humanae in sacris. Jen. 1714. 4.
Weismann, C. E., cautelae circa judicia de cultu Dei publico. Tubing. 1739. 4.
Weiss, C., de cultu divino interno et externo recte judicando. Lips. 1796. 4.
Weisse, C. L., de sacris clandestinis. Lips. 1776. 4.
Woeldicke, M., apologia pro cultu Dei publico. Hafn. 1734. 4.

Wolf, G. J. F., ostenditur, homines Mose vetustiores, nullo praecepto divino institutos, sponte sacra fecisse. Lips. 1783. 4.
Zeibich, C. H., de ἀλόγοις gentilium sacris. Heb. 1722. 4.

*

Alander, C., de regina coeli. Aboae 1703. 4.
Alberti, V., de cultu idololatrico bestiarum. Lips. 1669. 4.
Bellermann, J. J., üb. d. alte Sitte, Steine zu salben. Erf. 1793. 8.
Biedermann, J. G., de montibus symbolicis. Freiberg. 1769. 4.
— de lapidum cultu divino; in otiis liter. I. p. 314 ss.
— de ventorum cultu; ibid. p. 290 ss.
Bilmark, J., obss. circa δενδρολατρείαν vett. gentium. Abo. 1796. 4.
Blum, J. C., de δενδροσεβείᾳ gentilium. Lips. 1711. 4.
Boden, B. G. L., de ramo gentium religioso. Viteb. 1765. 4.
Bose, J. J., de Carmelo monte et Deo. Lips. 1740. 4.
Bosseck, J. G., de cultu fluminum ad Jes. 57, 6. Lips. 1740. 4.
Braem, J., de ὑδρολατρειᾳ vett. Hafn. 1695. 4.
Calixtus, G., de religione idololatrica. Helmst. 1687. 4.
Calov, A., de selenolatria. Viteb. 1680. 4.
Checozzi, J., de cultu idololatrico lucorum; in collect. dissertatt. acad. Cortonens. 1, 2. p. 93 ss.; 4. p. 149 ss.
Drescher, D., de cultu imaginum. Lips. 1704. 4.
Eckhard, J. F., de simulacrorum superstitione apud vett., omnem immensitatis notionem evertente. Isen. 1759. 4.
Ehrlen, J. F., de diis et deabus gentilium in S. S. memoratis. Argentor. 1750. 4.
Falconet, sur les baetyls; in Mem. de l'Acad. des Inscript. 6. p. 513 ss.
Forelius, H., de terra, gentium Dea. Ups. 1705. 8.
Freitag, C., de sacris gentium in montibus. Lips. 1718. 4.
Freudenberger, U., de origine cultus serpentum; in Tempe Helv. 1. p. 72 ss.
Frischmann, J. G., de cultu imaginum apud gentiles. Jen. 1797. 4.
Frischmuth, J., de Melechet coeli. Jen. 1663. 4.
Götze, F. L., de ἰχθυολατρείᾳ. Lips. 1723. 4.
Gruner, G. S., de cultu ignis apud gentiles. Bernae 1736. 4.
Hoelling, J., de baetyliis veterum. Groning. 1715. 4; rec. Lips. 1724. 4; Brem. 1729. 4.
Hofmann, G., de more veterum in locis editis colendi Deum. Hal. 1754. 4.
Hürner, G., de origine cultus serpentum; in Tempe Helv. 1. p. 419 ss.
Jones, S., de origine idololatriae apud gentiles et Christianos. Lugd. 1708. 4.
Kiesling, J. R., de superstitioso Israelitarum sub quercubus cultu ad Jes. 1, 29; Ez. 6, 13; Hos. 4, 13. Lips. 1748. 4.
Koch, J. C., de cultu serpentum apud antiquos. Lips. 1718. 4; rep. in Martin thes. 2, 1. p. 73 ss.
Lobeck, G. A., altaria veterum montes. Lips. 1756. 4.
Lubbert, S., (Frcft. 1672. 4.) Nettelbladt, C., (Gryph. 1734. 4.) de solis cultu.
Münter, F., üb. d. vom Himmel gefallenen Steine der Alten; in dess. antiqu. Abhdlgg. S. 257 ff.
Nimptsch, J. G., de sacris gentium in montibus. Lips. 1719. 4.
Ostermann, J. E., de astrolatria. Viteb. 1663. 4.
Olearius, G. P., de ὀφιολατρείᾳ. Lips. 1713. 4.
Pfeiffer, J. G., de lapidibus Deo positis ac dedicatis. Lips. 1729. 4.
Pihlmann, J. J., de luna regina coeli. Aboae 1705. 4.
Pocar, Z. B., de simulacris solaribus Israelitarum. Ien. 1725. 4.
Reichenbach, J. F. J., de ritu populorum sacra faciundi in locis excelsis. Lips. 1798. 4.
Richter, A. D., de solemniori usu ignis in rebus divinis apud priscos. Zittav. 1764. f.
Rogberg, J., de sacris ignium apud gentiles. Aboae 1690. 8.

Sartorius, J., de hypocrisi gentilium circa Deorum cultum. Lips. 1713. 4.
Schneider, F. S., de cultu lucorum et nemorum apud. vett. Zittav. 1761. 4.
Schumacher, J. H., de cultu animalium inter Aegyptios et Judaeos. Brunsv. 1773. 4.
Schurzfleisch, C. S., de cultu ignis apud gentes usitato. Viteb. 1705. 4.
Sittig, J. C., de lapidibus Deo positis. Lips. 1729. 4.
Stockhausen, H. C. L., de cultu et usu luminum antiquo. Traj. ad Rhen. 1726. 4.
Wagner, J. F., montium sacra ex antiquis monumentis. Hal. 1762. 4.
Wernsdorf, G., de cultu astrorum a Deo gentibus profanis olim concesso. Dantisc. 1746. 4.
Zachariae, G. T., de more vett., in locis editis colendi Deum. Hal. 1754. 4.
Zickler, F. S., relig. bestiarum ab Aegyptiis consecratarum exp. I—II. Jen. 1745—46. 4.
— de Aegyptiis bestiarum cultoribus. Jen. 1756. 8.
Zorn, P., de divino serpentum cultu ejusque origine; in ejsd. opusc. 2. p. 272—89.

Bach, F. C., judicium sanae rationis de ceremoniis. Lips. 1721. 4.
Baumgarten, S. J., de periculosa sacramentorum in ceremonias et harum in sacramenta permutatione. Hal. 1753. 4.
Bebel, B., de libertate rituum ecclesiasticorum. Argentor. 1685. 4.
Bel, C. A., de auctoritate traditionis in historia. Lips. 1770. 4.
Berg, F., de origine rituum ecclesiasticorum, qui circa aquam versantur. Wirceb. 1786. 4.
Bötticher, J. H., de rebus sanctis. Helmst. 1688. 4.
Budaeus, W., de transitu hellenismi ad christianismum. Par. 1556. 4.
Buddeus, J. F., de ritibus ecclesiae latinae judaicis, p. I—II. Viteb. 1688—89. 4; rep. in ejsd. parerga hist.-theol. p. 61—138.
Burscher, J. F., de vera origine praecipuorum dogmatum et institutorum, quae tempore emend. sacr. repudiata sunt ab ecclesia evang. Lutherana. 1—14. Lips. 1775—81. 4.
Cless, D. J., de traditionum non scriptarum speciebus et valore. Tub. 1754. 4.
Cotta, J. F., de methodo praescriptionis ad dogmata resque sacras applicata. Tubing. 1761. 4.
Dethloff, J. M. (praes. J. H. Böhmer), de observantiis ecclesiasticis. Hal. 1707. 4; rec. 1723.
Fabricius, F., de traditionibus pontificiis. Viteb. 1691. 4.
Foertsch, M., de judicandi aequitate in dissensu circa sacra. I — II. Jen. 1705. 4.
Frick, A., historia traditionum ex monumentis eccl. christ. Ulmae 1740. 4.
Galura, B., de traditione, altero revelationis fonte. Friburg. 1790. 8.
Geyser, S. G., de usu scriptorum veteris ecclesiae. I—III. Viteb. 1765. 4.
Hackspan, T., de libertate christ. contra jugum traditionum ἀγραφ. tuenda. Altorf. 1658. 4.
Hamberger, G. C., rituum, quos Romana ecclesia a majoribus suis gentilibus in sua sacra transtulit enarratio. Gotting. 1781. 4.
Henke, H. P. C., de figurato dicendi genere, fonte multarum in hist. christ. fabularum. Helmst. 1788. 4; rep. in ejsd. opusc. p. 229—44.
Herold, A., de manifesta idololatria in Romana ecclesia. Lips. 1712. 4.
Hildebrand, J., de ritibus sacris. Helmst. 1655; rec. 1697 et 1743. 4.
Jaeger, J. W., de statu ecclesiae primitivae et modernae. Tubing. 1689. 4.
Hiller, J. F., de proverbio: Priscis cedendum. Viteb. 1775. 4.
Meier, D., de papatu per ethnicismum impraegnato. Frcft. 1634. 4.
Marangoni, J., delle cose gentilesche e profane trasportate ad uso e adornamento delle chiese. Rom. 1744. 4.
Mosheim, J. L., de studio ethnicorum Christianos imitandi. Helmst. 1729. 4; rep. in ejsd. dissertt. ad hist. eccl. I. p. 321—85.
Munck, J. P., papismus — gentilismus. Cob. 1664. 4.

Pfaff, C. M., de traditionum non scriptarum speciebus, valore, certitudine, auctoritate, momento et pondere. Tubing. 1720. 4.
Pfuhl, J. C., de noxis ex ritibus et institutis sacris in sanitatem redundantibus. Jen. 1791. 4.
Pufendorf, S., de habitu relig. christ. ad vitam civilem. Brem. 1687. 4.
Rau, C., origo discriminis inter res sacras, religiosas et sanctas. Lips. 1810. 4.
Reimbold, F. M., patres primorum seculorum, idololatriae Romanensium judices. Hamb. 1736. 4.
Riegger, J. A., an detur traditio sacra? — in ejsd. opusc. ad hist. eccl. (Frib. 1773.) N. 7.
Schindler, J., de ceremoniis ecclesiasticis. Viteb. 1666. 4.
Starck, J. A., de tralatitiis ex gentilismo in religionem christianam. Regiom. 1774. 4.
Sonntag, C., τάξις καὶ εὐσχημοσύνη Christianorum circa ritus, adiaphora et ceremonias ecclesiae. Schleusing. 1689. 4.
Tompa, L., de sacris Christianorum ritibus. Poson. 1785. 8.
Topp, T., expositio doctrinae de traditionibus. Bonn. 1789. 4.
Valkenier, J., Roma paganizans. Franeq. 1656. 4.
Varenius, A., de canali traditionis. Rost. 1664. 4.
Ventzke, D., de potestate circa ceremonias ecclesiasticas. Viteb. 1691. 4.
Wedel, F. W. a., de obligatione circa observandas ceremonias. Jen. 1739. 4.

Aggerup, P., de praecipuis Christianorum festis. Hafn. 1733. 4.
Augusti, J. C. W., die Feste der alten Christen. 3 Bde. Leipz. 1817—19. 8.
Boehme, J. G., üb. d. Ursprung u. die Benennung aller Sonn- u. Festtage durchs ganze Jahr. Zwickau 1817. 8.
Calixtus, F. U., de festorum dierum institutione. Helmst. 1688. 4.
— de jure festa inaugurandi et abrogandi. Ibid. 1696. 4.
Clemangis, N., de diebus festis et sabbato; ed. v. d. Hardt. Helmst. 1703. 8.
Dresser, M., de festis diebus. Lips. 1593. 8.
Eberhard, G. A., neueste Ansicht u. Beleuchtung der Sonn- u. Festtage. Erf. 1799. 8.
Eggers, B. F., Unterricht von den Feiertagen d. evang. Kirche. Braunschw. 1788. 8.
Eisenschmid, G. B., Geschichte d. Sonn- u. Festtage der Christen. Leipz. 1793. 8.
Elv, P., de festis christianis. Upsal. 1708. 8.
Finck, C., de diebus festis et feriatis, qui in ecclesiis aug. conf. celebrantur. Giess. 1612. 8.
Fürstmann, J. H., de dierum festorum imminutione, oeconomiae publicae et privatae profutura. Rint. 1754. 4.
Gerbert, M., de festorum dierum numero minuendo, celebratione amplianda. St. Blas. 1765. 8.
Hildebrand, J., de diebus festis libellus. Helmst. 1701; rec. 1718, 1722. 4.
Hoefling, J. W. F., v. d. Festen od. heil. Zeiten der christl. Kirche. Erlang. 1838. 8.
Jamin, D. N., Geschichte der Kirchenfeste. A. d. Franz. Bamb. 1785. 8.
Kahler, J. E., de festis ecclesiae evang. lutheranae diebus et quid de eorum abrogatione ac diminutione sentiendum sit. I—II. Rint. 1773. 4.
Karrer, J. P., Feste in der kathol. u. protestant. Kirche. Erlang. 1829. 8.
Koelmann, J., de festis diebus in reformatis ecclesiis celebrari solitis. Traj. 1693. 4.
Küchler, C. C., de diebus festis minoribus haud temere tollendis. Leucopetrae 1816. 8.
Lange, D. C., index fastorum christianorum perpetuus, chronologiae universali accommodatus. Viteb. 1716. 4.
Mayer, J. F., hist. praecipuorum N. T. festorum. Gryph. 1706. 4.
Meyer, J., de origine et causis festorum. Amstelod. 1693. 8.

Nelson, R., Unterricht v. d. Festtagen. Aus d. Engl. Brem. 1713. 4.
(Schmid, H. W.,) Beschreibung der Sonn-, Fest- u. Feiertage des evang. Kirchenjahrs. Nürnb. 1730. 8.
Schmid, J. A., historia festorum et dominicarum. Helmst. 1721; rec. 1726; 1729. 8.
Schwarze, J. W., Nachricht v. Entst. u. Feier der christl. Festtage. Chemn. 1792; rec. 1819. 8.
Seel, H., Gesch. des hohen Festkreises der Kirche. Kempten 1826. 8.
Stade, D. A. v., von d. Sonn- u. Festtagen des ganzen Kirchenjahrs. Brem. 1759. 4.
Stemler, J. C., synodi Trident. de celebrandis diebus festis decretum. Lips. 1762. 4.
— de minuenda festorum dierum in ecclesia multitudine. Ibid. 1770. 4.
— de abrogandis aut immutandis diebus festis ac dominicis in ecclesia nostra usitatis. Lips. 1771. 4.
Stryck, J. S., de incommodis festorum. Hal. 1702; rec. 1756. 4.
Thiers, J. B., de festorum dierum imminutione. Lugd. 1668. 8.
Thomasin, L., traité des festes de l'eglise. Par. 1697. 8.
Ullmann, C., vergl. Zusammenstellung des christl. Festcyclus mit vorchristl. Festen; in Creuzer's Symbolik. 4. S. 577. 614.
Wegner, G., de festis mobilibus. Regiom. 1700. 4.
Wilcke, A., ἑορτογραφία. I—II. Jen. 1676. 8.
Wildvogel, C., chronoscopia legalis de jure festorum. Jen. 1699. 4.
Zöllich, C. F., de diebus festis minoribus haud immerito restitutis. Numb. 1817. 8.
Zyliegan, F. W., die älteren u. neueren Feste aller christl. Confessionen. Danzig. 1825. 8.

*

Pittonus, J. B., de octavis festorum. Venet. 1739. 8.

*

Celsius, M., (Upsal. 1672. 4.) Palmrootius, J., (ibid. 1702. 8.) de festis Judaeorum.
Gerhard, J. E., de festis Orientalium, Hebraeorum cumprimis. Viteb. 1650. 4.
Kirchmeier, J. C., de festis Judaeorum anniversariis eorumque in fatis ecclesiae N. T. antitypo. Marb. 1724. 4.
Meyer, J., de temporibus et festis diebus Hebraeorum. Amstelod. 1724. 4.
Pfeiffer, A., (Viteb. 1666. 4.) Schulten, C., (Viteb. 1723. 4.) de festis Hebraeorum.
Rodolph, J., de temporibus sacris Hebraeorum. Bernae 1724. 4.
Thummius, Th., de festis Judaeorum et Christianorum. Tubing. 1624. 4.

Ernstius, H., de studiis diebus festis non convenientibus. Sorav. 1661. 4.
Federreuther, A. P., de diebus aegyptiacis. Altorf. 1757. 4.
Hoffmann, G. F., de diebus arbitrariis. Lips. 1729. 4.
Moebius, J., de planetaria dierum denominatione. Lips. 1687. 4.
Müller, J. E., de superstitione in seligendis ac secernendis diebus. Rudolst. 1681. 4.
Mursinna, S., de hebdomade gentilium et dierum a planetis denominatione. Berol. 1747. 4.
Piper, T. C., de diebus atris et faustis. Gryph. 1795. 4.
Reichel, S., de diebus lustricis. Chemn. 1759. 4.
Schwebel, N., de superstitiosa apud. vett. dierum observatione. Onold. 1769. 4.
Wolf, C. G., de diebus poenitentialibus et supplicationum. Lips. 1729. 4.

Abicht, J. G., de lege sabbati. Viteb. 1731. 4.
— de sabbato Christianorum ex historia N. T. Ibid. eod. 4.
Albert, J. B., de celebratione sabbati dieique dominici inter veteres et recentiores. Ibid. 1772. 4.

Alberti, V., de sabbati sanctificatione et profanatione. Lips. 1691; rec. 1703. 4.
Allatius, Leo, de diebus dominicis Graecorum. Colon. 1648. 4.
Amesius, W., de sabbato et die dominico. Franequ. 1633. 4; rec. Amstelod. 1658. 8.
Andala, R., de sabbato V. T. et die dominica N. T.; in bibl. Brem. 8. p. 541 ss.
Arnoldt, D. H., de antiquitate diei dominici. Regiom. 1754. 4.
Bartels, J. H., de stato die veterum Christianorum ad Plin. 10, 97. Viteb. 1727. 4.
Becher, T. A. E., vom Sabbathe der Juden u. Sonntage der Christen. Halle 1775. 8.
Beier, A., de feriatione et profanatione sabbati. Jen. 1663; rec. 1665. 4. deutsch Jen. 1719. 8.
Benker, G. C., der Tag des Herrn. Fcft. a. M. 1728. 8.
Boehmer, J. H., de stato die Christianorum; in ejsd. XII. diss. etc. p. 5—35.
Boettner, G., an et quatenus sabbatum lege naturae praecipiatur. I—III. Lips. 1707—9. 4.
Bohnstedt, D. S., Erörterung vom Sonntage. Leipz. 1736. 8.
Brunsmann, J., vindiciae sabbati. Hafn. 1707. 4.
Büchner, G., ex antiqu. patrum utriusque linguae monumentis περὶ τῆς ἡμέρας κυριακῆς. Viteb. 1689. 4.
Burmann, F., de moralitate sabbati hebdomadalis. Amstelod. 1698. 8.
Cyprianus, E. S., de moralitate sabbati in ecclesia christiana; in ejsd. dissertt. p. 236 ss.
Doppert, J., ultima antiquitas solemnibus solis diei in glorioso Christi reditu ex sepulcro asserta. Schneeb. 1717. 4.
Ernesti, H., sabbatismus. Sorav. 1656. 4.
Faber, J. G., quo jure sanctificatio diei dominicae ex oraculis V. T. adseratur. Tubing. 1757. 4.
Fecht, J., de sabbato ejusque libertate in N. T. doctrina. Rost. 1703. 4.
Franke, C. C. L., de diei dominici apud vett. Christianos celebratione. Hal. 1826. 8.
Gomarus, F., (Groning. 1632. 12.) Rivetus, A., (Lugd. Bat. 1633. 8.) de origine sabbati.
Gude, G. F., Bericht vom Sonntage. Laub. 1736. 8.
Hannecken, P. L., de morali sabbatico Christianorum. Coburg. 1705. 4.
Homborg, J. J., de sabbato veterum Christianorum. Helmst. 1683. 4.
Honert, J. van den, de die dominica. Traj. 1733. 4.
Janus, J. W., de die dominico Eusebii Alex. Lips. 1720. 4.
Kirchmeier, J. C., de sabbatis Judaeorum eorumque in fatis ecclesiae N. T. antitypo. Herborn. 1702. 4; rep. in ejsd. sylloge exercitt. acad. p. 1 ss.
Lange, J. C. F., de ritibus ecclesiasticis die dominica consuetis. Mittw. 1795. 4.
Lock, R., effigiatio veri sabbatismi. Lond. 1605. 4.
Loeber, C., explicatio dictorum, quae de sabbato dieque domin. in libris eccl. evang. symbolicis habentur. Ronneb. 1728. 4.
Märklin, J. F., üb. d. Sonntagsfeier. Stuttg. 1821. 8.
Moebius, J., a quibusnam dies solis sit consecratus divino cultui? Lips. 1688. 4.
Quistorp, B. F., an Christianis die dominico magis liceat profana curare negotia quam olim Judaeis sabbato. Gryph. 1724. 4.
Runde, C. H., d. gottesdienstl. Feier des Sonntags. Stendal 1783. 8.
S., J. C., λογικὴ λατρεία s. de jure et officiis sabbati. Lips. 1703. 4.
Scharbau, H., de luxu sabbatario; in ejsd. obss. sacr. 3. p. 541 ss.
Schultz, J. C., de sabbato mystico. Viteb. 1742. 4.
Schwertner, J. D., vindiciae moralitatis diei dominicae. Pirn. 1703. 4.
Seligmann, G. F., de iis, quae circa receptam de sabbato doctrinam in dubium vocata sunt. Lips. 1703. 4.
Streuber, U. T., der Sonntag; eine histor. Darstellung. Zür. 1846. 8.

Stempel, J. A., de sabbato Christianorum. Lips. 1674. 4.
Stryck, J. S., de jure sabbati. Hal. 1702; rec. 1715. 4; deutsch v. Beyer. Frcft. 1703. 8.
Syrbius, J. J., de sabbato gentili. Jen. 1700; rec. 1726. 4; rep. in Tempe Helv. 2. p. 527 ss.
Wegner, G., de sabbato Christianorum judaico. Jen. 1683. 4.
— deductio et declaratio sententiae Aug. confess. de die dominico, originem ejusdem non institutioni divinae sed ecclesiae christ. vindicantis. Viteb. 1702. 4.
Werenfels, S., de sabbati moralitate. Basil. 1721. 4.
Wernsdorf, G., de gentilium sabbato. Viteb. 1722. 4.
Witzleben, G., Bericht v. der Juden Sabbat am Sonnabend u. der Christen am Sonntage. Kopenh. 1665. 8.

*

Moller, D. W., de ominosis diebus dominicis. Jen. 1730. 4.

*

Broun, J., (Roterod. 1674. 8.) Goechaeus, M., (Jen. 1647. 4.) Heidanus, A., (Lugd. 1658. 12.) Lund, D., (Aboae 1696. 4.) Olde, C., (Rost. 1657. 4.) Osiander, J. A., (Tubing. 1672. 4.) Schookies, M., (Groning. 1660. 12.) de sabbato.
Grüneberg, J. P., de sabbato ab Adamo in paradiso celebrato. Rost. 1700. 4.
Hasenmüller, V. H., de operibus sabbatum depellentibus. Jen. 1708. 4.
Hebenstreit, J. C., de sabbato ante legem mosaicam existente. Lips. 1748. 4.
Matthaei, A. G. C., Beschreibung d. jüd. Sabbats. Nürnb. 1751. 4.

*

Frischmuth, J., (Jen. 1662. 4; rep. in Menthen thes. diss. 2. p. 312 ss.) Müller, H., (ibid. p. 319 ss.) Onthovius, G., (in bibl. Brem. 6. p. 426 ss.) Schmid, S., (Lips. 1686. 4; rep. in ejsd. fasc. diss. p. 494 ss.) Verbrugge, O., (I—II. Groning. 1718. 4.) de sabbato δευτεροπρώτῳ.
Til, S. van, de vero et justo tempore sabbati δευτεροπρώτου. Lugd. B. 1708. 4.

Mayer, J. F., de dominicis adventus. Gryph. 1701. 4.

*

Praetorius, J., de bruma, vom Lucientage. Lips. 1667. 4.

Bartholinus, B., de nomine et festo Juel tam antiquo quam hodierno sententiae. Hafn. 1711. 4.
Baumgarten, J. S., de solemnium Christo nato sacrorum originibus. Hal. 1738. 4.
— de mense dieque memoriae Chr. nati antiquitus consecrato. Ibid. 1740. 4.
— enarratio solemnium, quibus memoria Christi in lucem editi antiquitus celebrata est. Ibid. 1743. 4; rep. in ejsd. opusc. 2. p. 59—94.
Bring, S., de festo natalitiorum Christi. Lund. 1759. 4.
Christiani, W. E., de variis natalem Domini celebrandi modis. Kilon. 1775. 4.
Engelken, H. C., de festo nativ. Christi die 25 decembris recte celebrando. Rost. 1739. 4.
Gedike, F., üb. d. Ursprung des Weihnachtsfestes; in d. Berlin. Monatsschr. 1784. I. S. 73 ff.
Hallenberg, J., de nominibus Lucis et Visus in lingua sueogothica cultusque solaris in eadem lingua vestigiis. Holm. 1816. 4.
Hasse, J. G., de rituum circa natalitia Christi hodie usitatorum prima origine ex Graecorum et Romanorum Saturnalibus. Regiom. 1800. 4.
Heise, J. C. F., Bedeutung des Wortes: Weihnacht; im Braunschw. Anzeiger 1758. St. 103.

Hilscher, P. C., der Weihnachtsaberglaube nach seiner Art, Ursprung, Betrug u. Abschaffung. Dresd. 1722. 8.
Jablonski, P. E., de origine festi nativ. Chr. in ecclesia christ. quotannis stato die celebrari soliti. I—II.; in ejsd. opusc. 3. p. 317—76.
Ittig, Th., de ritu, festum nativ. Chr. die 25 dec. celebrandi ejusque antiquitate; in append. ad libr. de haeresiarchis sec. apost. p. 386 ss.
Kindler, J., de natalitiis Christi; in Crenii syntagm. diss. I. 12 ss.
Kipping, J. W., de rationibus sacrorum solemnium, nominatim eorum, quibus memoria nati Christi renovatur. Helmst. 1743. 4.
Köpken, D. H., ἱστορούμενα quaedam natalitiorum in Messiae memoriam ferias illustrantia. Rost. 1705. 4.
Langhansen, C., de festi nativ. Chr. historia antiqua. Regiom. 1746. 4.
Ludovici, G., de Judaeorum in republica Christianorum officiis in festo nativ. Christi. Schleusing. 1707. 4.
Macher, J. C., natalis Invicti in vetusto quodam kalendario romano obvii illustratio. Ger. 1753. 4.
Moeller, J. G., de acumine Graecorum in denominando festo nativ. Christi; in ejsd. hept. obss. (Tigur. 1672. 4.) 2.
Oldermann, J., de festo encaeniorum judaico, origine festi nativ. Chr. Helmst. 1715. 4.
Planck, H. G., variarum de origine festi Christi natalitii sententiarum epicrisis. Gotting. 1796. 4.
Progr. Erfurt. de celebrationis festi natalitii Jesu Chr. origine. 1786. f.
Progr. Helmst. de natali Invicti olim ad XXV. Dec. celebrato. 1733. 4.
Reineccius, C., de origine et antiquitate festi nativ. Chr. Leucop. 1721. f.
Rumpel, H. E., antiquitates festorum dierum nativitatis dominicae. Erf. 1763. 4.
Schamelius, J. M., vom Aberglauben in der Christnacht. Leipz. 1717. 4.
Schulz, J. L., de festo sanctorum luminum. Hal. 1778. 4.
Schwartzmeyer, H., de festo nativitatis Christi. Regiom. 1705. 4.
Stübel, J. J., de rebus nonnullis, quae fiunt et factae sunt festo natalitio Christi. Misen. 1710. 4.
Treuer, C. S., de etymologia vocis: Weihnachten. Helmst. 1721. 4.
Vignoles, A. de, diss. touchant le jour de noël; in bibl. germ. 2. p. 29—71.
Weismüller, S. F., de festo nativit. Chr. in locum festi tabernaculorum surrogato. Altorf. 1731. 4.
Wernsdorf, E. F., de originibus solemnium natalis Christi ex festivitate natalis Invicti. Viteb. 1757. 4.
Wildvogel, C., de eo, quod justum est circa festum nativ. Christi. Jen. 1692. 4.

*

Eichhorn, J. G., de Deo sole invicto Mithra; I—II.; in commentatt. Soc. Gotting. 3. p. 173—234.
Kriegk, G. N., de mensa solis apud Aethiopes; in Martin thes. diss. 3, 1. p. 24 ss.
Zeibich, H. A., de alis solis. Ger. 1762. 4.

*

Brüggemann, J. C. L., de terriculis puerorum. Gotting. 1745. 4.
Buttler, D. S., antichristische Christ-Larven. Halle 1700. 12.
Drechsler, J. G., Christianorum larvae natalitiae J. Christi. Lips. 1677. 12.
Frick, A. P., de muneribus ob diem natalem Servatoris dari solitis. Helmst. 1768. 4.
Kiesling, C. G., de muneribus, quae propter diem natalem Servatoris nostri dari solent. Viteb. 1737. 4.
Pezold, C. F., de Sancti, ut vocant, Christi larvis et munusculis. Lips. 1699. 4.
Pistorius, J. W., d. entlarvte heilige Christ. Suhl 1738. 4.
Praetorius, J., Weihnachtsfratzen. Leipz. 1663. 8.

*

Böhmer, J. H., de antelucanis Christianorum coetibus; in ejsd. XII. dissertt. jur. eccl. ant. p. 35—71.

Cellarius, C., de vigiliis et lucubrationibus vett. Hal. 1690. 4.
Crusius, J. A., de nocte et nocturnis officiis tam sacris quam profanis. Brem. 1655. 12.
Klepperbein, V., de ritu vigiliarum sacro et profano. Viteb. 1685. 4.
Wichmann, G., de vigiliis. Viteb. 1660. 4.

✻

Braën, M., de diebus et festis natalitiis. Hafn. 1702. 4.
Esenbeck, G. S., de natalitiis vett. Christianorum. Altorf. 1732. 4.
Funcke, C., de festis genethliacis. Gorliz. 1677. f.
— de festorum natalitiorum celebratione. Ibid. 1695. f.
Hildebrand, J., de natalitiis veterum sacris et profanis. Helmst. 1661. 4.
Rhode, J. J., de conviviis natalitiis. Regiom. 1716. 4.
Roa, J. de, de die natali sacro et profano. Lugd. B. 1604. 8.
Spangenberg, J. G., de sacris natalitiis vere christianis. Gothae 1722. 4.
Weber, C. M., de veterum diem natalem celebrandi consuetudine. Vimar. 1751. 4.
Wend, J. J., natalium apud veteres solemnitas. Viteb. 1687. 4.

✻

Dathe, H., de geniis veterum. Viteb. 1690. 4; rep. in Martin thes. diss. 2, 1. p. 60 ss.
Henrici, J. C., de genio natalium praeside. I—II. Viteb. 1782—83. 4.
Wechsler, C. F., de genio praeside unicuique proprio. Lips. 1752. 4.

✻

Krause, J. G., de sanctorum angelorum tutela. Viteb. 1735. 4.
Schmidt, F., historia dogmatis de angelis tutelaribus; in Illgen's Denkschr. d. hist.-theol. Gesellsch. 1. p. 24—71.

Baur, F. C., de orationis habitae a Stephano consilio et de protomartyris hujus in christ. rei primordiis momento. Tubing. 1829. 4.
Bonvoust Beekman, D. de, de oratione Stephani apologetica. Traj. ad Rhen. 1820. 8.
Krause, J. C. H., in historiam et orationem Stephani protomartyris commentarius. Gotting. 1780. 4.
Mayer, J. F., de facie Stephani angelica. Gryph. 1702. 4.
Rus, J. R., I—II. Hamb. 1690—91. 4. rec. Jen. 1709. 4. de lapidatione Stephani.
Schmidt, C. F., examen critique du discours de St. Etienne, Act. 7. Strassb. 1839. 4.
Schwarz, F. J., martyrium Stephani e pandectis Hebraeorum illustratum. Viteb. 1756. 4.
Seiler, G. F., de argumento quodam ad rel. revel. veritatem comprobandam ex Dei veri cultorum victoria petendo; in ejsd. opusc. I. p. 271 ss.
Sonntag, C., de resistentia auditorum Stephani adversus Spiritum S. Altorf. 1710. 4.
Ziegelbauer, P., acta S. Stephani protomartyris. Norimb. 1736. 4.

✻

Becmann, B. L., de lapidatione Hebraeorum. Frcft. 1716. 4.

✻

Arnold, C., historia Christianorum ad metalla damnatorum; ins. Thomasii hist. sap. et staltit. 4. p. 173 ss.
Baumgarten, S. J., de martyriis christianis variisque circa eadem notandis. Hal. 1752. 4.
Bornag, P., confessio martyrum de mysterio S. S. Trinitatis. Berol. 1739. 4.
Buchta, J. L., de numero cruentorum coelestis veritatis testium primi p. C. n. seculi. Viteb. 1703. 4.
Calov, A., confessio martyrum sub decem persecutionibus de S. S. Trinitate. Viteb. 1638. 4.

Carpzov, J. B., de baptismo sanguinis ad Luc. 12, 49—50. Lips. 1698. 4.
Crüger, T., de martyriis falsis. Viteb. 1722. 4.
Dalhuse, E., de primario primae persecutionis instrumento, tunica molesta. Hafn. 1690. 4.
Dodwell, H., de primorum martyrum insigni fortitudine ejusque causis; in ejsd. dissertt. Cyprian. (Oxon. 1684. 8.) 12.
— de secundo martyrii baptismo; ibid. 13.
Gallonius, A., de cruciatibus martyrum. Rom. 1594. 4; rec. Antverp. 1668. 12. et saepius.
Gleitsmann, G., de martyribus et martyriis. Ciz. 1689. 4.
— de heroica primorum martyrum constantia. Lips. 1687. 4.
Gude, G. F., martyres divinitatis Sp. S. testes. Lips. 1726. 4.
— de cura vet. ecclesiae circa martyres. Lips. 1753. 4.
Hecker, H. C., de αὐτοχειρίᾳ martyrum. Lips. 1720. 4.
Hildebrand, J., vett. eccl. martyrum ars bene moriendi exposita. Helmst. 1661. 4.
Hiller, J. F., de obligatione ad martyrium. Viteb. 1754. 4.
Hunderup, P. L., de damnatione Christianorum ad bestias. Hafn. 1706. 4; rep. in Martin thes. 3, 1. p. 63 ss.
Junckheim, J. Z. L., de vi argumenti, quod ad tuendam chr. rel. divinam originem a constantia martyrum desumitur. Gotting. 1751. 4.
Kiesling, J. R., de ritibus in primitiva ecclesia circa martyres et pie defunctos consuetis; in ejsd. exercitatt. in Trombellii dissertt. de cultu Sanctorum 1, 1. p. 235—43.
— de locis, in quibus natalitia martyrum primitivi celebrarunt Christiani; ibid. 2. p. 212—17.
— de eo, quod in orationibus martyrum panegyricis nimium fuit; ibid. p. 291—300.
— de conviviorum diebus martyrum natalitiis celebratorum usu et abusu; ibid. 301—8.
Klüpfel, E., de libellis martyrum. Friburg. 1777. 4.
Kriegk, G. N., de tunica molesta Christianorum. Jen. 1701. 4.
Löscher, C. W., de paucitate martyrum antiquioris Chr. ecclesiae. Viteb. 1697. 4.
Misler, J. H., (Giess. 1682. 4.) Trummer, L., (Norimb. 1663. 4.) de martyrio.
Ortlob, J. C., de martyribus furori gentilium ultra mortem expositis. Lips. 1699. 4.
Rivinus, S. F., de professoribus vet. ecclesiae martyribus. Lips. 1739. 4.
Rosenberg, J., catalogus instrumentorum, quibus martyres fuere cruciati. Budiss. 1678. 4.
Rothe, H., de martyriis affectatis. Viteb. 1709. 4.
Rus, J. R., de studio martyrii in primitiva ecclesia. Jen. 1737. 4.
Sagittarius, C., de cruciatibus martyrum. Jen. 1696. 4.
— de natalitiis martyrum. Ibid. 1678; rep. 1698. 4.
Schurzfleisch, C. S., an martyrium stilo ecclesiastico baptismus dici possit secundus? in ejsd. controv. 33.
Schwabe, J. P., de insigni veneratione, quae obtinuit erga martyres in primitiva ecclesia. Altorf. 1748. 4.
Siber, U. G., martyres divinitatis Christi testes. Lips. 1710. 4.
Teller, R., constantia fidei confessores decens. Lips. 1739. 4.
Walch, J. G., de bestiariis inter antiquos Christianos. Jen. 1746. 4.
Weickhmann, J. S., martyres spiritu divino pleni. Viteb. 1746. 4.
Wilisch, C. F., de verendis martyrum sanctorum catacumbis. Altenb. 1718. f.
Zorn, P., de catacombis s. cryptis sepulcralibus martyrum. Lips. 1703. 4.



Femel, A. G., de catacombis Romanorum. I—II. Lips. 1710—13. 4.

Baumann, H., de calendis Januariis. Viteb. 1666. 4.

Bergner, G., de iis, quae circa primum anni diem et Romanis et Christianis observata fuerint. Brandenb. 1690. 4.

Bödiker, J., de sacris et votis sub anni initium a Christianis fieri solitis. Colon. Brand. 1686. 4.

Chesne, A. du, Januariae kalendae s. de solemnitate novi anni tam ethnica quam christiana. Par. 1602. 12.

Chrysander, W. C. J., vom neuen Jahre; in Hannöv. Magaz. 1754. S. 1—22; 1758. S. 1—38.

Frankenstein, C. F., de novo anno. Lips. 1673. 4.

Hörst, P., de strenis votisque Januariis. Jen. 1632. 4.

Kirchmaier, G. C., de calendis Januariis et votis ac muneribus tunc offerri solitis. Viteb. 1700. 4.

Lipenius, M., strenarum civilium et ecclesiasticarum historia. I—II. Lips. 1670—77. 4.

Scharf, J. F., de festo novi anni. Viteb. 1685. 4.

Schroeder, P. R., de eo, quod justum est circa novi anni vota. Regiom. 1721. 4.

Simon, E. H., üb. Neujahrsfeier u. deren Ursprung. Nürnb. 1799. 8.

Wenzel, J. C., de ritu novum annum celebrandi. Altenb. 1698. 4.

Wildvogel, C., de eo, quod justum est circa novum annum. Jen. 1691. 4.



Gerdes, D., de festo clangoris ejusque mysterio. Duisb. 1730. 4; rep. in ejsd. exercitt. academ. p. 235 ss.

Houting, H., ראש הַשָּׁנָה, de festo novi anni. Amstelod. 1695. 4.

Majus, J. H., de auspiciis anni civilis Hebraeorum ejusque solemnitatibus. Giessae 1707. 4.

Matthaei, A. R. G. Ch., Beschreibung des jüdischen Neujahrsfestes. Nürnb. 1753. 4.

Michaëlis, J. G., de clangore novi anni. Hal. 1738. 4.

Palmroth, J., de ritibus Hebraeorum celebrandi novum annum. Upsal. 1703. 8.

Strauch, J., (Brunsv. 1667. 4.) Ziegler, C., (Viteb. 1657. 4.) calendae Januariae ad legem de oblatione votorum.

Vriemot, E. L., de vero anni initio apud Hebraeos. Franequ. 1735. 4; rep. in ejsd. observ. miscell. p. 280 ss.

Wichmannshausen, R. F. de, de solemni Judaeorum novum annum gratulandi formula: in annum bonum scribaris. Torg. 1742. 4.

Zorn, P., de novi anni auspiciis, quae Judaei gentium ritu in honorem Gad et Meni h. e. solis et lunae celebrarunt ad Jes. 65, 11. Hamb. 1722. 4; rep. in ejsd. opusc. 2. p. 609—56.



Clauder, C. D., de forma anni Hebraeorum mosaico-prophetica. Viteb. 1716. 4.

Dresde, F. W., annus judaicus ex antiquitate illustratus. Lips. 1766. 4.

Fischer, J. C., de anno Hebraeorum. Viteb. 1710. 4.

Felseisen, G., de civili Judaeorum die. Lips. 1702. 4.

Klausing, H., (Viteb. 1716. 4.) Röschel, B., (Viteb. 1692. 4.) de forma anni patriarcharum.

Langhansen, C., de mense vett. Hebraeorum lunari. Jen. 1713. 4.

Lund, D., de mensibus Hebraeorum. Aboae 1694. 4.

Nagel, J. A. M., de calendario vett. Hebraeorum. Altorf. 1746. 4.

Selden, J., de anno civili vett. Hebraeorum. Lond. 1644. 4.

Sommel, G., de anno Hebraeorum ecclesiastico atque civili. Lund. 1748. 4.

Strauch, Aeg., de anno Hebraeorum ecclesiastico. Viteb. 1655. 4.



Gregorius, J. F., de Jani cultu apud veteres. Lauban. 1752. 4.
— de agonalibus Jano sacris. Ibid. 1759. 4.

Jenichen, C. S., de tempore, quo populi annum auspicari solent. Zittav. 1716. 4.

Wagner, J. G., de ritibus primae anni diei solemnibus inter priscos Romanos. Brunsv. 1727. 4.

Tilliot, du, mémoires pour servir à l'histoire de la fête des foux. Lausanne 1751. 8.

Arzberger, J. S., de diversa festi Magorum denominatione et ordinatione. Curiae 1737. 4.
Blumenbach, H., antiquitates epiphaniorum. Lips. 1737. 4.
Kindler, J., (Viteb. 1684. 4.) Stolberg, B., (ibid. 1673. 4.) de epiphaniis.
Pauli, S., de ritu ecclesiae Neritinae exorcizandi aquam in epiphania. Neap. 1719. 4.
Petrejus, N., τὰ ἐπιφάνια descripta. Viteb. 1661. 4.
Wernsdorf, E. F., τὰ ἐπιφάνια veterum. Ibid. 1759. 4.

*

Buttstedt, J. A., de adparitionibus Deorum gentilium. Ger. 1744. 4.
Hebenstreit, J. P., (Lips. 1693. 4.) Nimptsch, J. G., (ibid. 1710. 4.) de ἐπιφανείαις θεῶν.
Millies, H. C., de variis generibus θεοφανειῶν. Hal. 1802. 4.

Alphonsus, P., de vita et laudibus Mariae virginis. Barcin. 1562. 8.
Bonifacius, J., de virg. Mariae vita et miraculis. Par. 1605; rec. Colon. 1610. 8.
Bring, S., de festis Mariae virginis. Lund. 1760. 4.
Calixtus, G., de cultu s. virginis Mariae apud Pontificios. Helmst. 1650. 4.
Deslionis, A., de cultu b. virginis Mariae. Pragae 1682. 12.
Dörffel, F., de miraculis et invocatione b. virginis Mariae. Monast. 1745. 8.
Eisenberg, A. W., de sanctitate et virginitate matris J. Chr. Serv. 1720. 4.
Gau, A., üb. d. Ursprung u. den Charakter der Marienfeste; in der Bonner Zeitschr. f. Philosoph. u. kathol. Theol. I. Reihe. Hft. 8.
Gravois, A., de ortu et progressu cultus ac festi immaculati conceptus Dei genitricis. Lucae 1762. 4.
Henschen, G., de hypapante Domini et purificatione b. Mariae; in Act. Sanct. Febr. I. p. 268—74.
Laurus, J. B., de annulo pronubo virg. Mariae, qui Perusiae servatur. Rom. 1622. 8.
Lipenius, M., de Mariae ortu. Sedin. 1694. 4.
Marant, P. J., de b. Virgine, corpore in coelum assumta. Lovan. 1786. 4.
Mayer, J. F., eclogae ad evang. in festo visitationis Mariae. Gryph. 1704. 4.
— de conventu apostolorum ad mortem Mariae. Lips. 1671. 4.
Meisner, J., de sepultura Mariae. Viteb. 1664. 4.
Mitternacht, P. C., festum de spasmo Mariae a dominica Judica ad Palmarum olim celebratum. Lips. 1722. 4.
Moebius, J., τὰ τῆς ὑπαπάντης. Lips. 1691. 4.
Roccha, A., de praesentationis Mariae in templo historia et festivitate. Romae 1597. 4.
Sanden, B. v., de cultu b. virginis Mariae et aliorum Sanctorum. Regiom. 1689. 4.
Schmid, J. A., de Mariae nomine, familia et conceptione; nativitate et educatione; desponsatione et Christi in ea conceptione; partu, actis vitae reliquis et morte; de festis Mariae; in ejsd. proluss. Marianis (Helmst. 1733. 4.) 1—8.
Spanhemius, F., de Maria matre Domini J. Christi. Lugd. Bat. 1688. 4.
Strauch, A., de virg. Mariae natalibus. Viteb. 1666. 4; rec. 1676 et 1702. 4.
Theophilander, Nachricht vom Mariendienste. s. l. 1723. 4.
Vincioli, H., de annulo Mariae virginis. Perus. 1737. 8.
Walch, C. G. F., hist. controv. sec. IX. de partu virginis. Gotting. 1758. 4.
— J. G., Maria virgo non monialis. Jen. 1752. 4.

Zeibich, C. H., de pallio Mariae tutelari. Viteb. 1735. 4.

Calenus, N., in destinationem, originem et ritum Bacchanaliorum. Marb. 1591. 4.
Dietz, G., (Lips. 1691. 4.) **Layritz**, J. C., (Viteb. 1721. 4.) **Reinhard**, C. G., (Hamb. 1694. 4.) **Schenke**, A., (Gorlic. 1624. 4.) de Bacchanaliis.
Funk, J. N., de perenni Christi patientis memoria et in Christianorum Bacchanalibus. Rint. 1731. 4; rep. in ejsd. dissertt. acad. p. 71 ss.
Herrnschmid, J., de Bacchanalium nomine et origine. Norimb. 1622. 12.
Köhler, J. T., Nachricht von dem Carneval; im hannöv. Magaz. 3. S. 17—76.
Neander, J. C., Bacchanalia. Fcft. ad Viadr. 1660. 12.
Nicolai, J., de ritu antiquo et hodierno Baccbanaliorum. Helmst. 1679. 4; rep. in Gronovii thes. antiq. 7. p. 179—220.
Paciaudi, P. M., de σκιαδιοφορήματι s. de umbellae gestatione. Rom. 1752. 4.
Schmidt, J. P., Fasthachtsgebräuche in Deutschland. Rost. 1742. 4.
Sonntag, C., saltus ab extremo in extremum geminus sub vigiliam carnisprivii declinandus. Altorf. 1709. 4.
Tzschucke, C. F., Fastnachtsgebräuche. Berl. 1799. 8.
Zeumer, J. C., Bacchanalia Christianorum, vulgo: das Carneval. Jen. 1699; rec. 1703. 4.

Dallaeus, J., de jejuniis et quadragesima. Daventr. 1654. 12.
Dassel, G. de, de jure temporis quadragesimalis. Argent. 1617. 4.
Eisfeld, A. L., de tempore quadragesimali. Nordh. 1761. 4.
Filesacus, J., de quadragesimae varia et multiplici observatione apud christianas gentes; in ejsd. opusc. (Par. 1614. 8.) p. 387 ss.
Green, G., de sacris quadragesimae. Viteb. 1674. 4.
Homborg, J. J., de quadragesima veterum Christianorum et ritibus in ea quondam usitatis. Helmst. 1677. 4.
Quirini, A. M., officium quadragesimale recognitum. Rom. 1721. 4.
Rumpel, H. E., quaedam ad historiam temporis quadragesimalis. Erf. 1789. 4.
Schack, J., de sancto tempore quadragesimae. Gryph. 1710. 4.
Schmidt, J. P., de variis curiosis quadragesimalibus medii aevi. Rost. 1738. 4.
Voëtius, G., de quadragesima et Bacchanalibus; in ejsd. disput. theol. 3. p. 1383—97.
Wildvogel, C., de eo, quod justum est circa tempus quadragesimale. Jen. 1691. 4.

*

Bünting, G., de jejunio quadragesimali papistico. Sedin. 1609. 4.
Ehrlich, J. G., de quadragesimae jejunio. Lips. 1744. 4.
Huss, W. C., de jejunio pontificiorum quadragesimali. Lips. 1751. 4.
Klug, J. D., contra jejunium quadragesimale papaeum. I—II. Tremon. 1732. 4.
Montanus, A., de esu carnium et quadragesima pontificia. Amstelod. 1662. 12.
Rumohr, C. F., de origine jejunii quadragesimalis. Hafn. 1733. 4.
— varietates pontificiorum circa jejunium quadrag. Ibid. 1735. 4.
Walch, J. G., de jejunio quadragesimali. Jen. 1727. 4.

*

Andry, N., le regime de Carême. Par. 1710. 12.
Becker, J. B., de jejuniis vett. Christianorum. Leucop. 1742. 4.
Bernhold, J. B., de jejunio spirituali. Altorf. 1736. 4.
Boehmer, J. H., de jure circa jejunantes et jejunos. Hal. 1722. 4.
Ciacconius, A., de jejuniis et varia eorum apud antiquos observantia. Rom. 1599. 4.
Drexel, H., (Antv. 1637. 12.) **Hildebrand**, J., (Helmst. 1719. 4.) de jejunio.
Funke, C., de jejuniis. Altenb. 1663. f.
(Hooper, G.), a discourse concering Lent. Lond. 1696. 8.
Kiesling, J. R., de xerophagia apud Judaeos et primitivos Christianos usitata. Lips. 1746. 4.
Launoy, J., de vero ciborum delectu in jejuniis Christianorum Par. 1663. 8.
Lochner, C. F., de jejunio contra pontificios. Rost. 1656. 4.

Lund, D., (Aboae 1696. 8.) **Opitius**, H., (Kil. 1680. 4.) **Peringer**, G., (Holm. 1684. 8.) de jejuniis Hebraeorum.
Muratori, L. A., de quatuor temporum jejuniis eorumque origine et usu; in ejsd. Anecdot. 2. p. 246 ss.
Nicolai, J., de jejunii christiani vero ritu juxta veterem ecclesiae universalis usum. Par. 1667. 12.
Ortlob, C., de ritu jejuniorum. Viteb. 1656. 4.
Pfanner, T., de jejuniis Christianorum; in ejsd. obss. sacr. 2. p. 324—520.
Salden, W., de jejuniis religiosis; in ejsd. otia theol. p. 658 ss.
Sagittarius, J. G., de jejuniis veterum. Jen. 1672. 4.
Schalmayer, J., de jejunii in ecclesia christ. origine et relaxatione. Colon. (s. a.) 4.
Schickedanz, J. G., quaedam scriptorum ethnicorum loca de jejunio sabbatico. Servest. 1768. 4.
Schütz, E. F., de quatuor temporum jejuniis, vulgo: Quatember. Werniger. 1723. 4.
Seelen, E. G. H. a., de jejuniis sabbaticis. I—II. Rost. 1741—42. 4.
Seidel, S., de Hieronymi, jejunii religiosi suasore. Lund. 1747. f.
Sommer, C., de jejuniorum natura. Jen. 1670. 4.
Varenius, A., jejunium Christianorum. Rost. 1684. 4.
Ziegenhorn, M., delineatio et descriptio jejuniorum. Jen. 1607. 4.

Gleich, J. A., de die cinerum. Viteb. 1689. 4.
Mittwoch, J. G., de capite jejunii, vulgo: Aschermittwoch. Lips. 1693. 4.
Schmid, J. A., Adami Halberstadiensis in die cinerum ex ecclesia ejecti historia. Helmst. 1702. 4.
Siber, U. G., de ortu festi cinerum. Lips. 1709. f.

*

Carpov, P. T., cinerum apud Hebraeos usus, moeroris atque luctus τεκμήριον. Rost. 1739. 4.
Goetze, J. L., de cinerum in sacris usu. Lips. 1722. 4.
Plade, M., de cineris usu lugentibus olim consueto. Hafn. 1713. 4.
Quandt, C. W., de cinere in sacris Hebraeorum. Regiom. 1722. 4.
Reinhard, M. H., de sacco et cinere. Viteb. 1698. 4.

Koch, J. C., de spiriis pistoriis, vulgo: Bretzeln. Dresd. 1733. 4.

Hoffmann, G., de nominibus dierum dominicalium in tempore quadragesimali. Lauban. 1712. f.

*

Hilscher, P. C., de ritu dominicae Laetare, quem vulgo appellant: den Tod austreiben. Lips. 1690. 4; deutsch: Dresd. 1710. 8.
(Schmidtbauer), historische Erläuterung d. alten Gewohnheit, am Sonntag Laetare todte Bilder unter Anstimmung besonderer Gesänge herum zu tragen. Frankf. u. Leipz. 1773. 4.
Würtenberger, P. F., vom Todten-Sonntag. Greitz 1755. 4.
Zeumer, J. C., de dominica Laetare. Jen. 1701, 4.

*

Ekermann, P., de rosa aurea papaea ejusque annua consecratione. Upsal. 1762. 4.
Grape, Z., de rosa aurea a Papa Romae quotannis solemniter consecrata. Lips. 1695. 4.
Raske, F., de rosa aurea omnique aevo sacra. (s. l.) 1728. 4.
Rechenberg, A., de aurea rosa. Lips. 1666. 4.

*

Büttner, J. P., de Sub Rosa. Lips. 1698. 4.

Capell, D. M., (Viteb. 1752. 4.) Eisfeld, A. C., (Nordhus. 1764. 4.) Faës, J., (Brem. 1695. 8.) Mayer, J. F., (Hamb. 1695; rec. Gryph. 1706. 4.) de hebdomade magna.
Ludovici, G., de septimana sancta, v. d. Marterwoche. Lips. 1692. 4.
Seip, J. N., d. Marterwoche; in Marb. Anzeigen 1769. S. 89 ff.

Mayer, J. F., de dominica Palmarum. Gryph. 1706. 4.
Verpoorten, A. M., τὰ βάϊα τῶν φοινίκων; in ejsd. dissertt. p. 321 ss.

*

Groddeck, G., de ceremonia palmarum apud Judaeos in festo tabernaculorum solemni. I—II. Lips. 1695. 4.

*

Dietrich, J. C., ἀνθοβολία καὶ φυλλοβολία. Giess. 1666. 4.
Nicolai, J., de phyllobolia in sacris et civilibus rebus usitatissima. Frcft. ad Moen. 1698. 12.

Ueber d. Wort: grüner Donnerstag; in Augusti's theol. Bl. 3. S. 344; n. Monatsschr. 1801. S. 452 ff. 1802. S. 443.
Zeumer, J. C., de die viridium. Jen. 1700. 4.

*

Batellus, J. C., ritus annuae ablutionis altaris majoris basilicae Vaticanae in die coenae Domini. Rom. 1702. 8.
Gentsch, C., Untersuchung des jährl. Fusswaschens. Frkft. a. M. 1725. 8.

Behr, C. A., üb. d. Wort: Charfreitag; in Augusti's n. theol. Bl. I. S. 107. ff.
Chrysander, W. C. J., antiqu. Bemerkk. üb. d. Charfreitag; in Hannöv. nützl. Samml. 1755. S. 370. ff.
Clajus, C., (Lips. 1697; rec. 1746. 4.) Eisfeld, A. C., (Nordh. 1760. 4.) de die parasceves.
Jantzen, C. A., de paschate Christi σταυρωσίμῳ. Jen. 1724. 4.
Mayer, J. F., de desiderio moriendi in die parasceves. Gryph. 1702. 4.
Ress, J. H., woher haben der Charfreitag und das Osterfest ihre Benennung? im Braunschw. Magaz. 1796. Nr. 18.
Zorn, P., an apostoli memoriam anniversariam Christi mortui et sepulti statis jejuniis parasceves et sabbati magni coluerint? Sedin. 1731. 4.

Acami, J. C., de paedobaptismo solemni in ecclesia latina et graeca in pervigilis paschae et pentecostes. Rom. 1785. 4.
Fischer, J. M., solemnia vet. ecclesiae antepaschalia. Lips. 1704. 4.
Goetze, G. H., de vigiliis paschalibus vett. Christianorum. Lips. 1687. 4.
Krause, M. E., de pervigilio paschatos ἀναστασίμου. Lips. 1714. 4.
Walch, C. W. F., de sec. III. jejunio antepaschali. Gotting. 1741. 4.
Wernsdorf, E. F., de vet. ecclesiae jejunii pridie paschatos religione. Viteb. 1772. 4.

Anton, P., de antiquitate festi resurrectionis Christi. Hal. 1714. 4.
— de pietate paschali veteris ecclesiae; in ejsd. progr. p. 67 ss.
Baumgarten, S. J., de veterum temporibus memoriae Christi vitae restituti sacris. Hal. 1736. 4; rep. in ejsd. opusc. 1. p. 77 ss.
Behrnauer, G. E., de superstitione paschali ad suam originem deducta. Budiss. 1725. f.
— de more veterum, captivos diebus festis vinculis suis exsolvendi. Ibid. 1726. f.
— de munere veterum paschali. Ibid. 1727. f.
— de luminaribus cereisque veterum religionis causa accensis. Ibid. 1722. f.

Beier, H. V., de primorum Christianorum more edendi agnum paschalem. Lips. 1776. 4.
Beil, J. G., de causis risus paschalis. Chemn. 1746. 4.
Beyer, C., de principe paschatos festum determinante. Lips. 1723. 4.
Börner, C. F., de paschatis christ. originibus et ecclesiarum, quoad diem paschalem, ante synodum Nicaenam, dissensu. Lips. 1740. 4.
— de sacri paschalis praestantia et dignitate. Lips. 1718. 4.
Bortz, G. H., de die festi paschatos ex chronologiae principiis constituendo. Lips. 1775. 4.
Dahm, J. M., von der Osterfeier. Mainz 1796. 4.
Daniel, G., sur la discipline des Quartodecimans pour la célébration de la Pâque; in ejsd. ouvrages divers 3. p. 473 ss.
Danz, J. T. L., memorabilia circa festum paschatos ex antiquitate ecclesiastica. I. Jen. 1837. 4.
Deutschmann, J., de festi paschalis energiis s. operationibus. Viteb. 1695. 4.
— de nomine festi paschatos. Ibid. 1705. 4.
Dionysii Exigui lib. de ratione festi paschatos; cum notis Jani. Viteb. 1718. 4.
Doppert, J., de celebratione festi paschatos ejusque origine. Schneeb. 1715. 4.
Ernesti, J. A., de die paschatos constituendo. Lips. 1775. 4.
Grape, Z., de die paschali, olim die ἀπολύσεως dicto. Rost. 1707. 4.
Grossgebauer, P., de cereis paschalibus. Jen. 1701. 4.
Günzel, A., de origine quinque vocum Manna, Pascha, Hosianna, Hallelujah, Hysoppus. Viteb. 1641. 4.
Haffner, G., de tempore paschatos recte determinando. Altorf. 1742. 4.
Hagen, J. van der, de cyclis paschalibus. Amsteled. 1736. 4.
Heilmann, J. D., de antiquo baptismi paschalis solemni. Gotting. 1758. 4; rep. in ejsd. opusc. 2. p. 299—340.
Heumann, C. A., vera descriptio priscae contentionis inter Romana et Asiam de vero paschate. Gotting. 1745. 4; rep. in ejsd. syll. dissertt. I. p. 156 ss.
Hilscher, P. C., de superstitione paschatis tempore. Lips. 1694. 4; deutsch: vom Aberglauben zur Osterzeit. Dresd. 1708. 8.
Homborg, J. J., de paschate veterum Christianorum. Helmst. 1683. 4.
Joachim, J. F., de manumissionibus in ecclesiis. Hal. 1737. 4.
Kavinn, P., de legitimo tempore paschatis Hebraeorum et Christianorum. Venet. 1667. 4.
Kiesling, J. R., de memoria paschatos a Christianis gravissimas ob causas quotannis sancte excolenda. Lips. 1768. 4.
Koch, J., (praes. Th. Ittig) de veterum indulgentia paschali. Lips. 1700. 4.
Lauterbach, H. C., de indulgentiis paschalibus. Helmst. 1704. 4.
— (Helmst. 1706. 4.) Luther, C. F., (Kilon. 1709. 4.) de tripudio solis paschali.
Lindemuth, A., chronologia de tempore paschali. Dresd. 1654. 4.
Müller, J. E., de paschate. Rudolst. 1714. 4.
Neander, A., Erläuterungen üb. Veranlassung u. Beschaffenheit der ältesten Passahstreitigkeiten in der christl. Kirche; im kirchenhist. Archiv 1823. 2. S. 101—13.
Nettelbladt, F. C. de, recensio rituum et ceremoniarum, quibus paschatos festum celebravere vett. Christiani. Gryph. 1737. 4.
Nicolai, H., paschalia. Gedani 1647. 4.
Oecolampadius, J., (Basil. 1518. 4.) Schmid, J. P., (Rost. 1747. 4.) Schramm, J. C., (Helmst. 1724. 4.) de risu paschali.
Oelrichs, J., de solemni celebratione festi paschatis. Franequ. 1756. 4.
Piper, F., Geschichte des Osterfestes. Berl. 1745. 8.
Progr. Helmst. de festo paschatos. 1703. 4.
Purmann, J. G., de paschate Christianorum ex antiquitate. Fcft. ad Viadr. 1799. 4.
Reineccius, C., de origine festi paschatis. Leucop. 1722. f.
— de paschate ex se et pia ecclesiae ad illud praeparatione solemniori omnium festorum. Ibid. 1727. f.

Reiske, J., Untersuchung des heidn. Nedfyrs ingleichen des Oster- und Johannisfeuers. Wolfenb. 1696. 8.
Rittangel, J. S., rituum paschalium liber. Regiom. 1644. 4.
Rumpel, H. E., de more vinctos paschali tempore liberandi. Erf. 1763. 4.
Schmid, J. A., (Helmst. 1692. 4.) Wernsdorf, E. F., (Viteb. 1777. 4.) de cereo paschali.
Schmidt, J., de Quartodecimanis. Lips. 1685. 4.
Schnell, J. G., de paschate veterum ἀναστασίμῳ. I—II. Lips. 1717. 4.
Schott, C. F., momentum constitutionis Nicaenae de tempore celebrandi paschatis. I—II. Tubing. 1770. 4.
Schramm, J. C., de die paschali e libris symbolicis. Helmst. 1717. 4.
— de igne paschali. Ibid. 1728. 4.
Schreiber, M., de igne paschali, quo sepulcrum Domini quotannis illustrari creditur. Regiom. 1755. 4.
Schwarz, F. J., dominica gaudii Christianorum pascha. Lips. 1780. 4.
Seidel, S., sacra ἀναστάσιμα. Laub. 1747. f.
Suaresius, J. M., de baptismo paschali et origine consecrandi agnos Dei. Romae 1656. 4.
Teller, W. A., pars actorum inter asiaticas et reliquas ecclesias super controverso sacrorum paschatis tempore; ex Eusebii commentariis graece et latine. Helmst. 1767. 4.
Tresenreuter, C. F., controversiae praecipuae post concilium Nic. de paschate ortae. Altorf. 1744. 4.
Verpoorten, A. A., de lumine paschali; in ejsd. dissertt. p. 434.
Walch, C. W. F., cura vett. Christianorum memoriam resurrectionis Christi conservandi propagandique. Gotting. 1767. 4.
— Decreti Nicaeni de paschate explicatio; in commentt. Soc. Gotting. (1769) 1. Nr. 70.
— de epistolis patriarcharum Alexandrinorum paschalibus. Ibid. 1776. 4.
Wegner, G., de risu paschali oratorem sacrum ejusque auditorem minime decente. Regiom. 1705. 4.
Wernsdorf, E. F., de paschate annotino. I—II. Viteb. 1760—64. 4.
— J. C., dies sanguinis et hilaria Romanorum cum paschate Christianorum callata. Helmst. 1763. 4.
Wildvogel, C., de eo, quod justum est circa festum paschatos. Jen. 1692. 4.
Zeibich, C. H., de salutatione vett. Christianorum paschali. Viteb. 1747. 4.

*

Augusti, J. C. W., die Ostereier; in Gieseler's u. Lücke's Zeitschrift 2. S. 80—89.
Erdmann, J. F. G., (Lips. 1736. 4.) Grossgebauer, P., (Vinar. 1698. 4.) Krasske, T., (Regiom. 1705. 4.) de ovo paschali.
Harenberg, J. C., de ovorum paschalium origine; in bibl. Brem. 6. p. 1026 ss.
Mickel, J. F., ᾠολογία paschalis. Darmst. 1732. 4.
Schilling, F., ovum paschale. Viennae 1675. 4.
Schmidt, J. C., de variis ritibus paschalibus, spec. v. d. Ostereiern. Rost. 1738. 4.

*

Flügge, C. W., üb. die Ostera der alten Sachsen; in Stäudlin's Beiträgen 3. S. 225—45; 5. S. 96—101.
Hasaeus, T., de Saxonum idole Ostera; in bibl. Brem. 8. p. 475—97.
— expositio verae originis et significationis vocis Astartes; ibid. 8. p. 707—44.
Heise, J. C. F., muthmassliche Ableitung des Wortes Ostern; in Hannöv. nützl. Samml. 1758. S. 417—64.
Münchhausen, C. v., Wold und Ostar, zwo altdeutsche Gottheiten; in Graeter's Braga 3, 1. S. 35 ff.
Mushard, L., de Ostera Saxonum, Bedae Eoster, aliis Astera. Brem. 1700. 4.
Ritz, A., de origine vocis: Ostern, qua Germani paschatos festum indicant; in bibl. Brem. 8. p. 499 ss.

Haensel, F. M. A., Gregorii Naz. oratio in novam dominicam illustrata. Lips. 1836. 8.
Schmid, J. A., de dominica in albis. Helmst. 1705. 4.

*

Joch, J. G., de stola alba neophytorum vet. ecclesiae. Tremon. 1711. 4.
Ritz, G. L., de antiquo vestitu neophytorum mystico. Salfeld. 1749. 4.
Schmid, J., de usu vestium albarum. Lips. 1604. 4.
Siber, U. G., de albatis. Lips. 1713. 4.
Sonntag, C., de Stoechariis. Altorf. 1704. 4.
Wegner, G., de alba veste baptizatorum. Regiom. 1700. 4.

Hartmann, J. A., de ambarvalibus pontificiorum, von der Kreuz- oder Betwoche. Marb. 1740. 4.
Meermann, A., de rogationibus ac peregrinationibus et hymnis et solemnibus supplicationibus. Lovan. 1566. 12.

Ammon, C. F., ascensus Jesu Chr. in coelum historia biblica. Gotting. 1800. 4; repet. in ejsd. nov. opusc. p. 43—62.
Bose, C. W., ἐνθρονισμὸς Christi in fabulis Apollinis et Minervae frustra quaesitus. Lips. 1741. 4.
Flügge, C. W., d. Himmelfahrt Jesu. Hannov. 1808. 8.
Fogtmann, N., de Jesu Christi in coelum ascensu. Hafn. 1826. 8.
Hasse, J. G., historiae de Christo in coelum redeunte ex narratione Livii de Romulo illustratio. Regiom. 1805. 4.
Himly, J. L., de Jesu in coelum ascensu. Argent. 1811. 8.
Horn, J., üb. das Alter des Himmelfahrtfestes; in Wagnitz liturg. Journ. 5. S. 305 ff.
Weichert, H. G. L., de fide historica narrationis librorum sacrorum de Christo in coelos sublato ejusque eventus necessitate. Viteb. 1811. 4.

Acker, J. H., de precibus pentecostalibus. Rudolst. 1718. 4.
Bashuysen, H. J. van, meditationes pentecostales. Servest. 1722. 4.
Behrnauer, G. E., de fronde viridi, sacra olim et religiosa. Budiss. 1738. f.
Börner, C. F., de sacri Christianorum pentecostalis originibus. Lips. 1741. 4.
Brenneccius, J., de origine et antiquitate pentecostes. Helmst. 1647. 4.
Clauswitz, B. G., de analogia pentecostes V. et N. T. Hal. 1741. 4.
Dantz, A., de festo septimanarum judaico abrogato, surrogato in ejus locum festo pentecostes. Jen. 1723. 4; rep. in Meuschenii N. T. ex Talm. illustr. p. 751 ss.
Faust, J., (Argentor. 1690. 4.) Reinhardt, J. E., (Jen. 1693. 4.) de pentecoste.
Hackmann, D., de duobus panibus pentecostatibus. I—II. Brem. 1730. 4.
Hardt, A. J. v. d., de symbolis pentecostes. Helmst. 1702. 4.
Harenberg, J. C., miraculum pentecostale expensum et vindicatum; in Ikenii thes. diss. 2. p. 569 ss.
Hebenstreit, J. C., de pentecoste veterum. Lips. 1715. 4.
Heinrichs, J. H., de prima festi pentecostalis celebratione ab apostolis instituta; in ejsd. Acta Apostoll. 2. p. 310 ss.
Hoynovius, M., de festo pentecostes. Regiom. 1693. 4.
Huth, C. J., inauguratio sabbati pentecostalis. Erlang. 1752. 4.
Justus, C. A., de lilio pentecostali Spiritus Sancti. Leucop. 1722. 8.
König, C. A., de paradisiaca festi pentecostalis existentia ex Gen. 3. Viteb. 1700. 4.
Königsmann, A. L., de antiquitate et usu betulae pentecostalis frondiumque sacrarum in universum. Kilon. 1707. 4.
Müller, J. E., de linguis pentecostalibus. Rudolst. 1701. 4.
Nicolai, H., pentecostalia. Gedan. 1648. 4.
Progr. Helmst. de festo pentecostes. 1701. 4.
Raynaudus, T., de praerogativis pentecostes christianae. Lugd. 1653. 8.

Reineccius, C., de origine festi pentecostes. Leucopet. 1722. f.
Reuter, C., de eo, quod theologice sanctum et justum est circa tempus pentecostale. Servest. 1718. 4.
Rivinus, A., de Maiumis et Maicampis. Lips. 1637. 4.
Schmid, J. A., de frondibus festivis pentecostalibus. Helmst. 1708. 4.
— (Helmst. 1710. 4.) Wernsdorf, E. F., (Viteb. 1752. 4.) de quinquagesima paschali.
Stübel, J. J., de rebus, quae fiunt et factae sunt tempore pentecostali. Wism. 1712. 4.
Wilde, J., de adventu Spiritus S. mirabili. Rig. 1704. 4.
Wildvogel, C., de eo, quod justum est circa festum pentecostes. Jen. 1691. 4.
Winckler, J. D., de iis, quae circa festum pentecostes memorabilia sunt. Lips. 1734. 4.
Wippermann, C. W., rechtl. u. historisch. Betrachtungen üb. d. Pfingsten. Rint. 1763. 4.
Zeibich, H. A., ὑπερῷον effusō Spiritu S. insigne. Ger. 1760. 4.

*

Thilo, G., de pentecoste Ebraeorum. Viteb. 1668. 4.

*

Augusti, J. C. W., die Taube; in Gieseler's und Lücke's Zeitschrift 3. S. 56—64.
Moller, S., de columba, signo Christianorum hieroglyphico. Frib. 1721. 4.
Schmidi, J. A., de columbis in ecclesia graeca et latina usitatis. Helmst. 1711; rec. 1731. 4.
Schwebel, N., de antiquissimo columbarum eoque sacro apud paganos *cultu*. Onold. 1767. 8.
Wernsdorf, E. F., de simulacro columbae in locis sacris antiquitus recepto. Viteb. 1773. 4.
— de columba sancta Syrorum. Helmst. 1761. 4.
— J. C., de columba, figura Sp. S. ad Tertull. adv. Valent. 1, 3. Ibid. 1770. 4.
Zeibich, C. H., de columba pentecostali. Viteb. 1737. 4.

Mayer, J. F., cur nullum festum peculiariter Deo Patri sacratum ab ecclesia sit. Gryph. 1702. 4.
Moller, D. W., de annulo Trinitatis. Altorf. 1702. 4.
Pfaff, C. M., (resp. J. P. Essich) de eo, quod licitum est circa picturam imaginum S. Trinitatis et personarum divinarum. August. Vind. 1749. 4.

Bebel, B., (Argent. 1685. 12.) Heerbrand, J., (Tubing. 1684. 8.) *Bericht* vom Frohnleichnamsfest.
Behr, C. A., üb. d. altdeutsche Wort Fron. Gera 1798. 8.
Chemnitius, C., de transsubstantiatione et illi superstructo festo corporis Christi. Jen. 1663. 4.
Dannhauer, J. C., (Argent. 1662. 4; rep. in ejsd. dissertt. 2. p. 1125 ss.) Pesarovius, P. P., (Regiom. 1705. 4.) Zwinger, J., (Basil. 1682; rec. 1685. 4.) de festo corporis Christi.
Fisen, B., origo prima festi corporis Christi ex viso virgini Julianae divinitus oblato ao. 1212. Leodii 1629. 8.
Gallus, N., vom Frohnleichnamstage. Frcf. 1561. 4.
Helmschrodt, J. C., histor. Bericht vom Frohnleichnamsfeste. Leipz. 1729. 4.
Wünscher, J. G., Unterricht v. röm. Frohnleichnamsfeste. Rinteln 1706. 12.

*

Espencaeus, C., de eucharistia ejusque adoratione. Par. 1573. 8.
Hieber, G., de cultu et veneratione s. s. eucharistiae. August. Vind. 1712. 8.

*

Blasius, C., de festo cordis Jesu. Rom. 1771. 4; rec. Norimb. 1774. 4.

*

Seelen, J. H. a., de festo lanceae et clavorum, quibus Christi corpus fuit perfossum. Flensb. 1715. 4; rep. in ejsd. miscell. p. 339—414.

*

Schmid, J. A., de crucis dominicae per Helenam, Constantini M. matrem, inventione. Helmst. 1714. 4.

Blumberg, C. G., suspiria johannea contra superstitiones ex nomine, igne et herbis ut vocant Joanneis elicitas. Schneeb. 1690. 4.
Bloss, L. C., (Rudolst. 1707. 4.) Zeumer, J. C., (Jen. 1699. 4.) de igne Joanneo.
Dreuil, A., du culte de St. Jean Bapt. et des usages profanes qui s'y attachent. Amiens. 1846. 8.
Mitternacht, J. S., de Joannis B. reliquiis. Ger. 1658. 4.
Paciaudi, P. M., de cultu S. Joannis Baptistae. Romae 1755. 4.
Wasewitz, C., turtur Joanneus s. exercit. de Joanne B. Magdeb. 1659. 4.

Balthasar, J. H., exempla superstitiosi cultus S. Michaëlis. Gryph. (s. a.) 4.
Bashuysen, H. J. van, (Servest. 1718. 4.) Majus, J. B., (Kilon. 1698. 4.) de festo Michaëlis.
Bernhold, J. B., (Altorf. 1725. 4.) Neubauer, E. F., (Giess. 1733. 4.) de Michaële archangelo.
De eo, quod in Martyrologio Romano ad diem Michaëlis sit adscriptum. Lips. 1665. 4.
Dornfeld, J., de pugna draconis cum archangelo Michaële. Lips. 1708. 4.
Goebel, J. W., de certamine inter Michaëlem archangelum et diabolum de corpore Mosis. Helmst. 1738. 4.
Haeberlin, F. D., de S. Michaële archangelo, ejus festis et cultu. Helmst. 1758. 4.
Mirus, A. G., Michaëlis archangeli cum diabolo certamen de corpore Mosis. Helmst. 1766. 4.
Progr. Helmst. de St. Michaële angelo tutelari imperii Romani. 1733. 4.
Reusch, E., de origine feriarum die Michaëlis celebrandarum. Helmst. 1726. 4.
Stengel, C., de S. Michaëlis Archangeli principatu, apparitionibus, templis, cultu et miraculis. Aug. Vindeb. 1629. 12.
Thomasius, J., de legenda S. Michaëlis archangeli; in ejsd. dissertt. p. 494—505.
Wernsdorf, E. F., de originibus solemnium S. Michaëlis. Viteb. 1773. 4.

Aepinus, A. J. D., de primitiva ecclesia angelorum cultum aversante. Rost. 1757. 4.
Bechmann, F., de angelorum loquela. Jen. 1661. 4.
Clotz, S., de angelographia. Rost. 1636. 4.
Maior, J. T., de natura et cultu angelorum, facta collatione Paganorum, Judaeorum, Mahammedanorum et Christianorum. Jen. 1653. 4.
Osiander, J. A., de jubilaeo angelico. Tubing. 1670. 4.
Pfeffinger, D., (Argent. 1708. 4.) Progr. Helmst. (1731. 4.) Reusch, E., (Helmst. 1739. 4.) Schultze, J. G., (Lips. 1703. 4.) de cultu angelorum.
Quistorp, B. F., de sanctorum angelorum festis. Gryph. 1770. 4.
Thomasius, J., de origine cultus angelorum superstitiosi; in ejsd. dissertt. p. 89—103.
Wildvogel, C., de eo, quod justum est circa angelos. Jen. 1692. 4.
Wilisch, C. F., de precibus angelorum pro nobis. Lips. 1723. 4.

(Giese, C. C.), kurze Geschichte des Reformationsfestes. Görlitz 1767. 4.

Ittig, Th., de festo omnium Sanctorum; in Misc. Lips. 1. p. 300 ss.
Lederlin, J. a., S. S. patriarcharum, prophetarum, confessorum etc. cultus perpetuus in catholica ecclesia assertus. Rom. 1730. 4.

Payngk, S., de memoriis Sanctorum anniversariis. Hafn. 1708. 4.

Progr. Coburg de natali episcoporum. 1701. 4.
Richerz, G. H., de die episcopatus natali veteribus solemni. Lubec. 1754. 4.
Tentzel, W. E., de nataliciis episcoporum. Viteb. 1684. 4.

Wilcke, A., festa duodecim apostolorum; ed. G. Hesse. Jen. 1676. 4.

Lincke, H., (Altorf. 1678. 4.) Lund, D., (Upsal. 1706. 8.) de encaeniis templorum.
Weber, J., de encaeniis templorum judaicis et christianis. Lips. 1683. 4.

Jani, C. D., üb. d. Gregoriusfest. Eisenb. 1790. 4.
Schöttgen, C., das Gregoriusfest. Frcft. 1716. 4.
Weber, A., origo festi Gregoriani. Helmst. 1714. 4.

Buddeus, J. F., de festo orthodoxiae in ecclesia graeca celebrari solito. Jen. 1726. 4.
Groebel, J. A., de festo stigmatum. Longodal. 1734. 4.
Wernsdorf, E. F., de vet. eccl. diebus festis anniversariis liberationis a periculo. Viteb. 1767. 4.

Dettmers, J. P. F., über Ursprung und Geschichte des Wortes Jubilaeum. Frcft. 1799. 8.

I. Index rerum notabiliorum.

II. Index aliquot S. S. locorum, qui illustrantur.

EX OFFICINA CAROL. GUST. NAUMANNI.

